

Bacho in 4. dist. 2. quæst. 3. qui censuit Virginem conceptam fuisse feminaliter in peccato Originali, hoc est, in debito peccati; sed citò fuisse expiatam & liberam à prædicto debito, sanctificatamque eius carnem, etiam ante animationem, eo genere sanctitatis, quæ congruit rebus inanimatis.

Putabis fortasse conclusum iam cum Alberto, minimè, patientiã tibi opus est, nam hic Doctor non solum fuit Magnus in sapientiã, sed maximus in colendã Deiparã: & quidem modò possem incipere noua eiusdem testimonia aggerere: nam præter dicta & alia multa dicenda, si oporteret, ex libris citatis, frequentius adhuc in Tractatu, quem inscripsit *Biblia Mariana*, ubi ex singulis sacre Scripturæ libris colligit velut officiosa apicula beatissimæ *MARIÆ* laudes, supponit omnimodã eius animæ puritatem: ibi ex lib. Genes. comparans Virginem celo Empyreo, ait: *Empyreum etenim quam cito factum est, statim dispositum est, ornatum est quod non alij cali. Sic ipsa in gratia & sanctificatione.* Vbi supponit conditam in conceptione Virginem cum ornatu gratiæ, & simultaneã sanctificatione. Paulò post idem confirmat, dicens: *Fiat lux, id est MARIÆ generetur.* Hic etiam supponit in ipsã luã generatione, hoc est Conceptione, fuisse lucem, statimque ait: *Appellauitque lucem Diem, id est, MARIAM, hoc nomen ei est in æternum. Ipsa enim optimè dies dicitur, & Heua nox.* Inibi etiam dicit: *Ipsa est etiam terra Sacerdotalis, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ semper libera fuit;* nimirum à dominio & deformitate peccati. Ne autem videretur Alberto parum dixisse, excipiendo Virginem de præterito à peccato Originali, cum posset postea, dum viuebat, committere actuale, vt etiam ab hoc eximeret, etiam à veniali, quamvis non tollat ingenuitatem & pulchritudinem animæ, adiecit de præsentis: *Et est à conditione æternalis peccati, tam venialis quam mortalis.* Atque eãdem mente in lib. Ruth dixit: *Hæc est illa, in qua macula etiam venialis peccati non est.* Cùm minorem maculam peccati venialis inficietur in Virgine, potiori ratione negat in eãdem maiorem maculam culpæ Originalis; præterquam quòd Albertus Magnus, doctissimus Scholasticus, ante oculos habebat illud Augustini, lib. 5. in Iulianum cap. 9. Minimè fugisse peccatum actuale, qui ab Originali non declinauerit. Idem Albertus ex Deuteronomio dicit de sanctissimã Deiparã: *Ipsa est mons benedictionis; sed Heua fuit mons maledictionis,* Item ex lib. 4 Reg. cap. 2. *Afferre mihi vas nouum, id est MARIAM. Alij enim omnes per peccatum inueterati sunt Psal. 17. Et corrupti: sed ipsa est nouum, habens multiplicem nouitatem.* Hæc quidem fuit in *MARIÆ* singularissima nouitas, quòd sola inter filios Adam generaretur sine vultu opprobrio. Ex libro Iudith. *Dixerunt serui Holofernis: Non solum serui Dei ipsam admirantur, sed etiam serui mundi & diaboli, alter ad alterum: Non est talis mulier super terram, imò nec supra calum, in aspectu, quia etiam maculã peccati caruit venialis.* Hic expendi possunt eadem, quæ suprã. Tum ex Parabolis Salomonis ait: *Necdum erant abyssi, id est, demones: vel abyssi miseria, & peccati: Et ego iam concepta eram, scilicet in præsentia & prædestinatione Dei, vt exhiberem lucem contra tenebras, gratiam contra culpam, vitam contra mortem.*

Ex lib. Iob: *Ipsa est Aquila singularis, de cuius*
Ioann. Euseb. Op. Parth.

laude & præconio loquitur Dominus ad Iob 39. Numquid ad præceptum tuum, sicut ad meum, qui quidquid præcipio, inspiro, eleuabitur, in natura, gratia, & in gloria etiam, & in omni prerogativa? Aquila, id est MARIÆ, super omnes chorus Angelorum. Superare Angelos in naturã, est in conditione, seu à conditione naturæ, in quã non esset super omnes Angelos, si conderetur illis impior. Eodem sensu dixit in Parabolis Salomonis: *Surrexerunt filij eius, & beatissimam predicauerunt, Prædicauerunt eam Beatam in natura, Beatorem in gratia, Beatissimam in gloria.* Idem in Ecclesiaste, reddens rationem cur Beata Virgo nata sit ex bonis, ait: *Ratio est, vt sanctitas eam videret circumdaret: retrò per nobilitatem, antè per utilitatem, supra per dignitatem, infra per potestatem, à dextris per virtutum summum, à sinistris per peccati immunitatem, intra per charitatem, foris per conuersationem perfectam.* Quomodo Beata Virgo circumdata sanctitate fuisset, si eius initium peccaminosum extitisset?


Ex Canticis non possum non afferre illa verba Alberti, loquentis de capacitate beatissimæ Virginis: *Maximam gratiam recipere potuit, scilicet quantum recipere potuit, tantum recipit. Item ex parte dantis est diuersitas doni: quia cum dans det secundum rationem, & ratio respiciat finem, maius donum dat, quod dat ad maiorem finem, vt Imperator maius donum dat ad essendum Senatorem, quam cui dat ad essendum simplicem seruitorem. Sed dabatur *MARIÆ* gratia ad essendum Matrem Dei, & omnibus aliis datur ad essendum seruos & ancillas Dei: sicut ergo improporcionabiliter maius est esse Matrem Dei quam seruum Dei, ita improporcionabiliter erit maius donum ad essendum Matrem Dei, quam ad essendum seruum Dei: sed donum, in quo omnia donantur, est charitas beatissima Virginis: ergo improporcionabiliter maior erit charitate omnis creature. Hæc ratiocinatio eãdem vi potest extendi ad puritatem extensiuè, sicut ad charitatem intensiuè. Itidem ex Isaia: *Ipsa est sine omni peccato nubes purissima, Isa. 19. Ecce ascendet Dominus super nubem leuem.* Postea addit: *Ipsa est, in qua nobis benedictio celestis est reseruatã. Isa. 65. Hæc dicit Dominus, quomodo si inueniatur post tempestatem granum, Glossa: illesum. Hoc granum est Virgo *MARIÆ*, illa ab omni peccato, in botro humani generis. Item ex Ieremia: *Ipsa est opus totius nouitatis. Ierem. 31. Creauit Dominus nouum super terram, imò in calo, & sub terra. Femina, id est *MARIÆ* immaculata.* Idem Doctor in Euangelium Matthæi dixit *Virginis puritatem summam: id confirmans ex celebratissimo Anselmi loco, pro Immaculatã Conceptione.* Ibi dem eam vocat *Solem omnimicantem: quia non habuit sicut Luna vicissitudinẽ de tenebris ad lucem.* In Lucam etiam, cùm numerasset multa vã, à quibus libera fuit beatissima Virgo supra omne genus humanum, inter illorum enarrationem ait: *Est aliud triplex vã, scilicet culpã, pœnã, ignorantia. Vã culpã est triplex, scilicet Originalis, actualis mortalis, venialis.* Et tandem concludit: *Sine isto multiplici vã fuit beatissima Virgo *MARIÆ*.* Quid clarius? In Ioannem hæc scripsit: *Beatissima Domina secundum Euangelium Ioannis dicitur Mater restitutionis omnium. Ioannis 1. dicitur de eius Filio: Omnia per ipsum facta sunt. Sic dicitur de ipsa: Omnia per ipsam re-***

facta sunt, vt dicit Anselmus. Colligi id potest
Hh 2 ex

ex sancto Anselmo, lib. de Excellentia Beatae Virginis cap. 10. & 11. & sancto Bernado Serm. 2. in Festo Pentecostes: *Mersio*, inquit, *in te respiciunt oculi totius creaturae, quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentis, quidquid creauerat, recreauit.* Expressius tamen beatus Petrus Damianus Serm. de Annunt. Beatae Virginis ait: *De thesauro Diuinitatis MARIÆ nomen euoluitur, & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut sicut sine illo nihil factum, ita sine illa nihil refectionem sit.* Hinc capiunt multi argumentum pro Immaculatâ Conceptione. Neque enim deformata unquam fuisse debuit, per quam omnia reformata dici possent. In eodem Ioan. dixit de Deiparâ: *Item est opus admirationis, tam Angelorum, quam hominum.* Ioan. 7. *Vnum opus feci, id est MARIAM, quæ una & singularis est, & omnes admiramini eius Naturam, eius Gratiam, eius Gloriam.* Materiam autem maximæ admirationis priuaretur, si eius Natura non fuisset cum gratiâ condita. In Apocalypsi ait: *Est beatissima Virgo MARIA Angelus in gratis inuentione.* Hæc autem gratia inuenta ab Angelis, fuit gratia, quam acceperunt in suâ creatione. Reliquum enim argumentum gratiæ ipsi per merita obtinuerunt. Inuenit igitur MARIA gratiam in suâ animæ creatione, sicut & Angeli. Ibidem quædam verba de MARIA sanctissimâ dicit quæ multoties supponunt eius omnimodam puritatem, quæ idcirco, licet immeret non nihil, referam, *Prima Stella & priuilegium Beatissima Virginis, est peccati immunitas, quod de aliis hominibus dici non potest.* 1. Ioan. 1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Secunda est peccati impossibilitas: quia cum sit plenitudo gratiæ in Beata Virgine, ideo dicitur non posse peccare: quod iterum in nullo alio homine. Tertia est, quod quodlibet motu & opere meruit. Vnde Apostolus: Omne quodcumque facitis, in verbo, &c. 1. Corinth. 10. Sive manducatis, sive bibitis. Hoc inter omnes Sanctos huius vite ipsa plenissime fecit. Quarta est puritas in summo. Vnde Anselmus libro de Conceptu Virginali, cap. 18. Decens erat, ut ea puritate Beata Virgo niteret, quâ maior sub Deo nequit intelligi, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo equalem sibi genitum, tamquam seipsum diligebat, ita dare disponebat: ut naturaliter unus idemque esset Patris Virginisque Filius, & quam ipse Filius substantialiter sibi matrem eligebat; & de qua Spiritus sanctus volebat & operaturus erat, ut conciperetur & nasceretur, de quo ipse procedebat. Quinta, quod ipsa dicitur mater Dei, propter quod dicitur gratia plena. Vnde patet, quod maior gratia non potest intelligi, nec pure creatura participari, quam esse matrem Dei per naturam. Plus est enim Dei matrem esse per naturam, quam Dei Filiam esse per adoptionem.*

Hæc vltima verba, inter alia, maximè sunt consideranda; non enim loquitur Albertus de maternitate Diuinâ, consideratâ solum in ipso tempore parturitionis, sed in quocumque tempore per relationem ad partum, & sicut maternitatem diuinam naturalem per relationem ad partum præteritum, in quocumque tempore extulit Albertus supra filiationem Dei adoptiuam: sic etiam nomen matris per relationem ad partum futurum, venerandum in quocumque tempore antecedenti fuit, nec debuit esse separatû à filiatione adoptiuâ.

Nimiùm hætenus nos occupauit Albertus, verùm non fastidiuit: iucundum quippe tibi est laudes audire Deiparæ, & iucudius, quò prolixius.



EPISTOLA VII.

De exordio deuotionis Immaculatæ Conceptionis, an plebs deuota, vel gens docta fuerit illam auspicata.

Ad Reuerendissimum ac Nobilissimum DD. Philippum Chiffletium, Balernæ in Comitatu Burgundia Abbatem, & Primarium Serenissimi Archiducis Leopoldi, Belgij ac Burgundia Proregis, Eleemosynarium.



ON frustra velim te quoque, vir nobilissime, lucubrationum nostrarum, quæ ad Virginem immaculatè conceptam spectant, participem fieri: scio quippe te apud Burgundiones tuos eâ gente genitum, quæ vno ore mysterium hoc promouero hætenus conata sit; vnde & fratri tuo Ioanni Iacobo, Hispanico nostro vindici, deque natione nostrâ Ibericâ optimè merito, Academia Dolana suam debet constitutionem, ipsius apud Serenissimam Isabellam Claram Eugeniæ Infantem, sollicitudine de iuramento immaculati mysterij tuendi præstando, è quo hæc ipsa pietas per vniuersam Burgundiam vires cepit: teque haud ignoro ad eò Virginei cultus studiosum, quin & singulari eloquio tuo amœnitatis & pietatis ingenij tui indice, solutâ, & numeris adstrictâ oratione, diurnas huius ipsius mysterij laudes elegantissimè scripseris. Denique in vno Iulio fratris tui maioris filio, tuo, meoque, at nostro in hac aulâ Catholicâ Ordinis Velleris aurei Cancellario, complector te, tuosque omnes; quia verè ipsum in Christo diligo.

Audi ergo lubens, quæ in Virginis decus, adeoque in huius mysterij confirmationem subiicio de dignissimâ suæ deuotionis origine. Etenim veniam, imò laudem merebitur, qui deuotâ impatienciâ fert, quod à nonnullis, cum non habeant aliquid solidû quod opponant Immaculatæ Conceptioni, inconsideratè dicitur, eam esse vulgi deuotionem, imò & opinionem, non valdè contentaneam Apostolicæ obsequentiæ, cum Pontificiæ Sedis iudicium velit præuenire plebs, non sequi, inuentis nouis demonstrationibus iuramentorum, votorum, & confraternitatum: ac propterea oportuisse animaduerti in similes demonstrationes ab aliquâ auctoritate superiore. Nec dignum esse, ut mordicus sequerentur homines docti hunc popularem affectum. Falluntur profectò toto corde, aut pleno ore fallunt, qui talia proferunt. Falluntur quidem, cum hanc deuotionem erga Deiparam non inceperit vulgus,

vulgus, sed Deus, Doctores Ecclesiæ, magni Sancti; deinde plurimi Summi Pontifices inuitarent ad illam populos, prouocarentque ad eiusdem maiorem cultum. Nequit enim hæc deuotio incipere ab hominibus plebeis & idiotis, cum hi vix nouerint quid sit peccatum Originale, neque in eorum verisimiliter poterat mentem venire, explorare, an Beata Virgo fuisset illius particeps: cum enim nec mysteria Fidei quæ extant in Symbolo, tenenturque omnes scire, non satis nouerint, quid mirum, si ad alia non attenderint? Cùm de articulis præcipuis Trinitatis & Incarnationis nesciant vt plurimum rationem suæ Fidei reddere, cur non necessaria theoria illis tribuetur. Quòd si illis tribuenda sit, magnum hoc esset miraculum, atque argumentum a Deo esse, supra morem, euentusque naturalis methodi & facultatis. Planè antiquiorem huius excellentiæ Virgineæ memoriam non lego aliquem de plebe fuisse auspiciatum: sed potius inuenio apud aliquos Auctores, de quorum auctoritate non disputo, ab Apostolis commendatam fuisse, & prædicatam. Sed concedamus non esse authenticæ auctoritatis prædictos Auctores, quod indubitata constat, est, ab Ecclesiæ Patribus celebrari, & introductam fuisse, priusquam legamus à populis vtrò colitæ cœpisse. Etenim sanctus Amphilo-chius satis apertè Immaculatam Virginis formationem affirmavit. Tum sanctum Augustinum in eâ fuisse sententia clarissimè colligitur ex duobus eius locis, quam propterea secuti sunt multi eiusdem discipuli; & postquam illam pronuntiasset manifestè Faustus Rhegiensis, eandem præclare asseruit sanctus Ilderonsus. Inuenimus etiam ante annos 1200. tempore sancti Sabbæ in Ecclesiâ Græcâ cultam, non auctoritate plebeia, sed Ecclesiasticâ, cùm Conceptionis Virginis passuæ festiuitas in Græcis Ritualibus sit consignata ab eo tempore. Tum etiam sanctus Andreas Cretensis eam clarissimè professus est, & deuotissimè coluit: de quibus in Opusculis nostris, de Obiecto & Exceptionibus satis egimus, produximusque maximam Patrum cohortem pro hac sententiâ & deuotione.

Itaque in mille prioribus Ecclesiæ annis nullum inuenimus è plebe & vulgo illam introduxisse. Post millenarium autem Ecclesiæ iterum introduxit hanc deuotionem non vulgus, sed ipse Deus per reuelationes diuinitus factas, quibus Anglia, & aliæ nationes Septentrionales incitatae sunt ad huius mysterij cultum. Quod si aliquis noluerit fidem dare reuelationibus, non quidem grex plebeus intexit hanc deuotionem, sed sanctissimi viri, & Antistites Ecclesiarum, sanctus Norbertus, & alij plurimi virtute & doctrinâ perillustres. Præterea tot numero insignes Doctores ex orbe Christiano, qui conuenerant ad Concilium Basileense, & conspirarunt in sententiam & cultum Immaculatæ Conceptionis, exhortatique sunt ad illam populos, non fuit plebecula, sed electissimi Doctores, & sapientissimi viri, quorum deuotioni dicunt aliqui mirabiliter fauisse Deum. Nam, vt testatur Spondanus in continuatione Tom. 1. anno 1439. num. 38. post declarationem Basileensem pro Immaculatâ Conceptione, quamvis non esset Fidei declaratio, nec illud Concilium perseuerasset legitimum, sublata est illic pestis Basileæ. Verba huius Auctoris sunt: *Nihilominus tanta etiam fuit vis huius Basiliensis Decreti, antiquam eiusmodi doctrinam con-*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

firmantis, vt quod alicubi obseruatum reperimus, immediatè post tota ciuitate experimento palpabili remissa sit, quinimò & cessauerit, que uehementer, vt vidimus, grassabatur pestis grauissima.

Illud quidem mihi certum, quòd postquam cœpit magis in controuersiam deduci carentia peccati Originalis in Beatâ Virgine, ob æquiuocationem aut confusionem conceptionis fetalis aut personalis, quod accidit circa tempora sancti Bernardi diuinâ prouidentia sit factum, vt pluribus reuelationibus & miraculis ad tempora opportuna fuerit corroborata pia sententia & deuotio.

Tum etiam per accidentia inopina, & casus tremendos, qualis est ille relatus ab Henrico Spondano, ad annum 1350. in fine, cuius verba placeat referre ob insignem pietatem, quâ hic Præsul valdè utilis Ecclesiæ protequitur gloriam Immaculatæ Conceptionis, qui sic ait: *Eodem anno Monachus quidam Cracouia in Polonia, Paulus nomine (vt referunt ex Henrico de Hassia Carthusiano illius propè temporis Scriptore Ecclesiastico, magnum Chronicon Græcum, Langius, Meyerns, & alij) cùm ausus esset in sacrâ ad populum concione dicere, Deiparam Virginem conceptam fuisse in peccato Originali, subito cecidit, & expirauit, sermone nondum finito; eaque res aliis multis de eadem materia disputantibus grandem incussit timorem. Quòd miraculum mirabantur non retulisse in suis Annales neotericum Scriptorem Polonum, in lectione prædictorum Auctorum versatissimum, quàm plurima longè minoris momenti inserere consuevit, cùm recordati sumus non esse hoc ex palatio suo, suæque familia. Nos sanè pro assertionem Immaculatissimæ Conceptionis Deiparæ Virginis, eiusque propugnatione paratissimi essemus toties vitam profundere, si fieri posset, quoties contingeret eam in dubium reuocari. Idque ex toto animo scribimus & profiteamur, in ipsissima eius festiuitate, anno Redemptionis millesimo sexcentesimo trigesimo secundo.*

Taceo alia miranda, quæ passim inueniuntur in scriptis de hac materiâ memorata; & quidèmiracula confirmantia immaculationem Virgineæ conceptionis plusquam septuaginta afferuntur in Regno Seraphico ex variis Scriptoribus.

Similiter firmata est non sine speciali Numinis prouidentia eadem deuotio per Principes sæculi, qualis fuit Manuel Comnenus, & alij Imperatores Constantinopolitani: tum Reges Europeos, quales fuerunt Aragonici, qui hanc deuotionem promouerunt, sicut & Reges nostri Catholici, & Hispani Monarchæ, Carolus Quintus, & eius successores. Anne vulgus est multitudo maximorum Imperatorum & Regum? Tum etiam per Summos Pontifices Ecclesiæ, quorum non paruum classem retulimus in Tractatu de Perpetuo Obiecto, & multò plures in libro Exceptionum; qui dictis & factis inuitarunt fideles ad hanc deuotionem. Verbis quidem, tum exhortando vt fecit Sixtus Quartus, & alij eundem secuti Pontifices: tum collaudando deuotos huius mysterij à populis vsque ad Reges. Sicut Gregorius Decimus quintus collaudauit in Breui particulari Hispanensem populum ob eam deuotionem quam etiam vocauit *solidam pietatem*, in alio Breui Hispanum extollit Regem. Sicut & Innocentius Octauus in diplomate *Inter mura*, Reginam Catholicam, ob eiusdem Immaculatæ Conceptionis

nis affectum & cultum. Factis etiam extimularunt ad hanc deuotionem multifariam, scilicet institutione Festi, concessione Indulgentiarum, dedicatione templorum, approbatione Religionum, & aliis modis.

Item Diuina prouidentia enituit in huius mysterij augenda deuotione per celebriores Vniuersitates orbis Christiani. Hic profecto non apparet vulgus, sed gens electa, & regale Sacerdotium. Placetque immorari nonnihil in ostendenda deuotione doctissimarum Vniuersitatum, & earundem Doctorum, ut constet, non vulgus, non idiotismum, sed magnam sapientiam esse tueri piam sententiam, & colere illibatam omnimodamque puritatem intemeratae Virginis: exemplisque fide dignarum historiarum id praestabo.

In primis occurrit quod narrat Trithemius in Chron. Sponheim: Quidam Doctor Parisiensis, nomine Ioannes Veri, homo temerarius & praesumptuosus (inquit Trithemius) die Conceptionis purissimae Dei genitricis in Oppido Dieppe Rotomagensis Diocesis, publice in ambone praedicare aulus est, Beatissimam Virginem purgatam ab Originali peccato, & non praeseruatam. Ex qua praedicatione grandi oborto scandalo, citatus ad Vniuersitatem Parisiensem, propositiones suas decimoquinto die Septembris publice reuocare & abiurare compellus fuit, cum iuramento non aliter se in posterum sensurum aut praedicaturum, quam praefata Vniuersitas determinasset. Biduoque post, nempe decimoseptimo Septembris congregati in conuentu Maturinensi octoginta duo sacrae Theologiae graues Professores, viri doctissimi, in praesentia totius Vniuersitatis, vno ore, vnaque sententia statuerunt, neminem deinceps Vniuersitati adscriptum iri, quin prius se Beatissimae Dei genitricis a peccato Originali praeseruationis assertorem, strenuumque propugnarem pro viribus futurum iuramento confirmaret. Quorum exemplo prouocati sacrae Theologiae Professores Vniuersitatis Colonienensis biennio post simile statutum condiderunt, & altero subsequente biennio Moguntina. Ecce qualiter sapientia Europa, non vulgus idiotarum arsit Immaculatae Conceptionis deuotione.

Nec minus feruens fuit Parisiensis Academia, cum Ioannes de Montefono quadam sua lectione magistrali multas positiones Theologicas de Beatissimae Virginis Conceptione in peccato Originali protulit contra communem Vniuersitatis opinionem, quinimmo & adeo contra honestatem Christianam, ut etiam prolata de quibuscumque mulieribus abominabilia censenda forent. Quas cum iussus a Magistris Vniuersitatis retractare renuisset causa ad Episcopum Parisiensem delata (erat is Petrus de Ordeomonte) Ioannes clam recedens, Auenionem se transfudit, spe reperiendi ibi multos, qui eius propositiones propugnarent. Interim vero Episcopus iis diligenter examinatis, solempni facta supplicatione eadem publice damnauit. Prouocans autem ab eius sententia Ioannes ad Sedem Apostolicam, non paucos habuit defensores. Sed missis ab Vniuersitate Auenionem Petro de Alliaco, Aegidio de Campis, & Ioanne de Nouailla Ordinis sancti Bernardi, in sacra Pagina Magistris, & Petro de Allainuilla, Ordinis sancti Benedicti, Doctores in iure Canonico, confirmata est censura Parisiensis, & Ioannes iussus a Clemente Parisios redire, & Vniuersitatis correctioni submittere. Quod cum promi-

fisset, nihilominus nocte sequenti in Aragoniam vnde oriundus erat, aufugit. Hac Spondanus.

Prodidit etiam memoriae Iuuenalis in sua Historia, pleniusque Auctor manuscriptus citatus a Spondano, fuisse eodem tempore quemdam alium Professore Rotomagi, qui publica concione sententiam Montefoni sustinens, eam euidenter se probaturum spondit, & nisi praestaret, velle se vocari *Huenum* (quod nomen idem Auctor ait vulgo dari consueuisse daemoni, cum passiones aereae ultra modum sauebant) ac conditione cum risu accepta a populo, cum non potuisset satisfacere, tam ibi, quam vbiuis res audita est, eiusdem opinionis defensores nuncupari coepisse *Hueros*: compositosque in eius opprobrium versus, ad id nominis alios, quos recitat. Putaturque a nonnullis hac occasione institutum fuisse ibidem Rotomagi annum praemium veruum, seu poematum, quae fieri consueuerunt in honorem Conceptionis Beatissimae Virginis. Adeo Schola Rotomagensis, & praecipua eius ingenia pro Immaculata Conceptione laborant.

Narrat Trithemius, Abbas Sponheimensis, in Chronico sui Monasterij, se scripsisse Commentarium de laudibus sanctae Annae, matris Beatissimae Dei genitricis, qui extat. Cumque in eo de purissima conceptione Dei genitricis mentionem fecisset, quemdam Wigandum Cauponem, hominem quidem satis doctum, sed temerarium & superbum, Opus, quoad puritatem Conceptionis, impugnare voluisse; verum ab ipso Trithemio valide, & cum irrisione fuisse repulsum: eaque occasione aduersus Wigandum plures alios viros doctissimos, defensores Marianae puritatis, metro scripsisse & prola: donec post biennium Wigandus opinionem suam edito alio Opusculo abiurauit. Nihilominus consortes eius in Curia Romana apud Alexandrum Papam subdole aduersus Trithemium egisse, sed nihil profecisse. Habuit enim Trithemius sibi constantissime adhaerentes Vniuersitates, Parisiensem, Coloniensem, Tubingensem, totumque Ordinem Carmelitarum, Ordinem Minorum, S. R. E. maiorem partem Cardinalium, Archiepiscopos, Episcopos, & Principes multos, ac penes omnem in Germania Clerum, viros doctos atque eruditos innumerabiles.

Neque plebs restitit misero illi Theologo Viennensi, sed alius quidem Doctor, imo Deus; nam sicut aliqui narrant; In ciuitate Condomij quidam sanctae Theologiae Magister Viennensis contra Immaculatam Conceptionem cum Magistro Odone, Carmelitano, coram magno populi congregato coetu in Ecclesia Cathedrali conuenit disputaturus. Cumque iam propositionem suam in medium producere vellet, subito mente captus & caecus effectus fuit, cunctis, qui adstabant, admirantibus. Ad domum deductus, post dies octo, eadem amentia & caecitate perdurante, miserabiliter est mortuus. Alanus sub ancilla 7. ait, se hoc ab illis accepisse, qui praesentialiter adfuerunt.

Satis iam credo persuasum manebit, maiorem & primu locum in hac deuotione habere eam partem, quae in Orbe prima est & dignior; non vulgaritas, sed sanctitas & doctrina, quam secuta plebs, non mirum si illi consonet; imo dignum est, ut consonet; idque a Summis Pontificibus expetitur, qui

Iuuenal. in Carol. 6.

Spond. in contia. ad ann. 1387.

qui propterea instituerunt Conceptionis festum, multis Indulgentiis illud ditantes, vt celebrius coleretur. Vnde igitur potest verè dici, plebem præuenire iudicium Apostolicæ Sedis, cum solum illi obsecundet, cum potius Sedes Apostolica populos præuenit ad hanc deuotionem augendam, præstititque in fauorem piæ sententiæ quantum videtur fieri potuisse, præter definitionem de Fide.

Miror etiam, quòd dicatur præueniri iudicium Apostolicum per vota & iuramenta facta, cum hæc iuramenta cœperunt postquam Sixtus IV. præuenit Christianum populum, incitauitque ad colendam Immaculatam Conceptionem, quod accidit anno 1476. Sic in eius obsequium præuenta Parisiensis Vniuersitas anno 1497. introduxit iuramenta; quam Vniuersitas Colonienfis anno 1499. secuta est; & mox vtramque est imitata Vniuersitas Moguntina, & has ferè omnes aliæ Vniuersitates Christiani orbis. Nec desinam hic memorare, quod Martinus Conuest Tom. 2. Consoliat. 28. sæculo. 5. ait: *Vniuersitas Colonienfis, Almam Parisensem noua ratione superauit: non enim iure iurando solum voluit obligari actus externos; verum, & sensum animi iuramento, in Conceptionis gloriam deuincere; vt & sentirent, vera esse; nec in mentem quippiam admittere, quod Immaculata Conceptioni repugnaret.* Duo hic aduertenda: Primum, hæc iuramenta non fuisse cœpta à plebe, sed à Doctõibus & Ecclesiasticis. Vnde perperam tribuitur plebi præuentio Apostolici iudicij. Alterum est, quòd præuentio non est nisi ex Summis Pontificibus, qui sanctam & Immaculatam voluerunt celebrari Virginis Conceptionem. Cum enim Pontifices variis modis cœpissent colere Immaculatam Conceptionem, secutæ & obsecutæ illos Vniuersitates, præterquam quòd eorum defenderent Decreta, eandem etiam Conceptionem voluerunt colere eximio Religionis & sacri cultus actu, iuramento scilicet præstito in honorem illius: quod gratissimum fuit Sedi Apostolicæ, cum nuperrimè publicatas Extrauagantes, *Graue nimis, ægrè ferebant nonnulli & pessimè interpretabantur: tunc enim Vniuersitas Parisiensis, vt obsequentem se ostenderet Romanæ Cathedræ, Pontificiasque ageret partes, iuramentum illud præstitit, imò hodie etiam huiusmodi iuramenta cedunt etiam in honorem Pontificum, cum applaudant Decretis Romanæ Sedis, instituentibus Immaculatæ Conceptionis festum, incitantibusque ad cultum huius mysterij, cuius actus religiosi iunt.*

Præterea, quomodo potest dici per hoc iuramentum præueniri iudicium Sedis Romanæ, cum ipsum iuramentum sit, aut comitetur illud insignis actus obedientiæ Sedis Romanæ, & eximia protestatio summæ eius potestatis, veritatis & assistentiæ Spiritus sancti, cum in formulis huiusmodi iuramentorum expressè denotetur conformatio & obedientia ad determinationem circa hanc materiam Apostolicæ Cathedræ.


Mirabile quoque est, quòd similia dixerit contra iuramentum Immaculatæ Conceptionis, qui præstitit iuramentum de sequendo sancto Thomâ, & defendendo eius opiniones, in quo iuxta suum intelligendi modum comprehendit defendere maculatam in Conceptione Deiparam. Qui fieri potest, vt istud iuramentum sit laudabilius illo: istud amplectatur, illud calumnetur, acceptetque quod non ita est consentaneum pietati, Summis Pontificibus, & cõmuni Ecclesiæ assensui.

Iuxta dicta ardor populorum in colendam Immaculatam Conceptionem non est adscribendus auctibus vulgi, sed incitamentis Romanorum Pontificum, exemplisque doctiorum. Verum est, quòd plebs cum immodicis significationibus & magno strepitu soleat suum affectum demonstrare. Attamen ipsa non præcedit doctos in veritatis assertionem, sed excedit in acclamationis fragore.

Simile quid accidit in controuersia diuinæ maternitatis ante eius definitionem in Concilio Ephesino; nam populi valdè exandescabant contra negantes illam, vt colligitur ex variis Epistolis sancti Cyrilli, & eadem Synodo, atque ipso die, quo damnatus est Nestorius contrarium asserens, mira expectatio, lætitia & feruor fuit populi, quem ita describit sanctus Cyrillus in Epistolâ ad Clerum populumque Alexandrinum, & extat in Concilio Ephesino Tom. 2. cap. 25. *Vniuersus vero ciuitatis populus a primo die ortu vsque ad vesperam sacra Synodi iudicium auidè præstolabatur. Vt autem cognitum est, infamem illum blasphemiarum auctorem sua dignitate eiectum esse; omnes uno ore sacram Synodum laudare, Deumque, quòd Fidei hostem dericisset, glorificare cœperunt. Neque his contenti, nos quoque, ubi primum Ecclesia egressi fuimus, cum lampadibus & iadis vsque ad diuersorium duxerunt. Erat enim vespera, multaque passim lætitia ac familia plurima collucebant. Nonnullæ quoque mulieres thuribala gestantes nos præbant.* En expectatio populi, & læta exultatio sequens, non præcedens, obsequens, non præiudicans sententiæ Ecclesiæ.

Atqui quantumvis feruor plebis fuisset festiuor; affectus tamen Doctõrum erat solidior, vt constat ex sancto Cyrillo Epistolâ ad Nestorium, in quâ ipsum collocutus, ait: *Dignare iis, qui offensi sunt, dictionem hanc largiri, vt beatam Virginem Deiparam voces, vt his, qui contristati sunt, medentes, & rectam ubique sententiam habentes in pace & concordia populorum Ecclesiasticos conuentus celebremus. Nec dubitet autem pietas tua, nos omnes ad hos paratos, vt patiamur, & carceres quoque, ipsam etiam mortem experiamur.* Hoc dixit sanctus Cyrillus suo, & aliorum Præsulum atque Ecclesiæ Doctõrum nomine, ante definitionem eius veritatis in Synodo Ephesinâ, sicut & modò dicunt multi docti, Immaculatam Conceptionem defendentes. Henrici Spondani verba superius allata hoc pollicentur.

Confirmat præcipua, quæ diximus hæctenus, acolithia huius deuotionis, quam assignauit Archiepiscopus Cælaraugustanus, Petrus Gonzalus de Mendoza, in edicto exhortatorio pro Immaculatâ Conceptione, nimirum deduci ad populos hanc pietatem ab Spiritu Ecclesiæ sanctæ, à deuotione Romanorum Pontificum, ab exemplo Vniuersitatum, & à zelo Ecclesiasticorum Antistitum. Non itaque plebs ignorans, quantumvis deuota, hanc initiauit deuotionem, sed gens docta, sancta, selecta, imò Ecclesiastica auctoritas, Regia Maiestas, Pontificiaque Indulgentia, fauor, deuotio, omniumque cum populis concors sensus, communisque assensus, certissimum venerandumque mysterium commendant atque extollunt.



EPISTOLA VIII.

De assensu fidelium ad Immaculatam Conceptionem; & an fuerit Ecclesiae Christianae reuelata.

Ad Reuerendissimum & Religiosissimum Patrem Petrum Manerum, Ministrum Generalem Franciscanae obseruatiæ.

GRATIAS Deo ago, tibi habeo, mihi gratulor tuam deuotionem Marianam, Reuerendissime Seraphici in terris Ordinis Pater & Princeps, Pientissime Deiformis Angelorum Reginae fili & serue, Religiosissime eiusdem illibati Conceptus cultor: cum nimium te exultare intellexerim ob communem honorem, quo populi fideles Immaculatam Deiparae colunt Conceptionem, acclamantque. Et merito obinde summam gestis letitiam, cum id sit suffragium publicum huius veritatis, & quasi quaedam diuina reuelatio eiusdem, eo modo quo post edicam. Tanti enim faciendus est hic assensus totius penè orbis Christiani, ut magnus ille vir, orthodoxorum dogmatum eruditissimus illustrator, noster Dionysius Petauus, id maximum, imò vnicum argumentum amplexetur incontaminati MARIÆ Conceptus, cuius sententiam, quoniam tuo gaudio arrideat, non grauabor hic presentare. Etenim in Tom. 4. Theolog. dogm. parte secundam lib. 14. cap. 2. hæc dixerit: *Sanctissimam Dei Matrem ac Virginem existimo non solum omni proprio & actuali, ut vocant, delicto caruisse, verum etiam Originali; sed eatenus persuasum istud habeo, ut hoc ad fidem spectare nolim, neque damnandum credam, aut seuerius appellem qui secus sentiat: nec aliam ratione denique tueri sin paratus animo, quam quæ ab Romanis Pontificibus, & Tridentina Synodo, id est ab Ecclesia Catholica Romanaque præscribitur. Mouet autem me, ut in eam sin partem propensor, communis maximè sensus fidelium omnium, qui hoc intimis mentibus, atque defixum habent, & quibus possunt indicia officisque testantur, nihil illa Virgine purius, castius, innocentius, alienius denique ab omni sorte ac labe peccati procreatum à Deo fuisse. Tum verò nihil cum inferis, & horum rectore diabolo, adeoque cum qualicumque Dei offensa & damnatione commune unquam habuisse. Admonet autem nos egregie Paulinus, Nolanus Episcopus, grauis in primis Auctor, ut de de omni fidelium ore pendeamus: quia in omnem fidelem Spiritus Dei spirat.*

Epist. 4.

Præclare Ioannes Fischerus Roffensis, in Angliam quondam Episcopus, quanti ponderis sit publicum istud Catholicorum omnium suffragium, non impetratum, expressumve præscripto aliquo, sed sponte sua editum, docet in libro, quem pro Angliæ Rege contra Lutherum scripsit, cum de Communionem vtriusque speciei disputat in 3. cap. Nam inter argumenta cetera, quibus com-

mune institutum propugnat, illud affert, quod nulla præceptorum vi, sed consensu quodam tacito, tam populi, quam Cleri semper irrepsit dicta consuetudo, &c. & quasi tacitis omnium suffragiis recepta fuit, priusquam illo Conciliorum Decreto legimus eam fuisse formatam. Tum ita pergit: *Apud eum populum ea consuetudo nata est, qui Spiritu sancto regitur. Nemini enim dubium est, Ecclesiam Spiritu sancto regi, nisi quis forte Christi non crediderit Euangelio. Nam in eo promissus est Spiritus ipse sanctus, Spiritus, inquam, veritatis, ut in Ecclesia maneat in perpetuum, & ut eam doceat, & ducat in omnem veritatem, annuntietque quod Christi est, & quod audierit à Christo, &c.*

Scitum illud est Augustini, singulorum mentibus reuelari quædam à Deo; non solum cum extraordinariis modis, velut visis & ostentis, & huiusmodi significationibus occultum aliquid innotescit; verum etiam visitatis rationibus, quando quid ignotum erat, vel orantibus ac pulsantibus, vel aliud agentibus aperitur. Itaque causam hanc non semel reddit, cur priorem opinionem posteriore immutauerit, quod cum nondum antea sibi Deus nonnulla reuelasset, tandem ea patefecerit. Cuius rei vnicò hic alteròve exemplo contenti erimus. In primo libro de Prædestinatione Sanctorum cap. 1. de illis loquens, qui, ceteroqui Catholici cum essent, & à Pelagianorum errore plurimum abhorrentes; de Christi tamen gratia non omnino rectè sentiebant, quod eius initium aliquod & rudimentum naturæ viribus imputarent, hoc est fidem, vel credendi voluntatem. Contra eos ergo disputans, in primis dictum hoc illis accommodat Apostoli: *Et si quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus reuelabit.* Tum ita perrexit: *Adhuc quippe in questione caligant de Prædestinatione Sanctorum. Sed habent unde, siquid aliter in eâ sapiunt, hoc quoque illis reuelat Deus, si in eo ambulent, in quod peruenerunt, &c. Proinde, si in eis ambulent, & orent eum, qui dat intellectum, siquid de Prædestinatione aliter sapiunt, ipse illis hoc quoque reuelabit.* Et cap. 4. libri eiusdem, aliquando se versatum in eodem fatetur errore, sed mutasse sententiam Apostolico illò testimonio conuictum. *Quid habes, quod non accepisti, cum hac de re aliter saperem, ait, quam mihi Deus in hac questione soluenda, cum ad Episcopum Simplicianum, sicut dixi, scriberem, reuelauit.*

Sic in lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 2. explicare se dicit ea quæ in libro Genes. traduntur, non præiudicantem meliori diligentiorique tractatui, siue per se, siue per alios, quibus Dominus reuelare dignetur. Vbi reuelationem appellat rei obscuræ patefactionem, quam Dominus labori industriæque studiosorum hominum indulget.

Ad hunc itaque modum reuelasse credendus est Deus Christianis integrum illum immaculatæ Virginis Conceptum, hoc est, eius tum notitiam aspirasse, tum quam Græci *αληθοφαν*, Latini *firmam persuasionem* nominant, tametsi nondum plena, & quæ in Catholicum dogma transierit, facta sit illius fides.

Hæc sententia Petauij, quæ eò magis habenda est, quatenus ei firmius & profundius adhæsit; aded, ut non habitam ratione auctoritatis multorum Patrum, quos pro opinione affirmatiuam profert, quamvis non probè intellectos. Nihilominus

hilominus sententiam negatiuam, tametsi eam inducit destitutam Patrum præsidio, prætulit ob solam validissimam apud ipsum rationem assentientis illi populi Christiani. Et quidem non immeritò cum Sancti Patres, & potissimum Sanctus Augustinus maximi fecerit hunc Populi Christiani consensum; unde in Epistolâ 99. comprobans Salutem Adami, quòd eum solueret Dominus Inferni doloribus, ait: *De illo quidem primo Homine Patre Generis Humani, quòd eum ibidem soluerit, Ecclesia ferè tota consentit: quòd eam non inaniter credidisse credendum est, unde decumque hoc traditum sit etiamsi Canoniarum Scripturarum hinc expressi non proferatur auctoritas.* Itaque non desiderat Canonicam Scripturam Augustinus, ubi adest consensus Ecclesiæ, quamvis non totaliter; sed ferè totalis. In Epistolâ etiam 7. ad Marcellinum, similiter dicit: *Scripturarum auctoritas necessaria non est, sed ipse consensus communis, ita verum esse proclamat, ut quisque contradiderit, dementissimus habeatur.* Tum etiam lib. 1. contra Iulianum hæreticum utebatur ad probandum dogma, plebis Christianæ consentientis suffragio, quam hostis despiciebat. *Non tibi, sicut calumniaris, solum populi murmur opponimus, quauquam ipse Populus aduersus vos propterea murmure: quia non est talis questio, qua possit etiam cognitionem Populi effugere.* Item, lib. 10. de Ciuit. cap. 14. Doctrinam Fidei probat hoc argumento: *Quia cum doctis, atque indoctis, tot, tantique Populi conuenere.* S. Bernardus, cum multi nollent Pontificem admittere Innocentium I. eos arguit Epistolâ 126. quia *Conuenere Populi in unum Reges, & Sancti, Iudicium Dei euidenciam facti proclamans; quia ad adorandum Innocentium I. conuenere.* Contra eosdem ait: *Et tamen adhuc hi, nescio quâ contentiosâ importunitate, & importuna contentione reclamant, vocant in causam Orbem, & cum sua paucitate Vniuersitatem flagitant iudicari.* Sic Acacius in Conc. Chalch. ait: *Ecclesia Dei Prouincia Ægypti maior est, & fide dignior.* ibidem act. 4. clamant legati Apostolici, non possunt decem homines præiudicium facere synodo trecentorum Episcoporum.

Accedit ad dicta, quòd non solum multitudo fidelium ex plebe hominum, sed etiam sapientiores Ecclesiæ Doctores his tribus aut quatuor vltimis sæculis eam sententiam pro viribus tutati sint; aded vt, licet non inuenirentur ex antiquitate qui eam protegerent, sufficeret ad veritatem eius tot Doctorum & Præsulum posteriorum auctoritas & conspiratio. Ided adnotauit Ioannes Gerson Tom. 4. Serm. de Conceptione in primâ consideratione: *Quòd Spiritus sanctus interdum reuelat Ecclesiæ vel Doctoribus posterioribus aliquas veritates vel expositiones sanctæ Scripturæ, quas non reuelauit eorum prædecessoribus.* Sic dicit Gregorius, Dan. 12. *Pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia Domini.* Ided Moyses sciuit plusquam Abraham, Prophetæ plusquam Moyses, Apostoli quam Prophetæ, & Doctores addiderunt multas veritates ultra Apostolos. Quapropter dicere possumus hanc veritatem, Beatam MARIAM non fuisse conceptam in peccato Originali, de illis esse veritatibus, qua nouiter sunt reuelata vel declarata, tam per miracula qua leguntur, quam per maiorem partem Ecclesiæ sanctæ, qua hoc modo tenet. Fuit tempus aliquod, in quo non teneba-

tur generaliter MARIAM Virginem esse in paradiso in corpore & anima, sicut modò tenetur; & similiter per institutionem Festi Natiuitatis sancti Ioannis, Natiuitas Domina nostra ordinata fuit per reuelationem vnus solius femina, & multa similia. Statim addit in considerat. 2. *Omni tempore Doctores in sacra Scripturâ instructi auctoritatem habent exponendi & declarandi veritates, qua ex ipsâ sequuntur, & sicut habuerunt Doctores antiqui.* Et si dicas, quòd non habent talem sanctitatem; respondeo, hoc non impedire, quin talem habeant auctoritatem, quemadmodum Prælati noui similem habeant auctoritatem cum antiquis ad eorum populum gubernandum, licet non talem habeant sanctitatem. Hæc ille.

Aliam considerationem addere possumus maximi quidem ponderis; quoniam Pontifices Maximi, Vicarij Christi, & veritatis columnæ, non solum tolerant, non solum annuant, sed etiam inuitent, prouocent & hortentur populos Christianitatis, vt Immaculatam Conceptionem colant & celebrent, concedentes, vt hoc faciat grex fidelis, plurimas gratias & indulta, quemadmodum fecit Sixtus IV. in constitutione *Præexcelsa*, quem secuti sunt Concilium Tridentinum, & alij plurimi Summi Pontifices. Quòd si populorum simplex assensus tantum argumentum est, prout iudicauit Petauius, quanti est æstimandus, incitatus ab ipsius Ecclesiæ Capite, continuâ tot annorum iucellione. Hæc officia Summorum Pontificum non sunt mihi minoris ponderis, quam assensus simplex populorum. Contradictio autem aliquorum paucorum respectu vniuersalis Ecclesiæ, non minuit vim huius communis assensus, imò fortasse auget, nam præterquam quòd pauci reputentur pro nihilo comparatæ ad maximam multitudinem acclamantium Conceptam sine labe Virginem, maior videtur vis huius communis assensus, cum omnibus contradictionibus præualuerit; fortior quippe est color, quem nix non tepefacit.

Ex dictis poterit conici, quo sensu & in modo queat dici hæc veritas reuelata Ecclesiæ, vt eam certam habeat, quamvis non sit declarata de Fide; certam tamen illam declararunt status Christianitatis, & facta Pontificum, quamvis verbaliter aduersus affirmatiuam opinionem non sit acrius præscriptum, quam ex Decreto Gregorij XV. prohibentis eius affirmantem enuntiationem, cum exceptione Tridentini Concilij nolentis comprehendere Virginem in Decreto de peccato Originali; tum etiam fortasse, quòd legimus Decretum à Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. in Bullâ contra propositiones Michaelis Baij, quas (inquiunt) *in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & inpias aures offensionem immittentes respectiue, ac quacumque super iis verbo scriptoque emissa presentium auctoritate damnamus, circumscribimus & abolemus.* Inter has autem propositiones, quæ septuagesimo tertio loco numerantur, extat ista: *Nemo præter Christum est absque peccato Originali; hinc beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque eius afflictiones in hac vita, sicut & aliorum iustorum, fuerunt vltiones peccati actualis vel Originalis.* Hæc propositio, vt minimum, videtur sortita minimam ex dictis censuram.

Redeo ad Petauium, qui contentus, & quasi raptus pondere illius rationis de assensu & acclamatione fidelium, non attendit profundè, vt solet, alias considerationes, quæ in fauorem Immaculatæ Conceptionis, vel contra, inter Auctores de hac materiâ reperiuntur, quos non videtur studiosè legisse; & oportet, ne auctoritas huius viri nocimento aliquibus sit, ostendere, in quibus minus diligens speculatus fuit. Allegat sanctum Augustinum sentientem contra Immaculatam Conceptionem, eiusdem testimonia producens satis vulgaria apud alios Scriptores, quibus plenissimè ab iisdem satisfactum est: nam quæ specialiter loquuntur de Virgine, solum dicunt, carnem peccati habuisse; quæ locutiones eò tendunt, vt solum significetur, quòd sanctissima Virgo ex se & suapte naturâ Originali peccato erat obnoxia, debitumque illud contrahendi habuit, & de facto illud contraxisset, nisi ex speciali priuilegio ab eodem diuinitus præseruata fuisset. Vel quòd caro Virginis fuit caro peccati, non quidem ipsius caro singularis & indiuidua, sed in communi & vniuersali loquendo, ad hunc sensum, quòd ex suâ formali & specificâ ratione, & ex eo quòd humanam naturam habuit cum aliis omnibus hominibus communem, naturali modo, & per rationem seminalem conceptam: reuerà natura sua erat caro peccati; quia ex suâ formali ratione in aliis hominibus Originali peccato oritur inquinata & infecta. In hoc sensu supradicta propositio erit vera; in alio verò falsa (loquendo de suâ naturâ singulari & indiuiduâ) vt sic enim ex speciali Dei priuilegio ab omni peccato Originali & actuali fuit diuinitus præseruata. Sed dices, hoc stare minimè posse; nam in eo sensu etiam Christi Domini caro dici posset caro peccati, quandoquidem habuit humanam naturam eiusdem speciei nobiscum, & quæ in aliis hominibus ex Adami delicto oritur infecta & inquinata Originali peccato. Sed huic obiectioni facilè responderetur, magnum in hoc esse discrimen; quoniam caro Christi Domini non fuit quidem naturali modo & per rationem seminalem concepta, sed virtute Spiritus sancti: & præterea, quia ex vnione ad personam diuinam humana Christi Domini natura non habuit capacitatem contrahendi Originale peccatum, quam habuit in factâ Virgine, quæ de facto illud contraxisset, nisi ex speciali priuilegio præseruaretur.

Sed æquè miror præcipuam Augustini & aliorum Patrum rationem ad comprehendendam Virginis Conceptionem sub peccato Originali asseri à Petauio, esse ob necessitatem Redemptionis, comprobans hoc ex lib. 6. Augustini ad Iulianum, quasi ingenium illud Augustini non agnouisset redemptionem præseruatiuam ab instanti periculo, quam quidem egregiè nouit & docuit Commentariis in Psalm. ad illa verba Psalm. 85. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*; vbi inquit: *Eruiſſe Deum animam suam ex inferno inferiori dixit, quia liberavit eum à talibus peccatis, per qua posset deduci ad tormenta inferni inferioris: quemadmodum si Medicus videat imminentem agritudinem forte ex aliquo labore, & dicat; Parce tibi, sic te tracta, his tibi vitare; nam si non feceris, agrotabis; tu autem si feceris, & saluus eris: rectè dices Medicus, Liberaſti me ab agritudine: non in quâ eras, sed*

in quâ futurus eras. Nescio quis habens causam vileſtam, mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruiſti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicit, De ſuspendio me liberaſti: In his omnibus non erant, sed quia talibus meritis agebantur, vt niſi ſubuentum eſſet, ibi eſſent: inde ſe rectè dicunt liberari, quò per liberatores ſuos non ſunt permiſſi perducì. Quid, quaſo, amplius aut clarius dici potuit? ad ostendendum iuxta sacra Scripturâ phraſim, & congruentiſſimum loquendi modum, non quidem improprium atque abuſiuum (vt quidam perperam dicunt) in Redemptione Chriſti Domini duplex reperiri, & propriè redemptionis genus, alterum ſubleuatium, quo quis liberatur ac redimitur à malo in quo actu exiſtit: aliud verò præſeruatium, quo ſimiliter liberatur ac redimitur à malo, non quidem in quo actu exiſtit; ſed quòd incurreret, niſi præſeruetur.

Contra ipſum Petauium eſt, quòd annumeret Bernardum inter aſſertores immaculatæ Conceptionis; cum tamen certum videatur non fuiſſe ad id impulſum Bernardum ob illam rationem Redemptionis: quoniam non ſolum nouit redemptionem præſeruatiam, ſed eam docuit, eiſdemque facit Angelos participes Sermon. 21. ſuper Cantic. vbi de Angelis loquendo inquit: *Redemptos quidem eos fuiſſe per Chriſti ſanguinem, non ab aliquo peccato, quò commiſerint, ſed ab eo, quò commiſiſſent, niſi diuinâ gratiâ præſeruentur. Et poſtquam prædictam ſuam doctrinam ſtatuit, ad maiorem eiſdem explicationem contra eam arguendo, ſic inquit: At Angelis quomodo redemptio fuerit, non video, nec enim auctoritas Scripturarum vſpiciam aſſentire videtur, eos peccato extitiſſe captiuos aut morti obnoxios, vt neceſſariam haberent redemptionem. Si igitur Angeli numquam redempti ſunt, alij vtique non egentes, alij non promerentes, alij quia non lapſi ſunt; ij autem, quia irreuocabiles ſunt, quo pacto tu dicis Dominum IESVM CHRISTVM eis fuiſſe redemptionem?* Huic obiectioni reſpondet his verbis: *Audi breuiter: Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo ne laboretur, ſic illum de captiuitate eruens, ſic hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtrique redemptor, ſoluens illum, & ſeruans iſtum.* Itaque & in intelligendis Patrum verbis, & eorum autumandis rationibus, non fuit, qui ſolitus eſt, Petauius.

Tum etiam miror, in tanto viro minoris æſtimari, dici à plurimis Patribus immaculatam carnem Virginis, ad adſtruendam Immaculatam eius Conceptionem, quam ij, qui dixerunt carnem peccati, ad non aſſerendam illius Originalem immunditiam. Cur enim debebat intelligi concepta in peccato, quòd aſſeratur caro peccati, & non deberet intelligi concepta ſine maculâ, cum aſſeretur caro immaculata? Miror eruditiffimum virum non meminiffe tot Doctorum Concilij Baſileenſis, qui pro eodem reputarunt immunem eſſe Virginem à peccato Originali & actuali, ac eſſe immaculatam. Tum Sixti Quarti & aliorum Romanorum Pontificum, qui indifferenter notarunt omnimodam eius munditiam, dicentes iam Virginem immaculatam, iam Conceptionem Immaculatam, de quo cap. 9. Exceptio

Exceptionum diximus. Possuntque componi dicta Patrum solum specie tenus contraria, si dicatur animationem Virginis fuisse sine peccato Originali: nam in hoc casu posset dici caro eius peccati, ob debitum illius contrahendi, & simul immaculata: quia contractum illud non habuit sanctissima Virgo. Quod autem addit Petavius, dici etiam homines conceptos in peccato immaculatos, vt cum dicitur in Psalmo: *Beati immaculati in via*, parum refert; quoniam non loquuntur Patres de qualibet nuncupatione nominis *Immaculati*, sed de absolutâ & antonomastica & speciali, personæque particularis & in nouo Testamento: nam in veteri non extiterat Christus & Beatissima Virgo, quæ personæ verè & propriè, & omnino, & antonomastice immaculatae sunt. At verò cum in veteri Testamento tales personæ non essent, non mirum, si attribueretur sanctioribus nomen *Immaculati*, maximè cum nec absolute illis tribuatur. Sic cum dicitur, *Beati immaculati*, additur, *in via*, id est, modo operandi, non absolute & omnino. Dauid etiam dixit, *Immaculatus ero*; hoc ipsum indicat, aliquando non fuisse talem. Iob quoque, qui agnouerat & supposuerat se in peccato conceptum, postea se dixit immaculatum de presenti, non de præterito, sicut alij significantur immaculati de futuro in Scripturâ. Modus autem, quo vocant Patres Virginem Immaculatam, absolute, antonomastice, & passim, non inuenitur similis in aliis Sanctis, & specialissimum, & grandius aliquid supra omnes filios Adæ indicat, de quo videri possunt Exceptiones nostræ.

Sed & hoc ipsum confirmo ex eodem Petauio, qui parum sibi consentaneus, & vt videtur, inconsequenter dixerat in fine capitis antecedentis, quod est primum libri 14. *Quod ab omni culpa suapte voluntate concepta immunis Beata Virgo fuerit, saltem illa suadere possunt Græcorum ac Latinorum Patrum elogia quæ ἀφάρτων, id est impollutam & incontaminatam illam nuncupant, & eiusdem modi titulis exornant, quæ antecellentem omnibus, & singularem vitæ integritatem & innocentiam continent.* Cum igitur ipse Petavius affirmet per appellationem incontaminatæ, impollutæ & immaculatæ affirmari à Patribus puritatem actualem Virginis, ita vt nunquam vel veniali culpâ fuerit infecta; cur non etiam significarunt puritatem Originalem, cum multò plus contaminet Originale peccatum, quàm veniale? Duas huius reddit rationes in capite secundo Doctor iste. Vna est, quod ipsi Patres, qui supposuerunt in Virgine peccatum Originale, eam nihilominus vocarunt Immaculatam. Sed miror, non aduertisse, quod etiam ij ipsi Patres, qui tribuerunt Deiparæ peccatum veniale, similiter etiam vocarunt illam Immaculatam. Vnde omnino eneruatur Petauij ratiocinatio. Cur autem Patres, qui Virgini adscripserunt culpam venialem, nominarunt nihilominus illam Immaculatam, iam diximus in libro Exceptionum; nimirum, quia non negarunt illi puritatem Originalem: Quod autem supponit Petavius esse aliquos Patres, qui nuncuparunt Virginem Immaculatam, & tamen tribuissent illi labem Originalem, non probat, nec mihi videtur id posse probari in primi millennio Ecclesiæ, de quo etiam in eodem egimus Opusculo.

Altera ratio non magis apta est, scilicet, quod

vocentur in Scripturâ immaculati alij homines, qui contraxerunt Originalem labem; nam etiam iidem homines contraxerunt venialia peccata. Vnde æqua ratio vtriusque est; nec subsistere potest obseruatio Petauij, quò minùs Patres significant omnimodam puritatem Virginis, dum appellent illam Immaculatam.

Accedit ad hæc, quod Patres Græci iis terminis illam sic appellent, vt illius immaculationem superlatiuo modo ostendant etiam in adiectiuis positiuis, quæ deinde adaugent nouis superlatiuis, vt non semel notauimus. Quemadmodum enim apud Latinos ampliores elationem significat *celsus* quàm *altus*. Deinde *excelsus*, licet in se sit nomen positiuum, vim tamen habet superlatiuum respectu nominis *alti*; vt perinde sit ac altissimus. Deinde *præexcelsus* superlatiuo æquiualeat collatione factâ ad *excelsum*, & tandem *præexcelsissimus* tamquam triplicatum superlatiuum noua exaggerationis addat incrementa. Sic Græci denotant omnimodam Virginis puritatem similibus & maioribus compositionibus nominum, & superlatiuis ter germinatis. Neque enim vocant Deiparam solum *agnem*, scilicet puram aut immaculatam, sed *achranton*, quod est quasi superlatiuum respectu nominis *agnes*, significans eximiam & absolutam immaculationem: neque hoc solo vtuntur nomine; sed addunt nouâ compositione *panachranton*, tum etiam super istam adiciunt aliam, *hyperpanachranton*, super quam est etiam alia superlatio, & epitalis, *hyperpanachrantotatos*. Similibus compositionibus vtuntur cum nomine *amomos*, *amiantos*, & aliis. Vnde satis colligitur nequaquam exclusisse puritatem Originalem in his nuncupationibus.

Præterea in modo loquendi Patrum antonomastico, absoluto & exaggeranti, nequaquam exclusere Conceptionem, sed eam quoque admiscere Immaculatam; in quo mihi videntur falli Aduersarij, reputates minùs fauere purissimæ Conceptioni nuncupationem Deiparæ Immaculatæ, quàm appellationem Conceptionis Immaculatæ. Nam, vt nonnulli rectè obseruant, hæc duo si cohærenter sumantur, idem planè sonant, nec sunt duo, sed vnum & idem. Nimirum Conceptio seorsim à Deiparâ, non est aliud quàm passio & productio effectus in subiecto. Passio autem illa non est capax maculæ Originalis, de quâ solâ hîc agitur: sed ea capacitas tantum cadit in subiectum gratiæ & carentiæ illius, quod subiectum est anima, vt bene notauit Caietanus: aut, vt alij volunt (& nunc nobis perinde est) subiectum peccati est voluntas implantata animæ. Vel ergo Aduersarij admittentes Deiparam esse Immaculatam, hoc tribunt Deiparæ pro toto tempore vitæ eius, comprehenso primo animationis instanti; & sic perspicuè secum pugnant, cum renuunt agnoscere Conceptionem, id est Virginem, prout primæ animationi siue conceptui substantem, esse immaculatam: vel certè cum concedunt, Deiparam dici Immaculatam, id admittunt tantum de tempore vitæ Deiparæ, post primum instans: & sic quoque secum pugnant. Nam denominatio *Virginis Immaculatæ* absque addito restringente, fert vt absolute & simpliciter, atque ad eò per totam vitam beata Virgo omni labe & maculâ caruerit, quod Aduersarij dissentunt. Deinde vox *Immaculata* non potest in Deiparam cadere pro reliquo tempore, si ei


1. 2. quæst.
2. 3. art. 2. & 3.

non

Hom. 24. in
Epist. ad
Ephes.

non quadravit pro primo instanti : quia attributum *Immaculata* profert veluti Virginitatem spiritualement animæ per elongationem ab omni mortali peccato , quod sanctus Chrysostomus vocat *animæ de virginationem*. Sicut ergo virginitas corporea sonat omnimodam corporis integritatem nullo impuro commercio violatam ; & nullus Virginitatem dixerit mulierem , cuius nitor corporeus non sit illibatus : etiam si post carptum aliquando florem illum depereat sanctimoniam & corporis munditiam : ita non potest dici Immaculata , quæ fuit aliquando maculata , quantumcumque postea niteat & emaculetur ac sanctificetur. Simile est de attributo *innocentia* , quod perspicuum est non cadere in eum , qui aliquando grauerit impegerit , etiam si postea respuerit , & perfecte reuenerit ad animæ sanitatem. Igitur (vt præmittebam) si Deipara absolute & absque addito dicitur *Immaculata* (quod Aduersarij non renuunt) debet quoque censerī caruisse peccato Originis in primâ animatione , quod est dicere , *Conceptionem fuisse Immaculatam*.

Hæc dixerim , non vt derogem iudicio & eruditioni doctissimi viri ; nec ego sanè possem derogare : maius enim est nomen eius , quàm exigua eruditio mea. Ea solum animaduerti , vt ostenderem quantam vim intulisset acerrimi iudicij viro illa ratio communis assensus , vt cetera non attendisset , nec iudicasset ad vnguem examinanda. Nec ego examinare plura velim , neque enim opus est , vt , quæ cœpta est familiaris Epistola , degeneret in prolixam disputationem , vt tibi fastidio sit , cuius potius gaudio congratulari studui.



EPISTOLA IX.

De Concilio Ariminensi , & Anabaptismo , quomodo non obstant assensui Ecclesiæ communi circa Immaculatam Conceptionem.

Ad Semieruditum.



IN his , quæ de communi Ecclesiæ sensu differui pro Immaculatâ Cōceptione desiderat ardor tuus refutatum à me Aduersariorum responsum , obiicientium Arianismum & Anabaptismum , quos inualuisse in omnem penè orbem , siue Ecclesiam , dicunt. Hic tuus ardor nimia pietas est , non nimia eruditio. Nam si historias Ecclesiasticas legisses , inuenires ea esse insignia mendacia ; si scriptores neotericos pro illibatâ Conceptione , reperires satis repulsa ; si Aduersariorum scripta , occurrerent fortassè tibi verecundiora , vt talia asserta non fuerint ausi machinari : solum vnus vel alter , diuersæ quidem frontis , temerè illa pronūtauit , cui propterea respondere contempsisti tamquam ignaro eruditionis Ecclesiasticæ , parumque Ecclesiasticæ venerationis deuoto , hoc est , neganti sereno in meridie So-

lem clarum , qui dignus potius risu aut contemptu esset , quàm responsione ; ac propterea etiam eruditissimus Dionysius Petauius cum maximopere commendasset communem Ecclesiæ sensum , has obiectiones contempsit , nihilque ad eas dixit , tamquam indignas vt in disputationem inter homines doctos conferantur. Verùm à te requisitus , cogor non illis respondere , sed tibi satisfacere , quòd ea obiecta tam sint indigna responso , quàm non digna auditu , & cum temeritate prolata , vt etiam hinc constet , quàm sint leuia tela , quàm parum solida , quàm nimium frigida , quàm multum callida , quibus aliqui veritatem impetant , eam potius roborantes quàm improbantes , dum se fatentur veris destitutos armis , cum picta contorqueant , vt non videatur credibile , nisi specietenus ei aut auersari , aut dissentire , & solum velint contendere , nec tamen sperent vincere ; sæpè enim cum aliqua causa perabsona defensatur , seipsam non contionam veritati declarat.

Is igitur ille ex Aduersariis quicumque sit , cuius nomen erubuit sciti , obiicit , Arianam hæresim vniuersam propè Ecclesiam infecisse ; quare communis eius sensus non ita solidum veritatis erit argumentum. Hæc obiectio omnino falsa est , & contra Ecclesiasticas historias , vt postea demonstrabimus. Sed demus aliquam verisimilitudinem habere. Miranda est , vt aduertit quidam doctus , peritia hominis , qui ex eo quòd multitudo errantium officiat veræ Fidei luminibus , infert , quantumuis ferè tota Ecclesia (per paucis ex vnâ sacrâ familiâ , ac ne omnibus quidem intra eam degentibus , exceptis) consentiat in vnum sensum atque iudicium ; parui esse faciendam eam tantam totius ferè Ecclesiæ consensionem. At nos aliter edocti sumus de Ecclesiâ Christi & Sponsâ loqui & sentire : non esse innitendum multitudinis corruptâ , quantumuis numerosa in ferendâ sententiâ , docuit nos ipse Deus , Exod. 23. sic præscribens : *Non sequeris turbam ad faciendum malum , nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ , vt à verò denies*. Vbi Abulensis latè prosequitur , non esse adhærendum sensui multitudinis etiam totius populi in pronuntiando de re quapiam , nisi agatur de re ambigua ; tunc enim (præsertim in practicis) quia plus vident oculi quàm oculus , censendum esset , posse facilius errare vnum intellectum , quàm tot aliorum stantium in contrarium. At cum veritas liquida est , non si mundus vniuersus in contrarium feratur , fas est à verò recedere , & turbæ adhærere , quantumuis numerosæ. Haustum id à Platone , qui in pronuntiatio de rebus , præter peritiam deposcit fortitudinem , ne obstupfactus multorum clamoribus , ignauè cedat , & contra quàm par est , ferat sententiam. Vnde ortam poëtarum Siculorum & Italicorum , ad numerosi vulgi iudicium se fingentium , deprauationem exoptulat. Idem pluris esse debere paucorum sapientum , quàm vulgi innumerabilis sensum confirmat. Pessimè præterea rem geri , vbi suffragia non ponderantur , sed numerantur , statuit Æneas Syluius. Hoc igitur facile damus , quoad humana quoque negotia. Et idem multò magis seruandum esse in dogmatibus , docuit nos sanctus Athanasius integro Opusculo nono , vel potius Theodoretus , cuius esse ea Opuscula perperam tributa sancto Athanasio docemur ex Photio ; vnde hæreticos quandoque gloriaros de suâ numerositate explodi à Patribus sæpè obseruauimus. Longè verò aliam esse rationem sensus , quo ducitur

ducitur vniuersa propè Ecclesia Catholica, frustra monerem. Itaque Aduersarij scutum ex comparatione Ecclesie Catholice & synagoge Arianorum non est tutum, nec repellit telum intortum. Aptè sunt isthæ cdicta.

Verùm negandum omnino est, communem Ecclesie sensum adhæsisse Ariane hæresi. Nec ullus hoc probare potest. Solùm allegatur sanctus Hieronymus dixisse aduersus Luciferianos, *Ingemiscens totus orbis Arianum se esse miratus est*; nempe sub Liberio Pontifice, cum in Ariminensi Synodo (vt scribit idem Hieronymus) *Nicana fidei damnatio conclamata est*. Hinc autem potius colligitur contra Ariane hæresim extitisse Ecclesiam, vt bene expendit eruditissimus D. Antonius Calderon in cap. 5. suæ Apologiæ: *Nam si ingemuit totus orbis, & Arianum se esse miratus est*; ergo re ipsâ non erat Arianus. Quid enim miraretur se, quod non nisi sponte esse poterat? An Luterani mirabantur se esse Lutheranos, Caluinistæ Caluinistas? Res ita se habet. Probauerunt Patres Concilij Ariminensis formulam Fidei à Valente Ariano propositam, in quâ Christus dicebatur Deus, Dei Filius, ante sæcula ex Patre genitus, Patri similis, non esse creaturam, vt sunt ceteræ creaturæ, de Deo Patre esse, & ante omne tempus. Quæ omnia refert Hieronymus prædicto loco. Hæc formula Catholicis tolerabilis est visa, quia in eâ videbantur Ariani ab errore suo recedere, quamuis silebatur vox *substantia. & consubstantialis* in Nicænâ Synodo stabilita. Solutio Concilio iactabat postea Valens, se nihil Ariane doctrinæ contrarium admisisse; non enim negauerat Filium esse creaturam; sed esse *vt sunt cetera creaturae*, nempe, quia præstantissima creatura est. Circumuenti quidem sunt Catholici in eo Concilio hæreticorum dolis & vafritie, & in eo culpam merito possunt, quod in eâ formulâ passi sunt non exprimi vocem *consubstantialis*, de quâ præcipua lis erat; non tamen propterea aut in hæresim inciderunt, aut Ariani censendi sunt, nihil enim in his, quæ approbarunt, continetur, quod non sit Catholicæ Fidei consonum, si rectè intelligatur. Quare ingentem iniuriam, & punitione dignam eis irrogat, qui dixerit *Arianam hæresim fere in omnes inualuisse*.

Iuuat etiam audire nonnulla ex Batonio ad annum 359. qui postquam Hieronymi verba retulisset, subdit statim num. 43. *Num, quia Valens in hæreticum sensum verba illa detorsit, fiet, vt quadringenti Episcopi in optimam, potiorémque significationem eam sententiam interpretari, euaserint hæretici ex Catholicis? Absit: cum præsertim noscatur, quod explicatio illa Valentis fuerit subdola potius cauillatio, quàm quæ posset ex regulâ illâ Fidei interpretatio germana deduci. Nec omittenda sunt quæ postea addit: Quod rursus pertinet ad Ariminense Concilium, illud accuratius animaduertendum est, ab aliis damnatum vt impium, ab aliis verò commendatum atque probatum vt Orthodoxum, quod illius considerandi diuersa fuerit ratio diuersorum. Rei tamen veritate perspectâ, non nisi Catholicum, & summâ laude dignum idem Ariminense Concilium meritis appellari, in quo Ariana fidei professio Firmi edita, & Arimini in Concilio recitata, omnium Patrum sententiâ fuit explosa, & Nicæna confessio cunctorum suffragiis stabilita; ac demum ei aduersantes, cum Ariani omnes, tum denique*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

qui præsto erant, Ursacius, Valens, ac socij, omnium sententiâ anathemate condemnati: quibus omnibus absolutis, quorum causâ vocati erant, Concilium pariter perfectum est. Similiter & Franciscus Longus in Chronico ad eundem annum dixit: Omnino Ariminense Concilium vt Catholicum debet ab omnibus probari, in quo Fidei Sirmiana professio omnium sententiis fuit explosa, vt Nicæna confessio stabilita, & Ariani omnium sententiâ condemnati. Ecce quomodo in hoc Concilio Ariminensi communis Patrum sensus stetit contra Arianos, non pro illis.

Verùm quamuis concedamus omnes Patres Concilij Ariminensis (de his enim loquitur Hieronymus) in Ariane hæresim lapsos fuisse, quod tamen est falsissimum; Quin inde? An propterea de vniuerso orbe Christiano idem dicendum est? Minimè: nam præter illos Episcopos erant in Ecclesia multi Sacerdotes ac Religiosi; deinde ingens fidelium populus optimè in Fide Nicænâ instructus, qui veritatem Catholicam amplectebantur.

Tum etiam considerandum est, eodem tempore aliud Concilium celebratum esse Seleuciæ in Oriente. Impetrauerant enim Ariani ab Imperatore Constantio, impiæ sectæ propugnatore, vt quamuis indictum esset vniuersale Concilium, diuideretur in duo, Causas huius Concilij detegit sanctus Athanasius de *Synodis*; neque tamen in Seleuciensi defuerunt Episcopi Fidei Catholicæ propugnatores. Interfuit enim sanctus Hilarius Pictauiensis, & Episcopi ex Ægypto, qui cum ipso pro Nicænâ Fide egregiè pugnarunt; quorum ipse Hilarius meminit, scribens ad Constantium. Non ergo erat tota Ecclesia Consilium illud Ariminense, neque Seleuciense, neque vtrumque: cum enim in vnū non conuenerint, non ita competit eis Ecclesie repræsentatio; imò etiam si competeret, adhuc non erant tota Ecclesia; non enim idem est Ecclesiam repræsentare, & esse. Quare licet illa Concilia prorsus & omnino errassent; non inde sequitur, vniuersum cæterum fidelium errasse, cum, si numerum attendas, exigua pars erat vtrumque Concilium.

Accedit ad hæc, quod non est habenda ratio sensus Episcoporum ex consensu illorum cum Arianis: nam cogebantur dicere ore, quod ipsi corde & mente non sentiebant: iniuriis enim & iniuriis multi coacti sunt ab Imperatore Constantio Ariano subscribere; quod maximè accidit in sequenti Conciliabulo Ariminensi, coacto ob Arianorum astutiam & caliditatem.

Hoc maximè oportet est aduertendum, duo Concilia Ariminensis Synodi nomine insignita reperiunt: vnū legitimum & germanum, Arimini verò habitum, in quo Ariane confessione Sirmij edita, omnium Patrum consensu explosa, Nicæna fides cunctorum suffragio stabilita fuit; quòve Ariani cum Ursacio & Valente, sociisque eorum præsentibus, communi Patrum sententiâ condemnati fuere. Alterum spurium est & illegitimum, alibi verius quàm Arimini habitum; sed hoc nomine appellatum. Prius Catholicum est, & summâ laude dignum: posterius verò Arianorum Conciliabulum fuit; meritoque à Bellarmino inter reprobata reiectum. Sicut igitur ad obscurandam gloriam & auctoritatem

duorum vniuersalium Conciliorum Catholico-
rum, Nicæni & Sardicenis, Ariani alibi eius-
dem nominis Synodos coegerunt; ita ad abo-
lendam hæc priorem, ritè verèque peractam
Ariminensem Synodum Catholicam & Ortho-
doxam, aliam alibi celebrarunt, quam, priore
abrogatâ, Ariminensem nominarunt, & sum-
mis laudibus extulerunt. Vnde sicut Sardicense
ab Augustino, aliisve doctis viris planè reiectum
fuit, quòd ignorarent duplicis generis Sardi-
censis reperiri; ita etiam forsasse accidit, vt Bel-
larminus lib. 1. cap. 6. nullâ factâ distinctione
Ariminensis legitimi ab illegitimo, illud inter
reprobata enumerarit. Hæc ex Athanasio lib. de
Synodis, Ambrosio Epist. 3. 2. Baronio anno 359.
num. 49. 50. & 51.

Igitur peracto Concilio Ariminensi legitimo,
cùm vtriusque partis Legati ad Constantium
venissent, explicaturi quid Arimini definitum
aut gestum esset, Ariani, Catholicis præuentis,
Concilium falsò insimulare cœperunt. Imperator
verò grauitè propter eam commotus, quòd
formulam Fidei, quæ se præsentè Sirmij confir-
mata fuisset, reiecissent, Legatos Catholicos
contempsit, eosque longâ morâ fatigatos ne-
glexit, iubens eos Hadrianopoli, Episcopos ce-
teros Arimini per hiemem expectare, donec ab
expeditione, quam contra barbaros parabat,
reuerteretur. Inteream Ariani Episcopi, qui Nicææ
Thraciæ iussu Imperatoris nouam Fidei formu-
lam ex eiusdem Constantij sententiâ sub Ni-
cæno nomine vulgatam ediderunt, & ad perfidiam
hanc subscriptione suâ probandam, non tantum
Legatos Hadrianopoli, & Episcopos ce-
teros Arimini detentos, præter paucos metu
exilij & tormentorum per vim induxerunt.

Hæc Arimini post legitimam Synodum, mul-
tis antè mensibus absolutam, contigerunt, in
illo Arianorum conuentu: quo nomine *consub-
stantialitatis* abdicato, Christus ex prava Aria-
norum consequentia creatura asserabatur: cui
Liberius reculans subscribere, per Valentem re-
legatus est. Tum etiam Gaudentius Ariminensis
Episcopus per milites fustibus & lapidibus ap-
petitus, glorioso martyrio occubuit. Adeò
effrænis erat Arianorum furor, vt tradiderit Mar-
cellinus Presbyter, Epictetum, Episcopum Cen-
tumcellensem, crudelissimum Arianorum mi-
nistrum, ita sæuissè in Rufinum Catholicum
Episcopum, vt eum ante thedam suam tam diu
currere coëgit, quousque ruptis præcordiis, fuso
sanguine expirauit; qui post mortem miraculis
claruit. Hunc itaque conuentum illi veram
Ariminensem Synodum nominarunt, summis-
que præconiis extulerunt, vt eiusdem nominis
Concilium Orthodoxum & legitimum vel abo-
lerent, vel saltem, quod etiam tempore Sardi-
censis Concilij fecerant, eius gloriam obscura-
rent. De quo potest videri Baronius anno 359.
num. 27. 32. & seqq.

Denique obseruandum est, non dici à S. Hieronymo, Ecclesiam se miratam Arianam esse, sed orbem; quoniam quamuis in totum orbem propagata fuisset hæresis Ariana; Ecclesia tamen intacta manebat, & iam non erant Ecclesiæ, nec de Ecclesia, qui hæresim amplectebantur, quam proximè damnatam nouerant in Concilio Nicæno. Quare minimè opportuna, & nullatenus apta consequentia est ab Arianismo ad consensum Ecclesiæ, sed audax & temerè prolata.

Nec minori temeritate idem ille obiecit contra vim communis Ecclesiæ assensus, quòd sub S. Stephano tota ferè Ecclesia, duobus tantum vel tribus Episcopis resistentibus, in Anabaptismum abierit; neque tamen propter eam Anabaptismus habendus est sanctus. Tam falsum hoc, quàm temerè dictum contra Ecclesiasticas historias, quarum ignorantia non excusat assertum. Nam tantum abest, vt omnis ferè Ecclesia, demptis duobus vel tribus Episcopis resistentibus, abierit in Anabaptismum, vt potius extra Africam, vbi auctoritas S. Cypriani, bona fide errantis, multos abripuit, vix tres quatuorve alicuius nominis Antistites, vt Firmilianus Cappadox, & Dionysius Alexandrinus, S. Cypriano adhæserint, & multa Episcoporum millia cum S. Stephano constanter steterunt, vt tradit S. Augustinus: qui etiam vrgens Donatistas S. Cypriani errore materiali abutentes, vt cum reliqua Ecclesia toto orbe diffusa consentirent, infinites contestatur. Quin etiam multi Africani, ex eodem Augustino, adhæretere S. Cypriano renue-
rant. Et illos ipsos qui ei adhæserunt primùm, breui contrario edito Decreto rescidisse; quòd cum eo de Anabaptismo sanxerant, S. Hieronymus agens in Luciferianos testatur; quod item fecere Firmilianus ac Dionysius, & alij, D. Augustino teste, ac Dionysio Alexandrino apud Eusebium. En quomodo vniuersa Ecclesia, præter tres Episcopos & Pontificem Romanum Anabaptismo est suffragata, vt Aduersarius affirmabat, cum potius tota Ecclesia stetisset cõtra hanc hæresim, vt satis aptè dixit Vincentius Lirinensis, aduersus hæreses cap. 9. ita scribens: *Cum ergo undique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversus Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur: tunc beate memoria Papa Stephanus, Apostolica Sedis Antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen præ ceteris, restitit.* Cùm dicat cunctos reclamasse, & omnes quaquaversum Sacerdotes, ceterosque collegas Stephani Papæ, palàm testatur communem Ecclesiæ sensum contra Anabaptismum esse. Miror tam exigua pietate detraxisse hunc obiectorem Ecclesiæ, vt causam tueretur minus piam.

Lib. 3. contra Cresco.

7. Hist. c. 4 & 8.



EPISTOLA X.

De expiatione & purgatione à peccato Originali, sumptâ à Patribus pro Præseruatione in beatâ Virgine.

Ad eundem.



VRSIM respondebo ad ea, quæ obiter tua me interrogauit pietas: An aliqui Sancti, cùm Virginem dixerint expiatam & mundatam à peccato Originali, significarunt illo prius maculatam fuisse, & deinde abstersam ab illius immunditie. Cùm enim non iudicem vllum ex Sanctis & Patribus antiquis attribuisse Virgini fæditatem peccati Originalis contracti

re ipsâ, neminem cenſeo id ſignificaffe per illum loquendi modum. Econtrâ tamen Aduerſarij per illam locutionem volunt communem multorum Patrum ſententiam eſſe, obſcuratam cum Originariâ culpâ Virginis Conceptionem. Sed omnino deſiunt à vero, cum communiter ſoleant Patres accipere verbum *purgare, expiare, mundare, pro præſeruare, ſeu perficere, aut præparare*. Nam cum de carne Chriſti & puritate Angelorum loquuntur, iisdem vtuntur verbis, in quibus nulla macula præceſſit, ex quâ per frequentem mundationem liberarentur. S. Ambroſius in cap. 8. ad Rom. ait: *Expiata eſt enim à Spiritu ſancto caro Domini, vt in tali corpore naſceretur, quæ fuit Ada ante peccatum*. Magiſter autem Sententiarum lib. 3. diſt. 3. loquens de carne Chriſti, ait: *Credi oportet, iuxta Sanctorum atteſtationes, conuenientiam ipſam prius peccato fuiſſe obnoxiam, ſicut reliqua Virginis caro: ſed Spiritus ſancti operatione ita mundatam, vt ab omni peccati contagione immunis videretur Verbo*. Vbi notandum eſt, allegaſſe Patrum atteſtationem circa hanc ſententiam, aſſentium carnem Chriſti mundatam eiſmodi fuiſſe; qui planè non intellexerunt mundationem à peccato antecedenter inhærenti. Poſtea ſubdit: *Diximus carnem, ſcilicet Verbi, ſimul conceptam & aſſumptam: eandemque, inò totam Virginem, Spiritu ſancto ſuperueniente, ab omni labe peccati caſtificatam*.

S. Dionyſius Areopagita de cæleſti Hierarchiâ cap. 3. S. Maximus in Scholiis, Georgius Pachymera in Paraphraſi, & alij concedunt, Angelos purgari & expiari, conſtituentes mundationem, vbi non fuerat peccati veſtigium. S. Dionyſius loco citato ait: *Ordo Hierarchie hoc poſtulat, vt alij purgentur*. Et turſus: *Ij ergo qui expiantur & purgantur, eam quidem ſententiâ puri omnino effici debent*. Et paulò poſt: *Quibus autem vis expiandi & purgandi data eſt, eos abundantia quadam purgationis, quâ valent, alijs impertiri ſanctitatem ſuam*. Itaque cum Angeli ſancti nullam habuerint ſordem peccati, non accepit Dionyſius verbum *expiandi* aut *purgandi* pro emundatione ab illuſione alicuius peccati.

Novit etiam S. Thomas ſolitum ſumi apud Patres mundationem & expurgationem pro præſervatione, perfectione, ſive præparatione ad meliora, vbi macula non fuit, ſicut in Angelis. Ideò dixit in 3. part. quæſt. 27. art. 3. ad 3. *Spiritus ſanctus in beatâ Virgine duplicem purgationem fecit. Vnam quidem quaſi præparatoriam ad Chriſti conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpa vel ſomitis: ſed mentem eius magis in unum colligens, & à multitudine ſuſtollens*. Nam & Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur, vt Dionyſius dicit 6. cap. Eccleſ. Hierarch. *Aliam verò purgationem operatus eſt in eâ Spiritus ſanctus mediante conceptione Chriſti, quæ eſt Spiritus ſancti opus. Et ſecundum hoc poteſt dici, quòd purgavit eam totaliter à fomite*. Ideò in argumento *Sed contra* dixerat: *Dicitur Cant. 4. Tota pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te. Fomes autem ad maculam pertinet ſaltem carnis: ergo in beatâ Virgine fomes non fuit*.

Atque vt exemplo aliquo ſpeciali demõſtre-mus, quomodo Angelicus Doctõr intellexit aliquos Patres, qui Virginem dixerunt purgatam, Ioann. Enſeb. Op. Parth.

luculenta eſt interpretatio, quam dedit verbis S. Damasceni in quæſt. 3. art. 4. ad 1. vbi loquens de Incarnatione ſive conceptione Chriſti, ait: *Ille conceptio tria priuilegia habuit, ſcilicet, quòd eſſet ſine peccato Originali; quòd eſſet non puri hominis, ſed Dei & hominis: item, quòd eſſet conceptio Virginis. Et hæc tria habuit à Spiritu ſancto. Et ideò dicit Damascenus, quantum ad primum, quòd Spiritus ſanctus ſuperuenit Virgini, purgans ipſam, id eſt præſeruans, ne cum peccato Originali conciperet. Quantum ad ſecundum dicit, & virtutem ſuſceptiuam Verbi Dei tribuens, id eſt, vt conciperet Verbum Dei. Quantum autem ad tertium, dicit ſimul autem & generatiuam, vt ſcilicet manens Virgo poſſet generare, non quidem actiue, ſed paſſiue: ſicut alie matres hoc conſequentur ex ſemine viri*. Ecce quàm perſpicuè verbum *purgare* apud Damascenum intellexit S. Thomas præſeruare.

Obiter tamen aduertendum, ea verba, *præſeruans, ne cum peccato Originali conciperet*, ab aliquibus legi *concuperet*, vt obſeruat doctiſſimus Epiſcopus Oriolenſis in Propugnaculo diſp. 2. art. 3. Et quidem aptior videtur hæc lectio, cum contraria non opportuna videatur. Cur enim neceſſe erat præſeruati *MARIAM, vt CHRISTVS* careret peccato Originali, cum id ex ſua natura habuit; tum etiam ex modo ſuæ generationis ſine virili ſemine? Quòd ſi dicatur id factum, vt *MARIA* ſine peccato Originali exiſtens conciperet Verbum; non multum hoc eſt; nam & Elifabeth ſine peccato Originali exiſtens concepit Baptiſtam. Prætereà non erat opus S. Thomæ interpretatio ad verba Damasceni: nam ſi aliquando habuiſſet beata Virgo Originale, cum omni rigore diceretur *purgata*, ita vt abſurda eſſet interpretatio *præſeruata*. Vnde quòd antea dixerat S. Thomas, assignans primum priuilegium cõceptionis Dominicæ, quòd eſſet ſine peccato Originali; videtur extendendum ad Matrem; ita vt in Matre etiam non fuiſſet tale peccatum: nam non eſt priuilegium cõceptionis Diuinæ perſonæ, quòd careat illo peccato, ſed natura & neceſſitas. Priuilegium autem in illo ſtaret, quòd Mater illam perſonam concipiens, quæ Deus erat, ſine peccato Originali ſemper fuiſſet. Sicut enim alia duo priuilegia ſunt diſtincta ex ſe, & per diuinam omnipotentiam ſeparabilia; ſic priuilegium Cõceptionis ſine peccato Originali deberet eſſe diſtinctum & ſeparabile, quòd non eſt in perſona concepti, cum Deus ſit, ſed in Matre. Poſſet caruiſſe Matrem peccato Originis, poteſt cadere in priuilegium cõceptionis Filij, quòd non ita obſtricta ſit ex hac parte interminationi diuinæ ſententiæ, ob peccatum primorum parentum, ſcilicet, vteri moleſti, puerperij doloroſi, & aliarum miſerarum conditionum, ſecundum S. Iudeſonum lib. de Parturit. Virginis. Hinc etiam ſuadetur parum referre, ſiue dicatur *concuperet*, ſiue vt ab alijs legitur, *concuperet*; vtroque modo videtur referendum ad concipientem, quæ per priuilegium diuinæ cõceptionis caruerit peccato Originali in ſua, vt ſic præpararetur per omnimodam ſanctimoniam illa quæ futura erat Mater Dei, ad hoc ſcilicet vt conciperet diuinum Verbum. Ad cuius Cõceptionis honorem ſpectabat, vt Mater eius in ſua etiam cõceptione decore honoraretur gratiæ. Hæc obiter. Reſtituo me in viam, ſiue potiùs accedo ad terminum.

Ij denique ipsi Patres, qui manifestè asseruerunt beatam Virginem omnino immaculatam fuisse, sine vilo peccato, etiam Originis, mundatam quoque eandem dixerunt, ab illo nimirum præseruatam, prout in opportuno loco admonuimus. Hæc satis festinanti mihi, & expectanti tibi.



EPISTOLA XI.

De Auctore duodecim librorum de Laudibus Virginis, & suffragio Richardi de sancto Laurentio pro illibatâ Deiparæ animatione.

Ad Curiosum.



VAM beati Alberti Magni memones sententiam immunitati Virginis ab Originaria labe opponi, perparum æstimo illi aduersantem; potiùs mihi porrigis anam, vt nouum pro Mariani conceptus immaculatione exhibeam Patronum. Aduertis in volumine de Laudibus beatæ MARIÆ Virginis lib. 12. cap. 6. §. 33. hæc in Alberto verba inueniri: *MARIA amygdalus: quia amaritudinem Originalis habuit in Conceptione, sed eam beneficio sancti Spiritus deposuit in sanctificatione, & facta est tota dulcis.* Nulatenus te ista terreat verba; quòd si terrent, facilem euasione habent, si negetur illud Opus de Laudibus Virginis in duodecim libros diuisum, esse Alberti Magni, sed alterius vetusti Auctoris. Et quidem idem ipsum Opus editum est Duaci anno 1525. sub nomine Richardi de sancto Laurentio, qui ante quadringentos annos floruit. Atque aduertentia de Auctore illius Operis præfixa ad illam Duacensem editionem, satis probat illud Opus esse huius Richardi; cuius autem sit illa aduertentia, non explicatur; sed absque dubio fuit ipij ac eruditi viri Georgij Coluenerij, sacre Theologiæ Doctoris, & Regij ordinariique Professoris, Collegiæ Ecclesiæ S. Petri Duacensis Præpositi, & Academiæ Cancellarij, ac librorum Censoris. Quòd autem non fuerit illud Opus Alberti Magni, satis probatur, quia citet ille Auctor aliquos libros à se compositos, qui non referuntur inter Opera Alberti Magni. Tum etiam nequaquam est stilus Scholasticus proprius Alberti, quo vsus est in Tractatu suo de Laudibus Virginis, qui vnico solo constat libro. Deinde, quia libros illos duodecim non tribuant Alberto Magno ij, qui eius Opera referunt; Trithemius enim cum recensuerit Opusculum de Laudibus Virginis, singillatim adnotat esse vnicum librum, & ad maiorem claritatem assignat eius principium, quod incipiat his verbis in Prologo: *Clara est & que nunquam.* Hic autem est Tractatus super *Missus est*, qui huiusmodi inchoat, & vnicus est liber. Bernardinus Gausolinus etiam in indice Operum Alberti non annumerat duodecuplicem illum librum, licet me-

moret alium de Laudibus beatæ Virginis Commentarium super illud Lucae *Beatus venter, qui se portauit.* Similiter Hippolytus Marracius in Bibliothecâ Marianâ, dum refert Opera Alberti, quæ scripsit, spectantia ad beatam Virginem, nequaquam meminit duodecim librorum de Laudibus; imò illos postea in secundâ parte Bibliothecæ, littera R, tribuit Richardo de S. Laurentio.

Quòd si quæras, quomodo attributi fuerint illi duodecim libri Alberto Magno, facilis profectò error fuit, non malitia; nam similitudo tituli de *Laudibus B. Virginis*, tum etiam principij affinitas, quoniam Tractatus Richardi S. Laurentij incipiat etiam à Salutatione Angelicâ, & hic Tractatus sine titulo Auctoris euulgatus & editus olim fuerit, non est mirum quòd attribueretur Alberto Magno, qui alterum eiusdem librum non perlegisset. Ego enim vidi & legi prædictos duodecim libros, editos Argentinæ anno 1493. per Martinum Simum sine nomine Auctoris, quoniam non erat facile explorare quis fuerit, præsertim cum in fine secundi Prologi non obscure insinuet, sed clarè apertèque scribat in hæc verba: *Nomen verò meum malui subiicere, ne Tractatus fortè vilesceret, cognito tractatore.* Sic ille de se, non alta sapiens, iuxta consilium Apostoli ad Rom. 12. cap. sed humilibus consentiens. Qui tamen ex pio æquè ac pererudito Opere, de Virginis Matris laudibus instituto, haud exiguum nominis doctrinæque opinionem sibi comparare apud posteros potuisset. Alberto autem Magno hæc humilitas, quamvis valde laudabilis, minùs necessaria aut opportuna videtur in culmine magisterij constituto, famæque doctrinæ, & veneratione suæ pietati percelebri, cui iam scripta non plus commendabant, quàm summæ sapientiæ admiratio, siue summus Doctor ob admirandam sapientiam commendabat scripta. Cumque in Tractatu suo de Laudibus Virginis super *Missus est*, non occultauerit Albertus se illius Auctorem, cur dissimularet in alio non quidem maioris æstimationis? Adeò enim præstans est liber ille super *Missus est*, vt dixerit Petrus Prussiensis in Vita Albertinâ: *Fertur autem, & credibile multum, si causa inspiciatur, omnibus videtur, Alberto reuelationem apertam à Dei Genitrice factam, cum de laudibus eiusdem præfatum librum conscriberet; nec hoc mirum, cum tam inaudito modo Virginis laudes dilatare in ipso libro contendit: non enim tantum virtutes animi eiusdem Virginis multipliciter distinguit & enumerat; verum & corporis eius singula membra, cuius fuerint dispositionis, in figurâ & colore disputando, quid probabilius sit tenendum in huiusmodi, vt de corpore etiam laudem habeat, satagit inuenire; & si inuenire non possit quod desiderat, saltem argumenta proponit, pro & contra inspiciens, an hoc an illud opinari queat, ne vel imaginatio præsentia Virginis careat. Inde cuius complexionis fuerit, conatur disputando inuenire, oculivæ cuius colores, & nasus cuius figura extiterit; similiter & de crinibus & ceteris, quæ corporis sunt, indagare studuit. Nec de Nuntio ad Virginem misso tacuit, cuiusmodi colores habere poterat vestis; & de cubiculo Virginis, vel oratorio disputat, quod etiam sanctius templo Iudaico affirmat. Sed & quo tempore, an manè vel vespere, meridie vel nocte Nuntius venerit, ratiocinando inquirat, in quo*

quo actu tum *Virgo contemplationis*, an actionis fuerit, scire laborat: quare autem in ciuitate apertissime facta *Annuntiatio*, & qualiter beata *Virgo ciuitas* est dicta, egregie determinat: ultimo verò & de scientiis gloriosa *Virginis disputans*, non tantum hanc habuisse diuinas scientias, liberalesque artes, sed & *mechanicas diffinit*. Vnde istis & aliis multis pulcherrimis in eo libro consideratis à nobis, stupore tenemur, dicimusque: *Putasne gloriosa Virgo, qua sui memorum numquam immemor est, poterat visionis sue speciem à tanto suo amatore abscondere, & non potius dulcissimâ apparitione ipsum inuisere?* Sic ille.

At si dixeris, quomodo ipse citauerim *Albertum Magnum*, inter alia eiusdem testimonia in hoc etiam Opere duodecim librorum de *Laudibus Virginis*, respondeo, Animum meum tunc fuisse, demonstrare *Aduersariis* hunc magnum *Doctorem* pro immaculatâ *Virginis* animatione, collectis hinc inde eius sententiis ex *Operibus*, quæ sub nomine eius recenter sunt in publicam lucem datæ, comprehensæque in viginti & vno *Tomis*, atque cum in vigesimo sit ille *Tractatus*, volui etiam eiusdem testimoniis uti & frui, ad hominem, ut inquit, argumentatus.

Quoad substantiam autem illius testimonij, quod mihi obiecasti, cuiuscumque illud sit, siue *Alberti*, siue *Richardi*, siue alius fuerit inuentus eius *Auctor*, facile responsum reddo, quod per peccatum *Originale* intellexerit peccatum contrahibile in animâ, nisi diuinâ gratiâ præueniretur, non de peccato contracto in ipsâ animâ, siue, ut cum *Incognito* locuti sunt aliqui, de peccato *Originali* causaliter, non formaliter, siue iuxta *S. Anselmum*, de debito peccati, non de peccato actu ipso contracto, siue iuxta *Albertum Magnum*, de peccato *Originali* potentialiter contrahendo, non de actualiter contracto, siue secundum alios, ex lege communi, non ex singulari priuilegio.

Iuxta hos sensus locutos fuisse multos antiquos, cum dixerunt *Virginem* habuisse *Originale* peccatum, non quia anima *Virginis* caruerit vel minimo instanti in suâ creatione gratiâ, euidens est: quod in libro de *Exceptionibus* ostendi, & patet ex ipsis qui id dixerunt testimoniis, quale est illud *Ioannis Bachonis*, vtu-
tissimi & sapientissimi *Doctores*, qui postquam dixisset *Virginem* conceptam cum *Originali* culpâ, dixit etiam animam eius fuisse sanctificatam in primo instanti conceptionis personalis vllò absque peccato contracto. *Santum* etiam *Bernardum* eiusmodi intellexerunt *Scholasticorum Principes*, *Alexander Alensis*, *B. Albertus Magnus*, & *S. Thomas*: eiusmodi quoque intelligendus est *Auctor prædicti Operis* duodecim librorum, quem iam suppono fuisse *Richardum de S. Laurentio*. Vnde idem ipse in principio lib. 3. dixit carnem *Virginis* ab *Originali* perfectè mundatam, quando in *utero* sanctificata fuit; videaturque tribuere *carni* *Virginæ* peccatum *Originale*; numquam tamen visus est de animâ *Virginis* eiusmodi loqui, cui numquam tribuit carentiam gratiæ in primo instanti. Præterea in lib. 12. pag. 1042. editionis nouæ *Duacensis*, hoc ipsum supponens, profert hæc verba: *Sicut generatur quis primò carnaliter, & postea spiritualiter regeneratur* *Ioann. Euseb. Op. Parth.*

in *Baptismo*, qui dicitur *lauacrum regenerationis & renouationis*, ad *Tit. 3.* Sic beata *Virgo* potest dici concepta in *Originali*, & reconcepta in *sanctificatione*. Et sub hoc respectu potest celebrari *Conceptio* eius. Eadem verba reperiuntur in editione antiquâ *Argentinenſi*, quorum sensus est, quod caro *Virginis* in primâ conceptione feminali fuerit concepta in *Originali*, nimirum causaliter, & propter solum debitum illius; in secunda autem conceptione personali, id est, vnione animæ ad corpus, quam reconceptionem vocat, sanctificatam fuisse, & expertem peccati *Originalis* formaliter & contracti.

Nunc venio ad aliqua ex multis testimonia eiusdem *Richardi* noui *suffragatoris* plenitudini gratiæ *Virginalis* etiam ab ipsa prima origine, quandoquidem non fuerit *Alberti Magni* illo duodecuplex liber. Igitur in lib. 1. cap. 1. sub finem hæc habet *Richardus*: *Ave MARIA: per hoc quod MARIA dictum est AVE, id est sine omni VÆ, notatur immunitas ab omni peccato; unde & ei dicitur Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, ab Originali peccato sanctificata in utero, tota pulchra es, ab actuali, mortali fomite penitus subingato, & macula, etiam venialis peccati, non est in te, in conceptione Filij Dei fomite penitus extincto; & ideo tota pulchra es in opere, tota pulchra in corpore, & macula non est in te in corde. Tota pulchra in opere, per simplicitatē, Matth. 6. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Tota pulchra, in corpore per castitatem, Sap. 4. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius. Tota pulchra in corde per humilitatem, quod est sine maculâ: unde dictum est de *Esther. 2. eiusdem. Erat Esther formosa valdè, & incredibili pulchritudine, omniumque oculis gratiosa & amabilis videbatur. Talis MARIA, formosa valdè, per charitatem, que est forma virtutum, incredibili pulchritudine, per insolitam castitatem, omniumque oculis gratiosa & amabilis, per humilitatem, quam respexit Deus: quia ubi amor, ibi oculus.**

Item de tribus his dicitur *Iudith 11. Non est talis mulier super terram, in aspectu, in pulchritudine, & in sensu verborum. In aspectu conuersationis, in pulchritudine corporis, in sensu verborum, id est interioribus verbis, id est puritate cogitationis. Et sic fuit absque omni VÆ auaritiæ in opere, luxuria in corpore, superbia in corde; hoc est triplex VÆ Apoc. 8. VÆ, VÆ, VÆ habitantibus in terrâ: & sic fuit immunis ab omni peccato. Sed numquid in summo? vique in summo creaturæ. Vnde *Augustinus*: Quotiescumque loquimur de peccatis, nullam de beatâ *Virgine* facimus mentionem. *Anselmus* etiam dicit, quod eâ puritate nitebat, quâ sub *Deo* maior nequit intelligi.*

Multoties in his verbis commendatur *immaculata* *Virginis* animatio; tum quia illi tribuit *immunitatem ab omni peccato*: cumque dicat ab omni, etiam ab *Originali* immunem *Virginem* facit, quod ut minimè sit dubium, singillatim illicò per omne, id est triplex genus peccati, discurrit, *Originale*, *mortale* & *veniale*, probans ab omnibus *immunitatem* *Virginis*, quam dicit ab *Originali* peccato immunem, quia sanctificata in *utero* licet non in prima conceptione fetus, in altera omnino, scilicet in infusione animæ, & constitutione humanæ personæ. Et notandum est eodem modo affirmasse *immunitatem* *Virginis* à peccato *Originali*, sicut affirmat

eamdem à peccato mortali & veniali. Cumque ab his fuerit Deipara immunis, quia numquam illa habuit; non quia ab illis expiata fuerit, sed potius præseruata, eadem etiam ratione immunis fuit secundum Richardum à peccato Originali actualiter contracto. Idipsum confirmat in conclusione suæ ratiocinationis, dicens: *Sic fuit immunis ab omni peccato; sed numquid in summo? utique in summo creatura.* Quomodo posset hoc verè dicere, si peccato Originali fuisset ejus anima contaminata? cum innumera creaturæ rationales sunt, quæ peccatum Originali non habuerunt, scilicet omnes cælestes Spiritus. Deinde dum allegat Augustini & Anselmi præclara testimonia pro Virginis omnimoda puritate, eamdem profectò affirmat Richardus.

Similiter in lib. 11. non longè à principio: *Puritate autem suâ, quæ tanta extitit, quòd maior sub Deo non potuit intelligi, sicut dicit beatus Anselmus, digna fuit illum concipere, sicut dicit Hieronymus, qui suam in nobis reformauit imaginem, per Adam veterem deformatam, quando cera humana natura per illius charitatem & obedientiam calefacta, & effecta tractabilis, sigillo reimpresca est, id est Filio Dei in utero Virginali: idem latius in lib. 4. ex Patribus confirmat Hieronymus: Tanta fuit MARIÆ puritas, quòd portare meruit Regem Angelorum, & domus esse meruit omnium purgatorij. Beatus Anselmus dicit, quòd tantà puritate nitebat MARIA, quanta sub Deo maior nequit intelligi. Alioquin non intrasset in eam illa Sapientia, sicut dicit Fulbertus, quæ non intrat in animam maleuolam, nec habitat in corpore subdito peccatis. Sapientia primo. Propter purissimam enim puritatem eius, comparatur ipsa Soli, cuius radium nec aqua emollit, nec fætor corrumpit, nec ignis comburit, nec gladius scindit, nec vitrum obfistit.*

Excellenter quoque in eodem lib. 4. de Excellentia Virginis loquitur: nam interrogans vnde tanta illi acciderit, respondet: *Ex eo, quòd copiosa est spiritualibus diuitiis, conspicua bonitate, diserta sapientia, tremenda cunctis viuentibus potestate, genere illustris, formâ desiderabilis, immensitate incomprehensibilis, aternitate indeficiens; cuius imperium attingit à mari vsque ad mare, quæ etiam ex dono Filij sui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & cum eo disponit omnia suauiter. Sap. 8. Attingit etiam ubique propter suam mundiciam. Sap. 7. Item ex eo, quòd Virgo existens, in matrem Domini electa est, ut immaculata de munda nasceretur, & ut, sicut in celo Patrem habebat immortalem aternus; sic in terrâ Matrem haberet Virginem incorruptus. Et quia in celo qualis Pater, talis Filius; ideò de terrâ, qualis Mater, talis Filius. In celo cum Patre aternus & immensus, in terrâ cum Matre immaculatus & mansuetus. In celo cum Patre incorruptus & sublimis, in terrâ cum Matre virgo & humilis. In celo imago Patris, in terrâ imitator Matris. Et ideò MARIÆ excellentia ex eo, quòd Filius Dei secundum humanitatem dignatus est ei fieri consimilis. Ideò etiam talem fecit Matrem suam, secundum quod Deus, qualis fieri voluit ex matre, secundum quod homo. Propter hoc de Matre & Filio dicitur Osee 10. Vitis frondosa Israël, id est MARIA, fructus, id est CHRISTVS adequatus est ei. Post aliqua ait:*

Heua dicta est ab A, quod est sine, & EV, quod est bonum, quasi sine bono; quia bonum sibi datum à Domino sibi abstulit & viro, imò & toti posteritati suæ; quia Paradisi porta per Heuam cunctis clausa est. MARIÆ verò dictum est Aue, ab A, quod est sine, & VÆ, quasi sine maledicto; quia non solum sine maledicto fuit quoad se, sed etiam nos à multiplici maledicto, quantum in se fuit, liberauit.

Nec contempnenda est illa ratio, cur Virgo turbata fuerit ad Salutationem Angelicam, quam sic exprimit ipse Richardus: *Quia mirabatur, quomodo benedicta diceretur inter mulieres, cum sciret omnes mulieres maledictas esse in matre suâ Heuâ: & ideò cogitabat qualis esset ista saluatio, quæ & mulierem dicebat, & benedictam.* Supponit his verbis Richardus singularem illam benedictionem fuisse priuilegiam exemptionem à communi Originalis labis maledicto; atque ob hanc excellentem dignitatem & singulare priuilegium humillimam Virginem fuisse turbatam.

In eodem libro columnâ 305. *Adiuuabit eam Deus manè, id est in principio vita suæ, & cum adhuc esset in utero, diluculo tenebras Originalis peccati tollente; & appellat diluculum gratiæ ortum in illâ.*

Item in lib. 5. in principio locutus de Deiparâ, ait: *Tota pulchra es: tota enim pulchra est anima, cui nihil inest spiritualis turpitudinis, id est vitij & peccati, & cui nihil deest spiritualis pulchritudinis, id est gratiæ & virtutis. Talis verò fuit gloriosa Virgo, quæ nec primam similem habuit, nec habitura est in viroque. Propter eâ primum dicitur de eâ Sap. 7. Sincera est, & ideò nihil inquinatum incurrit in illam. Rationes inuenies septimo priuilegio eius. De secundo dicit ipsa Eccli. 24. In me omnis gratia viæ & veritatis, &c. Et benè dicit omnis gratia; nulla enim defuit ei virtus, nec puritas Angelorum, nec fides Patriarcharum, nec scientia Prophetarum, nec patientia Martyrum, nec sobrietas Confessorum, nec innocentia aut humilitas Virginum. Item de his duobus dicit Fulbertus Carnotensis in illâ Homiliâ approbata consuetudinis: *Confidenter asserimus, quòd nullo genere virtutum vacabat, cui plenitudinem inesse gratiæ Dei Nuntius asserbat. Constanter etiam asserimus, quòd anima ipsius, & caro quam elegit, & habitaculum sibi fecit Sapientia Dei Patris, ab omni immunditiâ & malitiâ purissima fuit, attestante Scripturâ, quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis. Cum dicat nihil defuisse Virgini spiritualis pulchritudinis, profectò non debuit deesse pulchritudo iustitiæ Originalis, quod satis etiam declarauit dicens, nec defuisse Deiparæ puritatem Angelorum.**

Idipsum supponens Richardus lib. 3. col. 178. locutus de intemerata Dei Genitrice, ait: *Mortis nexibus in resolutione, hoc est putredine, verme, puluerizatione, omnino immunis ab illâ maledictione, quâ dictum fuerat Ad Gen. 3. Puluis es, & in puluerem reuerteris; & propter hoc comparatur cedro, quæ nec putrescit, nec vermescit, nec ardescit; per ignem enim fiunt cineres, qui sunt puluis. Hic excipit ex priuilegio Virginem à lege generali incinerationis; quare non est mirum, si iuxta prædicta testimonia eam etiam exceperit per speciale priuilegium à peccato Originali*

Originali actualiter contaminante personam humanam, hoc est prolem in vnione animæ rationalis & corporis.

His adijci possent alia testimonia ex iisdem duodecim libris, quæ attulimus, dum de Alberti Magni mente ageremus; tum etiam alia quæ in iisdem libris frequentèr inueniuntur, sed dicta fortasse grata erunt tuæ curiositati, & non ingrata deuotioni.



EPISTOLA XII.

De controuersia Virgineæ Conceptionis decidendâ.

Ad Amicum.



ESCI O, an prudentia tua, an scientia, vel curiositas dictauerit, quod mihi inculcas, nimirum in causâ Immaculatae Conceptionis non esse petendam ab Apostolicâ Sede definitionem de Fide, sed aliam minorem, & quasi canonizationem. Si prudentia tua id censuerit, pro præsentis rerum statu paruum litem habebimus: nam dum id fiat, quod citius sedet turbas & scandala, siue sit beatificatio huius mysterij, siue canonizatio, siue definitio dogmatica, satis mihi est utrumlibet fiat, dum expediat Ecclesiasticæ tranquillitati: nec ad me nunc attinet id discernere; æstimo tamen definitionem vltimam ex se efficacius esse medium aduersus scandala, gloriosius Virgini, & iucundius Fidelibus. Si scientia tua nutaret, existimans non esse materiam dogmaticæ definitionis, mirarer primum, deinde aut erigerem te, aut impugnam. Si curiositas te infliget, ut explores quid ipse sentiam, libenter & breuissimè me explicabo. Neque enim oportet morari in argumento à tot grauissimis Scriptoribus enucleato. Benè quidem memini illius dicti Gratiani, Valentini & Theodosij Augustorum in rescripto ad Symmachum Præfectum Urbis: *Disputare de principali iudicio non oportet; sacrilegij enim instar est.* Idcirco ab antiquis Scholasticis non fuit controuersa definibilitas huius veritatis, sed certam supposuerunt aut dixerunt, imò & desiderarunt nonnulli, qualis fuit Ioannes Bachonius; alij expectauerunt, ut S. Antoninus: nam iudicarunt, id esse dubitare de potestate Pontificum. Et quidem mihi videtur eius contradictio perinde esse ac disputare de principali iudicio Apostolicæ potestatis, atque in eius præiudicium recidere; quoniam Vicarium suum constituit Christus Dominus iudicem controuersiarum Ecclesiæ & Scripturæ, & columnam veritatis. Amplius adhuc Pontificæ potestati derogabitur, postquam Summi Pontifices definibilem censuerunt, supposuerunt & significantur populo Christiano, sicut fecit Sixtus Quartus in Extrauaganti *Graue nimis*, & cum eo, sed post eum Alexander Sextus, & Concilium Tridentinum. Pius Quintus etiam in Constitutione *Super specula*, postquam plura circa hanc controuersiam ordinauit, præcipue, ne

coram promiscuo vulgo aut populo, vulgari sermone quæstio de eâ fieret, licentiam fecit viris doctis in Academiis & coram iis, qui rem capere possent, de eâ agere & disputare. *Quamdiu*, inquit, *per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit, oppositaque sententia condemnata.* Similiter & Paulus Quintus in diplomate *Regis pacifici*, ait: *Donec a Romanâ Apostolicâ Sede huiusmodi controuersia fuerit definita.* Prætereâ, ut testatur Gabriel in 3. Sent. dist. 3. Legati Concilij Basileensis habuerunt à Pontifice Martino Quinto, aut Eugenio I V. vel utroque, secretam instructionem definiendi Conceptionem.

Quòd si compellamus Patres & Sanctos, nullus contra stat, imò potius sanctus Bernardus ita fauet definibilitati Conceptionis in Epistolâ ad Lugduncenses, ut definibilem supponat etiam debiti carentiam, vel secus. Cui etiam consentaneus est Petrus Cellensis in aliâ Epistolâ ad Nicolaum Monachum S. Albani. Sancta etiam Birgitta non modò definitionis capacem habuit, sed in suis reuelationibus prædixit definiendam. Ex Doctoribus Prædicatorij Ordinis Turrecremata in Concilio Basileensi, Caietanus in Lateranensi, Catherinus in Tridentino, censuerunt definibilem, imò omnes vsque ad Melchiorum Canum, & postea Grauinam; qui duo singulares fuerunt.

Valida hoc ratione perspicuum fiet: nam in factâ Scripturâ continentur propositiones vniuersales de peccato Originali contracto à filiis Adam, quales sunt: *Omnes in Adam peccauerunt: Omnes mortui sunt.* Et ex aliâ parte sunt propositiones particulares de beatâ Virgine, quæ affirmant de illâ omnem puritatem & perfectam victoriam de peccato, quales sunt: *Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum. Tota pulchra es, & macula non est in te: Ave gratia plena.* Vel ergo in illis propositionibus generalibus comprehenditur beata Virgo, vel non: si comprehenditur, cur non poterit hoc declarare, & apertum reddere Vicarius Christi, cui traditæ sunt clauis etiam scientiæ & intelligentiæ sacratum Litterarum, maximè cum propositio vniuersaliter clara sit? Si non comprehenditur, cur non etiam poterit hoc edicere Summus Pontifex, sicut fecit Ecclesia in peccato actuali, quæ declaratum habet in propositionibus vniuersalibus de culpis actualibus, non comprehendi Matrem Dei. Et Concilium Tridentinum pronuntiauit noluisse comprehendere Virginem in Decreto de peccato Originali, fundato in illis propositionibus sancti Pauli, excipiens Virginem ab illâ generalitate. Quòd si dixeris, non inde sequi contineri in Scriptura, positiuè caruisse Virginem peccato Originali, sed tantum negatiuè, contra est; quia si exclusa fuerit Virgo ab Spiritu sancto in illa generalitate de peccato Originali contracto à filiis Adam, signum est, caruisse illo; alioqui minimè exciperet. Semel autem excepta, exceptio firmat regulam in contrarium. Quòd si beata Virgo realiter & verè caruit peccato Originali, cum sit tanta ista gratia, non est credibile quin fuerit præsignificata positiuè à Spiritu sancto, cum multa alia spectantia ad Deiparam non maioris momenti prædixerit, nimirum caruisse peccato actuali, pulchram futuram etiam corporaliter, oriundam ex radice Iesse, & alia

l. 3. C. de Crimin. sacril.

quæ in libris Canticorum minutim prædelineata prophetice sunt. Si quaras, unde poterit Pontifex inuenire præsignificatam positiuè puritatem Virginis Originalem; planè in iis locis, quæ dum singulariter agunt de Deiparâ, eximiam eiusdem puritatem commendant sine ullâ limitatione: ex his poterit id declarare. Subsunt enim similia loca Apostolicæ Sedis iudicio & declarationi, maximè suppositis aliis circumstantiis, quæ ad id solent iuuare. Itaque cum sit ista controuersia in Ecclesiâ, atque utrimque allegantur Scripturæ loca, debet subici controuersiarum iudici, constituto à Christo, ne contrarium dicentes faueamus hæreticis. Nec deest Patrum traditio piæ sententiæ, imò aliqui Auctores volunt Apostolicam facere; de quo nos alibi plenius. Multa etiam Concilia illi fauent, & Ecclesiæ communis assensus pro eâ stat.

Quapropter perperam dixit quidam, non posse nihilominus definiri, quia aliquid contra eam habemus in Scripturâ, saltem in genere, nimirum propositiones vniuersales: parum enim hoc refert, nam etiam sunt propositiones vniuersales contra carentiam actualium peccatorum, saltem venialium in adultis, & tamen de fide est, beatam Virginem omni actuali peccato caruisse. Præterea, benè norunt Catholici aduersus sententiam piam nullum Scripturæ locum conuincere, ne contadicant Concilio Tridentino, neganti esse suæ intentionis comprehendere beatam Virginem in Decreto suo de peccato Originali. Sciunt etiam doctrinam esse sancti Hieronymi, Epistolâ ad Damasum Papam, atque quamplurium Doctorum, propositiones vniuersales factæ Scripturæ non semper vniuersaliter esse exponendas: quod etiam affirmat sanctus Fulgentius, de Incarnatione & gratiâ Christi, & constat ex illo Ieremiæ 6. *A minimo usque ad maximum omnes auaritiam sequuntur.* Et ad Philipp. 2. *Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ IESU CHRISTI.* Et Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Et Psal. 115. *Omnis homo mendax.* Et Ioan. Epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mentimur, & nos seducimus, & veritas non est in nobis.* Quæ omnia, & alia sexcenta, quantumuis vniuersalia sint, Virginem Matrem non comprehendunt, quia de lege communi loquuntur, non de priuilegio. Et similiter Ioan. 10. *Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones.* Et nihilominus Apostoli, & plures alij excipi debent ab hac vniuersali regulâ. Adde etiam, quod Doctor Angelicus excipit Moysen à lege illâ communi: *Deum nemo vidit unquam.* Et non pauci Doctores ab statuto generali omnibus moriendi excipiunt omnes illos, qui circa tempus Iudicij reperientur, ut dici possit iudicandos viuos & mortuos. Sciunt etiam hæretici, ut si quis à Catholicis locus sacre Scripturæ conuincere aduersus piam sententiam concedatur, quod possent Ecclesiam Pontificesque condemnare, & commendantes (datis etiam Indulgentiis) Festum Conceptionis in eo sensu, in quo Leonardi de Noguerosis Officium loquitur, quod approbatum etiam est, & commendatum à Sixto IV. & consequenter à Concil. Trident. Pio V. Paul. V. ubi præseruatam ab omni labe beatam Virginem vocat, & Christum præseruatorem eiusdem.

Denique pro exceptione Virginis à fomite, à dolore partus, à corruptione mortui corporis, & similibus (de quibus sunt in Scripturâ propositiones aequè generales, ac de Originali peccato contrahendo) non sunt expressiora in eadem Scripturâ testimonia, quàm quod à lege contrahendi Originale peccatum exempta fuerit.

Miror etiam potuisse ab aliquo dici non esse diffinitionis materiam immunitatem Virginis, quoniam sit res minimi momenti, nec ad Fidem pertineat. Quomodo erit tam parui momenti maxima & singularissima hæc gratia, quàm quia inæstimabilis est? is ipse, qui dixit aded parui momenti esse, soli Christo voluit tribui, quia maximi momenti est. Dicant populi Christiani, an sit minimi momenti excellentia hæc Virginis, quam tot celebritatibus colunt. Dicant tot eruditissima, quæ de hac materiâ volumina edidit magni Theologi. Dicant etiam tot turbæ & concertationes pro hac causa. Quod si ipsa in se fuisset minimi momenti, pax tamen & vnio Ecclesiæ maximi momenti est. Deinde, licet modò non sit de Fide, quoniam non est diffinita, digna est vt diffiniatur, & tunc dignè ad Fidem pertinebit: nam incontaminatio Virginalis corporis Mariani de Fide est, cur incontaminatio Virginalis suæ animæ semper incorruptæ non poterit esse digna, vt diffiniatur de Fide?

Audeo dicere, vt semel maneat declaratum, non esse rem minimi momenti conceptum Virginis sine labe, hoc solum priuilegium maiorem esse illius laudem & gloriam, quàm est magnus cumulus aliarum eiusdem prærogatiuarum, præseruationis corruptionis à morte, celeris resurrectionis, glorificationis corporis, virtutum infusarum, doni prophetiæ, & aliorum gratuitorum; ita vt magis laudent Virginem, qui eius Immaculatam Conceptionem prædicant, quàm qui alia eius priuilegia, prærogatiuas, & gratias gratis datas celebrant. Quoniam maius malum fuisset ipsi Virgini priuari, etiam per momentum, gratiâ sanctificante, quàm carere omnibus prærogatiuis & donis gratuitis, de quibus locuti sumus. Ratio est euidens: quia gratia sanctificans dicit mirificam amabilitatem in creaturâ, quam in eâ ponit amor Diuinus; omnes autem prærogatiuæ & gratiæ gratis datæ non dicunt essentialiter istam amabilitatem; sed hæc amabilitas est maius bonum Virgini, quàm alia bona essentialiter inclusa in prærogatiuis & gratiis gratis datis ipsius Virginis; nam per dictam amabilitatem Virgo constituitur filia Dei, diuinæ sit confors naturæ, seu regeneratur in esse diuino, vt loquitur D. Dionysius, & viuit vitâ spirituali; quia cum ista amabilitas ponatur in Virgine ab amore Diuino, per amorem verò Diuinum Virgo ametur vt filia, & cum Deus amans sit in Virgine amatâ, hæc Diuinæ sit particeps naturæ: & cum idem amor Diuinus vniat Deum animæ Virginis, Deus autem sit vita spiritualis animæ, vt principium est potentiarum & operationum supernaturalium; sic patet, quomodo Virgo per dictam amabilitatem dicitur habere vitam spiritualem. Hinc sequitur, plus laudari Deiparam, dum à peccato Originali præseruata prædicatur, quàm dum aliæ eius prærogatiuæ aut gratiæ gratis datæ recensentur.

recensentur; quia sic maius eius bonum, & maior excellentia commendatur.

Accedit ad hæc; si suspenderetur collatio gratiæ habitualis in animam Virginis per aliquod tempus, licet valde exiguum, quod præter turpitudinem contracti peccati priuaretur heroicis meritis, & diuini amoris actibus, quos iugi incremento intendebat, intensioremque eorum iugiter geminabat, vt docti Scriptores dicunt, ac proinde priuata maneret maximo gloriæ cumulo, eos consequenti. Itaque tria sunt non minimi momenti consideranda in Conceptione Virginis Immaculatæ, quæ ad eius laudem & honorem non minimè spectant. Primum est, priuatio turpitudinis culpæ, ac proinde puritas singularis super omnes filios Adæ: secundum, sanctitas & excellentia gratiæ habitualis: tertium, magna meritum vis & gloriæ cumulus inde exortus. Hæc sanè quia maxima sunt, non possunt minimi momenti esse.

Vltra hæc existimo à tempore Sixti IV. dici posse proximè diffinibilem sententiam piam. Et quidem certissimum est, ab isto tempore non esse condemnabilem, scilicet, diffiniti non posse esse hæreticam. Probatur: quia Ecclesia, siue Sedes Apostolica definiuit contrarium: Sixtus enim IV. in Extrauagante *Graue nimis*, expressè definiuit, eos, qui dicunt esse hæreticum dicere, beatissimam Virginem sine peccato Originali fuisse conceptam, falsum & erroneum dicere. Potest confirmari hæc definitio, ex eo quod multò ante Sixti tempora quidam Ioannes de Montefono prædicauerat, esse hæreticam sententiam dicere, beatissimam Virginem fuisse conceptam sine peccato Originali: & hæc eius sententia fuit reprobata ab Academiâ Parisiensi, vt patet ex Scripto adiuncto ad Magistrum; & eandem reprobauit Papa, vt testatur Robertus Gaguinus, lib. 9. Hist. Francorum. Ista definitio & condemnatio Scholæ Parisiensis habet aliquam vim, sed non plenam: idè nos innititur Decretali Sixti IV. Pontificis, quæ omni dubitatione caret, & quæ est in corpore Iuris. Vnde hallucinantur illi, qui dicunt sententiam communem esse contra Scripturam & Patres: sed oportet eos, qui hæc dicunt, non intelligere Scripturam, nec Patres.

Hinc sequitur, ab isto tempore esse proximè definibilem, cum institutio Festi secundum sanctum Ildefonsum, sanctum Bernardum, sanctum Thomam, sanctum Bonauenturam eam certam fecerit, & minimè dissentientem sanctis Patribus, atque Scripturæ; quæ certitudo, suppositis aliis dispositionibus, est proxima dispositio ad diffinibilitatem. Etenim tunc est lignum proximè combustibile, cum post luctam contrariorum, expulsa humiditate, introducit agens in illud intensum calorem: ita etiam, cum post exactissimas inquisitiones & disputationes Summus Pontifex Sixtus instituens Festum, certum reddidit mysterium, illud quoque statuit in proximâ diffinibilitate: sicut enim calor intensus est proxima dispositio ad introducendam formam ignis; sic certitudo, ex institutione Festi, est proxima dispositio ad infallibilitatem Fidei per diffinitionem. Eadem proximitas continuata est per Concilium Tridentinum, & Decreta sequentia Summorum Pontificum, quæ est facta euidentior.

Accedit ad hæc, quod rationes antiquorum

Scholasticorum, quæ secundum sanctum Thomam, Albertum Magnum, Alexandrum Alesium, & alios, incertam videbantur facere sententiam negatiuam, & fauebant contrariæ, iam non ita subsistant nec iis adè innitantur præcipui Auctores affirmatiuæ, sed alio fundamento; quod omnino falsum est. Fatentur enim rationem redemptionis non obstare, nec propositiones vniuersales Scripturæ, cum ex priuilegio posset Virgo esse præseruata, & cum præseruatione esse etiam redempta à Christo; quod docent magni Thomistarum Principes, & patroni opinionis affirmantis, scilicet Caietanus l. 2. quæst. 81. art. 3. & in 3. part. quæst. 27. arr. 3. Bartholomæus de Medina l. 2. quæst. 81. art. 3. & alij, ita vt Caietanus in 3. part. solum innitatur Patrum auctoritati, vt dixerit probabiliorum suam opinionem affirmatiuam; cum tamen sanctus Thomas minimè allegasset Patres pro illâ. Mirum profectò, vt relictis fundamentis, quæ iuxta Angelicum Doctorem iuuare videbantur Conceptioni cum peccato Originali, architectati sunt nouum fundamentum, quod nequaquam venit in mentem sancti Thomæ, contra omnem epicheiam, & ius rectè interpretandi, cum ratio legis magis attendenda sit quàm littera. Porro falsitatem eius noui fundamenti, quod scilicet Patres stent pro contracto à Virgine peccato Originali, multi Doctores ostenderunt, & euidenter ostendi potest.

Expedire autem diffinitionem, videtur ad tranquillitatem Ecclesiæ, quia præterita Decreta Sixti IV. Alexandri VI. Concilij Tridentini, Pij V. Pauli V. & Gregorij XV. non sufficiunt, vt testantur rumores nuper excitati, præsertim in Hispaniâ, tum pridem in Flandriâ, vt Louanij, in Italiâ, vt Cremonæ, ac sæpè variis in locis, Galliâ exceptâ, propter auctoritatem Theologorum Sorbonicorum, & propter ibi damnatum olim Ioannem Montefonum, & Heluetiâ, ob supplicium ibi factum; & quidem Abulensis iam diu prædixerat hoc litigium fore immortale, nisi accedat definitio. Tum etiam, nè hæretici (vt re ipsâ nunc faciunt) argumententur, consensum Ecclesiæ non facere rem certam, cum tota ferè teneat, præseruatam beatam Virginem ab Originali peccato, cuius contrarium tamen sentire permittitur. Quâ libertate quidam adè solent abuti, vt dixerit doctissimus Ioannes Merinerus, Episcopus Pintianus proposuit. 2. rat. 2. *Hæretici occasione tam diuturna controuersie inter Catholicos, more suo multa ludibria in Catholicos impingunt. Quin ansam sumant ingeminandi calumnias aduersum infallibile iudicium Ecclesiæ, quam ansam præstant Aduersarij, dum ex prætextu, quod veritas Immaculate Conceptionis non est definita, & adhuc sibi restat libertas oppositum sentiendi, ad soluendum ea, quæ ex institutione Ecclesiæ, & ex Decretis Pontificis ipsis obiciuntur, plura respondent hæreticis fauentia.* Rursus, postquam hoc conatus est validè adstruere, addit: *Si prædictis solutionibus hæreticorum dogmati de verbo Dei scripto, fauentibus ansam tribuunt Aduersarij ipsis hæreticis ingeminandi calumnias aduersus iudicium infallibile Ecclesiæ, & non ex alio prætextu solutionis istæ proferuntur (ipsis Aduersariis fauentibus) nisi quod veritas Immaculate Conceptionis adhuc est indefinita, & ipsis permiffum liberè oppositio assentiri. Quis dubitare potest*

potest ad constringendam hanc periculosam ansam, & consequenter ad ora haereticorum obstruenda, conueniens & expediens esse, ut radix huius ansae euellatur? Libertate, quae abutuntur Aduersarij, expolientur. Veritas articuli Immaculatae Conceptionis à Summo Romano Pontifice quam citius è Cathedra declaretur.

Expediet profectò hoc tempore diffinire, ad impetrandam opem beatissimae Virginis aduersus praesentes Ecclesiae calamitates: quemadmodum in simili causâ constat, Urbanum II. & VI. Innocentium IV. & alios Pontifices fecisse nonnullum honorem ipsi Virgini.

Ad hanc diffinitionem minimè dicet, necessarium esse Concilium, qui meminerit, quanta sit auctoritas eius, cui dictum est: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: Confirma fratres tuos: Pasce oves meas: Tibi dabo claves regni caelorum: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, & alia similia, quae in sacra Scriptura sunt. Tum etiam, qui legit quam multa veteres Pontifices absque huiusmodi Concilio diffinierunt: & medio saeculo Benedictus XII. de animabus iustorum Deum videntibus ante iudicium: & ætate Patrum nostrorum Leo X. contra Lutherum, Pius V. & Gregorius XIII. contra Michaëlem Baiam, atque idem Gregorius XIII. contra impugnantes institutum Societatis IESU, & Clemens VIII. contra opinionem de absolutione per litteras, & eodem modo alia permulta. Sicut nuper SS. Pontifex Innocentius X. qui Ecclesiae clauem hodie tenet, diffiniuit, non expectato Concilio, aduersus Bicephalos; & postea aduersus Iansenistas quinque speciales Cornelij Iansenij propositiones hoc anno 1653. tamquam haereticas declarauit, & vti tales damnauit. Et quidem quoad hoc Immaculatae Conceptionis mysterium tota Ecclesia est hodie tamquam continuum Concilium, praestantibus suffragia sua non modò plerisque, sed innumeris Episcopis & Doctoribus, imò & Vniuersitatibus, Religionibus, Regnisque tandem Catholicis.

Magnum enim pondus habet consensus Theologorum, & omnium Ordinum Ecclesiasticorum & saecularium, qui hac de re nunc maximus est. Facit ad hoc quod S. Thomas sentit & docuit, plura Ecclesiae consuetudinem faciendam, quam Hieronymi, Augustini, & cuiuslibet alterius sancti auctoritatem. Plurimi refert praedictus consensus communis piorum, & Doctorum omnis ætatis, sexus, conditionis cum quodam sancto horrore aduersus contrariam opinionem, cum suauitate, gustu & profectu spirituali erga nostram sententiam: sic quidem olim nec aliter Sancti canonizabantur in Ecclesia.

Nec est opus, ad diffiniendum, apertissimis Scripturis, aut communi & omnino claro consensu Patrum: alioqui non fuissent diffinita alia multa, scilicet (ut praeteream beatam Virginem non peccasse actualiter) animas iustorum videre nunc Deum, dari habitus infusos, confessionem esse necessariam recipere volentibus Communionem, si habeant conscientiam mortalis, ut alia exempla praetereamus.

Hæc satis ex plurimis, quæ de hoc argumento dici possent, nec ea dixi, quod puram tuæ eruditioni & sapientiæ esse opus. Satis etiam de tuâ erga Sedem Apostolicam veneratione,

atque erga beatam Virginem deuotione credo persuasum te, diffiniri posse eius Conceptionem; aded, ut si audirem te contradixisse, non crederem ita te sensisse, sed accidisse id, quod Romæ viro doctissimo deuotissimoque Immaculatae Conceptionis, cuius dogmaticam diffinitionem non possibilem tantum tenebat, sed desideratam habebat. Is coniciens non ita facile tunc obtinendam, desideransque celeri medio scandala impediri, quoquomodo facilius posset, saltem per minorem diffinitionem, aut maiorem declarationem, ut ad hoc Aduersarij minus offensos haberet, condescendit cum illis in hac parte, & allocutus minus speculatiue, annuit non posse diffiniri, opinionem affirmatiuam esse haereticam, sed addidit: *Probabiliter, & non prauidicando aliorum iudicio*. Indicans iis verbis suum iudicium pro dogmaticâ diffinitione theoreticè stare, quamuis practicè minorem admitteret, eam scilicet, ut ipse sese explicuit, quæ redderet affirmatiuam opinionem suspectam hæresis, æstimans hoc sufficere ad sedanda scandala omnia, & tollenda. Hoc fortasse est tuum desiderium, sicut & meum est, maior Deiparæ gloria, veneratio Pontificiæ potestatis & tranquillitatis Ecclesiae.



EPISTOLA XIII.

De Arnesto Pragensi, & successione renouati feruoris erga Immaculatam Conceptionem.

Ad Religiosissimum & Reuerendissimum P. M. F. Gasparem Catalan, ex Prædicatorio Ordine designatum Episcopum Ilerdæ.



Is ad te litteris tecum, & tibi congratulari me tua stimulat deuotio erga incontaminatam Deiparæ Conceptionem; hereditata quidem, & quasi per spirituales generationes descendens à sancto Vincentio Ferrerio ad beatum Ludouicum Bertranum; deinde ab hoc sanctissimo viro ad venerabilem Hieronymum Lanuzam; tandem ab hoc Religiosissimo Episcopo, virtutibus & verbis admirando Ecclesiaste, ad te Ilerdensis Sedis meritissimum. Pulchra & casta profectò generatio hæc cum claritate, & eximia sancti Dominici proles, ex cuius familia semper habuit Immaculata Conceptio præclaros aliquos veneratores. Opportunèque tecum commemorabo, quomodo à generatione in generationem non solum persona Virginis beata prædicetur, & eius etiam Conceptio sancta celebreretur.

In hoc enim senescenti mundo placuit Altissimo gloriam suæ Matris nouam semper splendescere, atque à saeculo in saeculum splendidius innouari. Aprè dixit venerabilis Arnestus Pragensis,

De Prærogatiuis
Virg. siue
Mariale
cap. 151.

genſis, quem alij vocant Erneſtum, de quo poſteà agemus: *Iſpe nimiram, qui eſt Dei virtus & ſapientia, ab initio, & ante ſæcula laudauit animam ſuam, & uſque ad futurum ſæculum non deſinet magnificare & honorificare Matrem ſuam. Et ſane memoriam eius venerabilem, & omni laude digniſſimam exhibuit in generatione omnium ſæculorum, ſicut elegit eam in habitationem ſibi ante mundi conſtitutionem, ut eſſet ſancta & immaculata, & in conſpectu eius, & primogenita ante omnem creaturam, quemadmodum Spiritus ſanctus in perſonâ ipſius loquens proteſtatur, dicens: Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret: nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram. Iam eam geſtabat in utero ſuo, quem ipſa poſtmodum vice verſâ mirabili modo portabat in ſuo.* Ad eò enim præceptum honorandi parentes coluit Filius Dei & Virginis, ut antequam fuiſſet mater ſua, repetitis eam honoribus exaltauerit, ab ipſo, inquam, mundi exordio; cur eam deſineret identidem honorare, poſtquam ex eius utero eſt natus? Quos præſtiterat ante ortum eius honores per ſingulas generationes, perſtrinxit idem deuotiſſimus Erneſtus, primus Archiepiſcopus Pragæ, cuius Opusculum, quia non potuit ad manus tuas veniſſe, placet inde carpere ſequentia verba.

Vbi ſup.
Denota An-
neſti oratio.

In principio quippe creauit Deus cælum & terram, ſed tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, eratque omnis terra inanis & vacua uſque ad ortum lucis illius, de quâ poſteà factum eſt corpus Solis, quando *miſit Deus Filium ſuum factum de muliere, factum ſub lege.* Iſta igitur lux noua creatione lucis primæ Angelis viſa eſt oriri, & ex tunc cum ſummo tripudio laudare ac iubilare cœperunt *aſtra matutina*, illæ videlicet virtutes ſuperne, quibus myſterium Incarnationis à principio extitit reuelatum: aſtra etenim vespertina magis proprie dici poſſunt, quibus per Eccleſiam idem myſterium iam completum reuelatum eſt cognitione vespertinâ. Cùm autem ſanctificata eſt Virgo à Spiritu ſancto, tunc factum eſt firmamentum in medio aquarum, id eſt, data eſt ei virtus ab Altiffimo firmans mentem eius, & diuidens cognitionem eius, ut eſſent aliæ ſuper cælos luminofæ coram Deo, aliæ ſub cælo irrigantes vniuerſam ſuperficiem terræ. Sed & aquæ, quæ erant ſub firmamento, congregatæ ſunt in locum vnum, quando omnium gratiarum Virgini data eſt plenitudo, ita ut in reſpectu eius apparet arida, & eſſet ſiccitas in omni terrâ, & ros in ſolo vellere Gedeonis: protulitque terra herbam virentem, & omne lignum pomiferum, quando bona naturalia, quæ in Virginis mente, tamquam in paradifo voluptatis Deus plantauerat ab initio, paulatim ſe oſtendere & aperire cœperunt. Quando verò virtutes & dona, quibus eam Spiritus Domini ornauerat, cœperunt illuſcere, tunc facta ſunt luminaria in firmamento cæli, quaſi ſidera in multitudine. Sed & aquæ gratiarum, volucres cæli, & piſces maris cœperunt producere, quando mens Virginis cogitationes deuotas, & viuas, & affectuoſas, aliàs in cælum per contemplationem volantes per dilectionem Dei, aliàs inferiùs perambulantes ſemitas maris per compaſſionem proximi habebat. Tandem quoque formauit Deus hominem de limo terræ, & de puriſſimis

ſanguinibus Virginis, & ſic die ſeptimo requieuit in tabernaculo Virginis ab omni opere quod patrauit, cuius rei gratiâ ipſa dies Sabbati ipſi Virgini uſque hodie permanet dedicata. In ſequenti quoque ætate & ſæculo memoria Virginis extitit venerabilis, & cum arcâ, in quâ pauci, videlicet octo tantum animæ, omnes ad octo beatitudines pertinentes, ſaluatæ ſunt, eſt fabricata: & quando arcum ſuum poſuit Deus in nubibus in ſignum fœderis inter ſe & inter terram. Sed in terciâ ætate apertius ipſam matrem ſuam voluit honorari in ternis, quando ſancto Prophetæ exemplar illud oſtenſum eſt in monte, in quem deſiderant Angeli proſpicere, & tabernaculum fœderis iuſſum eſt fabricari cum vâſis ſuis, & in ſummâ veneratione ob reuerentiam Virginis poſt tot ſæcula natiuituræ haberi. In quartâ verò multò magis ipſam cœpit manifeſtare Altiffimus, quando & templum in eius honorem à Salomone tam pretioſo ſchemate eſt conſtructum, & Prophetæ ſinguli ad eius ortum exultare cœperunt, ipſamque deſcribere, & mitis exultare præconiis non ceſſabant; quemadmodum ſolent vigiles poſt longæ noctis tedium tubis corneis cum gaudio canere in auroſâ. Nam quintâ ætate, dum quietum ſilentium tenerent omnia, ipſa ſtella maris quaſi aurora conſurgens rutilans proceſſit ad ortum: ſicut enim aurora conſurgens partem habet de caligine noctis, partem verò de luce diei, ita in conceptione Virginis duplex fuit actus, ſcilicet actus perſonæ, & actus naturæ. Secundum quod ibi fuit actus perſonæ, ſic ibi fuit voluntas mouens, & charitas, & gratia, & Spiritus ſanctus; coitus quippe coniugalis poteſt eſſe meritorius, ut dicit Auguſtinus, ſicut fuit in Abraham, quando Sara concepit Iſaac ex eo, quia per obedientiam hoc fecit. Sed quod datum eſt Iſaac, vel Ieremiæ, vel Ioanni, non debet negari datum eſſe glorioſæ Virgini, cui datum eſt, quidquid boni dari potuit: vnde in parte iſta, ſecundum quod conceptio illa conſideratur ut actus perſonæ, ſic fuit ibi Spiritus ſanctificationis, & quaſi lux Dei. In quantum verò conſideratur ut actus naturæ, ſic fuit ibi natura mouens, & fomes peccati; quia ſic fuit ille actus ordinatus ad peccatum Adæ, & fuit ibi libido, & quaſi caligo noctis. Cùm igitur aues minutiffimæ mox ubi ortum ſurgentis auroræ perceperint, iubilare incipiant, & in Dei laudibus exultare, quare culpantur fideles deuoti, qui in die Conceptionis tanti luminis in Dei exultant laudibus, & de tanto munere gratias agunt Domino bonorum omnium largitori? Habent enim oculum non ad opus naturæ, ſed ad donum Dei, pro quo gratias referunt Creatori: item habent oculum non ſolum ad conceptionem, quæ fuit in infuſione ſeminis ſuſcepti à viro, ſed ad illam, quæ fuit in infuſione animæ data à Deo; tunc enim completa eſt conceptio, quando animæ & corporis ſimul facta eſt ſuſceptio, & in iſtâ conceptione potuit ſanctificari, quod & factum fuiſſe piè creditur; alioquin quidquid boni puræ creaturæ dari potuit, ei minimè datum eſſet. Habent item oculum ad illam Conceptionem Virginis, de qua ab origine mundi gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei; vnde ipſa ait: *Nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram.* Fundetur igitur exultatione vniuerſæ terræ ciuitas Domini noua, veniens de cælo; præparata.

præparata, sanctificata, & ornata à Deo, tamquam sponsa viro suo. Hæc est enim Ierusalem illa, super cuius muros constituit Dominus custodiam Angelorum, totâ die & nocte laudantium & dicentium: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.*

Hucusque venerandus ille Antistes. Vbi mirificè Conceptionem Immaculatam proficitur & explicat, plurimam præstans lucem alijs intelligendis Doctoribus.

Post natum autem ex MARIA Dei Filium locupletius ipsam per singulas generationes honorauit, nouas eiusdem inspirans festiuitates, Natiuitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis, Præsentationis, & alias, simulque excitans ad destinata tempora magnos viros, eiusdem studiosissimos cultus, qui in dilectissimæ Matris suæ affectum venerationemque Christianum renouent orbem. Verùm magnâ consideratione est dignum, quantum iudicari Filius Dei honorasse Matrem in Conceptione, vt in huius mysterij celebritate & deuotione voluerit non limitato tempore, sed continuò efflorescere fideles; & ne semel noua esset, d. s. posuit semper innouari. Hinc post Apostolica tempora, ante ætatem S. Sabbæ, in Ecclesiasticis Officijs solemniter fuit. Rursus S. Andreas Cretensis composito eiusdem Canone celebriorem fecit. Mox simul cum Officio Virgineæ Natiuitatis festiuam habuit Ecclesia, vt testatur S. Ildefonsus; ipse etiam, & S. Decrosus denuò illustrarunt. Eodem sæculo eam rursus innouauit S. Ioannes Damascenus apud Græcos, sicut & Beda apud Latinos eodem prorsus tempore. Deinde S. Anselmus & S. Norbertus: paulò post Manuel Comnenus: deinde Concilium Basiliense, quamuis non fuisset legitimum, valdè renouauit hanc deuotionem & festiuitatem. Solemnissimam autem eam fecit Sixtus IV. & præter multas gratias, quibus alij Pontifices eam promouerunt; Pius V. illam præcepit: tandem Gregorius XV. eam clariorem fecit, & quasi de nouo statuit. Adcò siquidem complacuit optimo Dei Filio hoc optimæ Matris priuilegium, vt per illud velit semper recens honorari, suspenditque hætenus semel definiti, vt sæpè sæpius, imò semper reflorescat, referuatque eius deuotio.

Accedit ad hæc, quòd non solum per celebritatis encarnia voluerit Deus festiuorem hanc recreare deuotionem, sed per commendationes Patrum, Doctorumque Ecclesiasticorum, quos ad opportuna tempora ad suam mittit Ecclesiam, vt in eâ suscitent Virgineam deuotionem, & præsertim quoad eius intemperatum Conceptum. Nec tantum per scripta præsentia, & nota omnibus sæculis, sed per multos sepulta annos, tempestiuè detecta & edita, vt nuper factum, editis Operibus sancti Amphilochoij, sancti Methodij, & sancti Andreæ Cretensis; tum Marialibus sancti Germani, Georgij Nicomediensis, & Isidori Thessalonicensis. Item varijs Homilijs Leonis Augusti, Iacobi Monachi, & aliorum, in quibus multa pro incontaminatâ Virginitate formatione inueniuntur, magnamque huic mysterio lucem afferunt; & satis esset certa notitia antiquitatis sui Festi indubitati, quam præbet Canon sancti Andreæ Cretensis; ita vt videatur causa Conceptionis iam prouecta ad culmen.

Ex Latinis etiam denuò sunt aliqui è tenebris in lucem editi pro maiore Virginitatis gloria. Nuper publicatus est Duaci Richardus Laurentius de Laudibus MARIAE, & Patres Societatis nostræ in Bohemiâ, quasi effosso thesauro ditauerunt doctos & deuotos, manifestum facientes Opusculum Arnesti Pragensis de Prærogatiuis Virginitatis, in quo tam clare Conceptionem Immaculatam explicat comprobaturque, quòd necessariò est fatendum ex S. Bernardo, S. Thomâ, beato Alberto Magno, Ioanne Bachone, & alijs pluribus; supponitque ante hos sanctus Anselmus, & post eisdem aduertit Incognitus, duos modos seu actus conceptionis esse; atque in conceptione seminali, non in personali dixisse multos antiquos conceptam Virginitatem in peccato, dumtaxat in hoc intelligentes solum debitum eius.

Hoc testimonium tantò magis est faciendum, quantò Auctoris veneratio maior habita fuit, quem beatissima Virgo iracunda semel visa ad perpetuam pietatem conuertit, ob quam meruit primus esse Archiepiscopus Pragæ, verbisque & operibus potens, egregiam apud omnes famam adeptus. Communis Romanæ Curie vox proclamabat, non habere Alemaniam, imò totam Ecclesiam Dei talem Prælatum, qui obseruaret legem Excelsi. Mortuòque Innocentio Papâ VI. propter ipsius virtutes & mores per aliquos Cardinales in Papam fuit inter alios nominatus. Inter cetera mirabilia, quæ de hoc venerabili Præsule narrantur, illud etiam refertur, quòd digitum S. Nicolai, quem Carolus IV. Imperator diuidere voluit, cum per incisionem inciperet cruentare, suis ad Deum precibus redintegrauerit. Celebres quoque eiusdem Prophetiæ referuntur.

Nec tantum in verbis prædictis venerandus hic Antistes immaculationem Virgineæ Conceptionis est professus, sed in multis alijs locis eidem fuit. Nonnulla dabimus. In eodem capite subdit: *Sanctificauit plenissimè, sicut decuit, Matrem Dei, vt eâ puritate Virgo niteret, qua maior sub Deo excogitari non possit; vnde ipsa quidem nata est non filia Eua, sed filia Aue. Postquam enim à principio vna mulier fecit confusionem in domo Domini: conturbauit ordinem Vniuersi. Primus homo, qui fuerat sine omni VÆ, nomen coniugis meritò immutauit, & transpositis elementis illius à VÆ, vocatum est nomen eius Eua, quòd est interpretatum VÆ, siue calamitas: & istud VÆ transmissum est ad posteros, & regnauit ab Eua vsque ad MARIAM. Vnde & in totius Veteris Testamenti serie non inuenitur vnum Aue, sed separatim, A, A, A, & iterum, VÆ, VÆ, VÆ. Satis audiebatur, A, A, A, propter triplex incommodum peccati Originalis, scilicet infirmitatis in irascibili, pronitatis in concupiscibili, cecitatis in rationabili. VÆ, VÆ, VÆ, propter triplicem scaturiginem peccati actualis, scilicet cordis, oris & operis. MARIA igitur sola fuit à VÆ, & istud verbum salutis ipsa nobis attulit Eua nomine reformato, in signum, quòd per MARIAM futura esset totius reformatio Vniuersi. Illi ergo soli conuenit illud verbum bonum & suauè, illud verbum salutis Aue.*

Item in cap. I. cuius fragmentum, quamuis prolixum, non piget transcribere; delector enim in Marianis laudibus, ad quarum dulcisonam

nam harmoniam facile diuertor, siue importune, siue opportunè occurrant. Patientiam habe in me; & siue spectent ad Conceptionem, siue non, laudes Deiparæ sunt. Accipe quas ille sic eloquitur: Dicitur MARIA lux, quia sicut inser corpora nihil luce nobilius, nihil pulchrius, nihil melius: ita inter omnes creaturas puras MARIA nobilitate, speciositate & bonitate præcellit. De luce dicit Augustinus, quod inter corpora primum locum tenet, & alibi dicit, quod ipsa corporum subtilissimum, quia anima vicinissimum. Vnde per eam agit anima vicinissimum operationes suas. De MARIA autem dicit Bernardus 1. Serm. de Assumptione: Iure MARIA Sole perhibetur amicta, quæ diuine Sapientie profundissimam, ultra quam celi valeant, penetrauit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturæ conditio patitur, luci ineffabili videatur immersa. Vnde Sapient. 7. Super omnem dispositionem stellarum, id est Angelorum, luct prima comparata inuenitur prior; sed que potest esse comparatio finiti ad infinitum, creaturæ ad Creatorem? Dico: Si inter amicos tanta est unitas animorum, ut secundum Philosophum amicus sit quasi alter idem: & si multitudinis credentium fuit cor unum, & anima una; quanta putas fuerit inter Matrem & Filium, & talem Matrem, & talem Filium unitas animorum? Quanta inter eos extiterit consolatio, solatium charitatis, societas spiritus, viscera pietatis? Istam unitatem videtur velle magis eruere, quam dicere, quæ dicit: Dilectus meus mihi, & ego illi. Cantic. 2. Acquisitione coniunguntur isti duo dantini: quia virique est datio, virique acquisitio. Non est ibi verbum copulans, quia ipse dilectus verbum est & copula, & amor, & nexus, & vinculum: si tamen copula, ubi est unitas & identitas? Hinc est, quod sicut in illâ excellentissimâ unione Verbi & carnis tanta fuit unitas, ut sibi inuicem communicent proprietates, ut dicatur: Puer iste creauit stellas, & Creator stellarum inuoluitur pannis: ita inter Matrem & Filium tanta fuit per gratiam unitas animorum, ut sua sibi communicent nomina, opera, magnalia atque præconia. Ipse enim Dei sapientia IESVS-CHRISTVS nomen suum, quod est Sapientia, Matri suæ communicat, dicens Sap. 7. Super salutem & omnem pulchritudinem dilexi Sapientiam, id est MARIAM: vnde etiam dilecta est à Domino: sicut & multa alia, quæ in laudibus Sapientie scripta sunt, de ipsâ confidenter atque Catholicè legit & intelligit, ut est illud Eccl. Ab initio, & ante secula creata sum, &c. Quasi cedrus exaltata sum, &c. & similia alia. Sicut enim Pater omne iudicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: ita Filius opera sua, & beneficia quæ fecit, nobis & facit, adscribit Matri; ut omnes honorificent Matrem, qui honorificant Filium: vnde dilectus meus mihi adscribit beneficia sua, & ego illi mea. Hinc est, quod liber ille Canticorum, vel illa due beatissima anima siue persona, IESVS & MARIA, alternatim se inuicem collaudando, quasi contendere videntur: Canticum Canticorum dicitur: siue Cantica Canticorum, quia omnia genera musicorum, omnes linguas hominum & Angelorum excedunt laudes illa: non enim sunt verba, sed prouerbia, eruptiones, non colloquia, iubilationes, non sermones. Hæc omnia sunt verba venerabilis Arnesti.

Ioann. Enseb. Op. Parth.

Idem in cap. 86. ait: Tantâ puritate nitet Virgo, ut & ipsa Seraphim superaret. Mox subdit: Ipsa enim sola est siue omni va, & speculum sine omni maculâ Dei maiestatis. Et post pauca: Cum igitur beatissima Virgo tamquam speculum speculorum tantâ claritate fulserit, quâ maior sub celo cogitari non possit, necesse est intelligere, ipsam illius bonitatis & principalis luminis tantum habuisse participium, quantum sub Deo cogitari potest creaturam aliquam percipere potuisse; & ideo merito dicitur ei; Ave gratiâ plena. Et verè plena, ut dicit Hieronymus, quia quæ ceteris per partes datur, ipsi totam corporaliter se infudit gratiarum plenitudo.

Alia prætermitto deuotissimè dicta, ut concludam hanc epistolam eadem clausulâ, quæ S. Paulus aliam finit, & Arnestus ipse suum obsignauit Opusculum in ultimo capite: quoniam me ad deuotionem permouit: Salutate MARIAM, quæ multum laborauit in vobis, dicit Apostolus in fine Epistolæ suæ, quam mittit ad Romanos scribens eis à Corinthe, Romani sublimet, siue conantes interpretantur. Et nos itaque eius exemplo in fine illis sublimibus superna ciuitatis ciuibus, corde & animo supplicemus, dicentes: Salutate MARIAM, quæ multum laborauit in nobis reconciliandis, redimendis, parturiendis, nutriendis, custodiendis, promouendis & exaltandis. Nos quippe inuoluitur tenebris, & cogitando palpamus parietem quasi cæci, & lustrantes hæc visibilia in circuitu faciem eius quarimus, nec inuenimus nisi umbram caliginosam & imagines falsas. In omnibus enim eius nominibus, de quibus scripsimus, & si aliquid apparet similitudinis & defectus; ideò verè beati estis Sancti Dei omnes, qui eius habetis præsentiam gloriosam, & præsentem oculo ad oculum cernitis gloriam. Vos, inquam, ipsam vestram similiter & nostram Dominam pariter & Reginam dignè forè sufficitis laudare, benedicere, & Beatissimam predicare: nobiscum verò benè agitur, si suppletes locum idiotarum, super benedictionem vestram dicere possimus saltem, Amen, quod sonat in Hebraico verè, vel veritas, siue fiat, in Latino. Dicat igitur Gabriel: Ave gratiâ plena; & nos dicemus, Amen, id est verè, sic est: & superplena. Dicat: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui; & nos dicemus, Amen, Amen, fiat, fiat; vel certè, quia nos nescimus quid loquamur, utpote sermonis Hebraici omnino ignari, ideò finem sermonis nostri illi humiliter committamus, qui de seipso loquens ait: Hæc dicit: Amen, qui est fidelis, & verus, &c. Nos igitur multa dicimus, & deficiamus; consummatio autem sermonum nostrorum ipse est, qui perficit primus scire eam, & inferior non inuestigabit eam. Hactenus deuotus Arnestus: neque nos ultra.



EPISTOLA XIV.

De reuelationibus circa Immaculatam Conceptionem; an sint necessariae.

Ad Reuerendissimum & Illustrissimum DD. Gabrielem Adarzo & Santander, Episcopum Vigebanensem.



EVOTIONI siue curiositati compellenti nonnullos à me quaerere, quandoquidem tot antiquorum Patrum congestim testimonia, illibatae animationi Deiparae fauentia, cur reuelationes sanctis animabus de eadem factas contempserim, saltem omiserim, cum illae praecelara etiam sint testimonia, nunc faciam satis; expectans à tuâ eruditione erudiri, & à tuâ prudentiâ corrigi. Etenim ista congerere parum fui sollicitus, cum omnes reuelationes, quando verae sunt, non sint multa testimonia, sed vnum testimonium Dei. Cum autem persuasum est vnicam esse à Deo, ceterae non sunt necessariae, nec valde augent auctoritatem testimonij. Cumque reuelatio S. Birgittae facta maiorem persuasionem siue credibilitatem habeat diuini testimonij, quam aliae, illa mihi sola videtur sufficere; cum maximè in eius approbatione allegentur pro Immaculatâ Conceptione aliqui Summi Pontifices; siquidem Gregorius IX. & Urbanus VI. ut testatur Tutrecremata in Prolog. defens. reuelat. S. Birgittae cap. 1. ille circa annum Domini 1377. hic aliquos post annos, multis peritissimis ac circumspèctissimis Cardinalibus, Episcopis ac Magistris examinandos commisit libros Reuelationum huius sanctae feminae, & vterque etiam conformiter ad relationem sibi factam dictos approbavit libros. Similiter confirmatur Immaculata Virginis Conceptio & auctoritas Birgittanae reuelationis ex Bonifacio IX. & Martino V. quorum ille, quamuis schismatis tempore electus fuerit anno Domini 1389. verus fuit Pontifex, legitimeque electus contra Antipapam Clementem: hic verò ad sedandum longum illud schisma concordia suffragio in Generali Constantiensi Concilio anno Domini 1417. fuit Pontifex denuntiatus, & vterque non solum, quemadmodum dicti Gregorius & Urbanus fecerant, libros Reuelationum S. Birgittae approbarunt, sed ipsam etiam S. Birgittam Sanctorum Catalogo adscripserunt, sicut ex Cardinali Tutrecremata, & ex Bullis, quas ipse refert, constare poterit.

Latè auctoritatem reuelationis S. Birgittae pro Immaculata Conceptione ostendit Aegidius, & ad obiectionem contrariae reuelationis S. Catharinae Senensis congruam exhibet responsionem: ego solum afferam quae scripsit Nicolaus Lancicius, magnae pietatis vir, Tom. 2. Opuscul. in Opuscul. 1. de orat. cap. 13. pag. 49. vbi ait: Quoniam verò citatur pro contraria

sententia quaedam reuelatio S. Catharinae Senensis, sciendum est (quod etiam alij Theologi ante me dixerunt) nullam talem eius reuelationem reperiri.

Addo ego, me Romae inuenisse ante annos circiter quindecim impressas Reuelationes sanctae Catharinae annos 1504. Veneris per Lazarum de Soardi (hoc est ante anno 139. quia haec addo anno 1645.) & quidem impressas antiqua illa lingua Italica, in multis discrepante, quoad dialectos (ut ita dicam) non in sensu ipso à moderna; & bis me legisse continuatè illas reuelationes, cum accurata attentione, & excerptis ex illis multa, pro confirmandis & illustrandis meis monitis spiritualibus, quae tradidi & trado in meis Opusculis, nullam tamen prorsus inuenisse talem reuelationem, quae etiam in speciem & indirectè indicet, sanctissimam Dei Matrem esse in Originali peccato conceptam, aut vlla macula in sui conceptione coinquinatam. Additamentum ergo est aliquorum, qui ut fidem conciliarent suae sententiae, hoc S. Catharinae Senensi adscripserunt. Fieri potest, ut illa, sicut filia spiritualis Patrum Dominicanorum, ab aliquo Confessario edocta fuerit, id ut de beata Virgine sentiret; sed ut hac de re habuerit reuelationem diuinam, nullus id verè ostendere potest. Haec ille, qui rursus post pauca subdit:

Si quis dixerit sanctam Catharinam Senensem in oratione 16. factâ Romae anno 1377. dum esset in abstractione à sensibus, coram Deo Parte dixisse, beatam Virginem MARIAM fuisse conceptam in peccato Originali, sed statim ab eo liberatam; respondeo: Si verò oratio illa fuit facta à sanctâ Catharinâ, & non illi afficta, id eam dixisse in illa oratione, non Deo reuelante, sed ex proprio spiritu & sensu, tamquam ab eâ, quae fuit filia spiritualis Patrum Dominicanorum, à quibus hanc sententiam edocta fuerat. Sciendum autem est, quando personae aliquae piæ, abstractae à sensibus, aliquid loquuntur, saepè eas loqui ex proprio sensu, & aliquando hallucinari. Hoc nimis certum est, & sciunt rerum talium periti, & constat ex Historiis Ecclesiasticis authenticis: & ego possem nominare quasdam Sanctas ex Sedis Apostolicae Decretis, relatas in numerum Sanctarum, quarum dicta & scripta in raptibus, & ex raptibus deriuata legi, magnis hallucinationibus respersa: ideòque non permessa imprimi. Ita & S. Catharinae contigit non semel. Nam in aliis orationibus, quas diligenter legi, idque non semel, hoc aduertit. Siquidem oratione nonâ dixit, *Sanguinem Christi fuisse aeternum*. Et orat. 17. vocat beatam Virginem MARIAM, *Redemptricem generis humani, illudque à Christo redemptum passione* (quod verum est) *à beatâ verò Virgine, mentis & corporis dolore*; quod omnino falsum est. Totalis enim causa, & sola nostrae redemptionis, Christus Dominus fuit. Et orat. 12. adhuc in hac vitâ *perfectè cognosci posse affectum charitatis diuinae*. Sed eo modo, non posse in carne mortali *videri diuinam essentiam*, scilicet clarè & intuitiue. Atqui nec affectus charitatis diuinae hoc modo in hac vitâ potest cognosci. Et orat. 15. *à Beatis Deum videri non per visionem creatam, mediam inter Deum & videntem animam, sed per visionem increatam Dei, & per Deum ipsum*. Et orat. 18. in fine, ait peccantes ipsum

grauiter peccare, quia perdidit lumen veritatis, quod acquiritur per fidem Dei. Atqui non omni peccato mortali fides amittitur, vt contra hæreticos definiuit Concilium Tridentinum Sess. 6. cap. 15. & Can. 28. Simili ergo modo ex sensu proprio edocta à suis Confessariis, id dixit S. Catharina Senensis de Conceptione Virginis sanctissimæ, & non ex inspiratione, multò minùs reuelatione diuinâ, nec plus hoc dictum eius habet auctoritatis, quàm dictum alicuius alterius ex ordine S. Dominici, magistri & instructoris S. Catharinæ. Hactenus Lancicius. Ex his poterit probare, aut reprobare, interpretari, vel obliterare, quæ voluerit, quisque eruditus.

Mihi autem satis est respondere reuelationi S. Catharinæ, quamuis verissima, & ex Deo fuisset, quòd locuta sit eo sensu, quo multi Doctores loquebantur tempore eiusdem S. Catharinæ (imò & antea, & etiam Dominicani) de peccato Originali causaliter, non formaliter, contrahibili, non contracto, siue de debito eius, non de contaminatione actuali: Deus enim se accommodat modo loquendi communiter iuxta tempora & personas. Quare sicut plures Auctores, qui solum dicunt conceptam Virginem in peccato Originali, loquuntur & intelliguntur de conceptione feminali, & debito peccati, non de conceptione personali, & peccato contracto, siue, vt aliqui loquuntur, ex iure & lege communi, non ex priuilegio speciali. Idem etiam dici potest ad euntiationem S. Catharinæ, quamuis fuisset ex diuinâ reuelatione.

Quòd si oporteret vinci numero reuelationum, quæ in prædictâ S. Catharinæ referuntur, minùs consentaneæ Immaculatæ Conceptioni, possent opponi innumeræ reuelationes pro immaculatione eiusdem. Etenim Regestum Franciscanum triginta duas exhibet, in quâ referuntur sanctissimis animabus reuelata testimonia, nimirum S. Anselmo, S. Hildegardi, S. Gertrudi, S. Mechildi, S. Elisabethæ Hungaræ, S. Francisca Romanæ, beatæ Angelæ Bohemæ, S. Norberto, tum etiam Heluino Abbati, Fantino Episcopo, Venerabilibus Petro Villariensi, Iacobo de Marchia, Beatrici de Sylua, Fratri Alphonso Roderico, & aliis; quibus triginta duabus reuelationibus possint multæ aliæ addi; & profectò insignis est illa facta beatæ Oringæ Christianæ, quam recenset Ioannes Bolandus ex fide dignis Auctoribus Tom. 1. Ianuarij 10. die, quam etiam retuli in Opusculo de Perpetuo obiecto Festi, cap. 33. sicut & aliam venerabilis Nicolai Patrensis, relata à multis: tum etiam Laurentius Chryzognus in Mundo Mariano, siue Speculo caelesti discurs. 4. num. 29 testatur aliam quorundam Religiosorum magnæ virtutis. In Archiuis quoque Regiis seruat reuelatio facta venerabili viro Antonio Sobrino, qui magnæ sanctitatis nomine in Franciscanâ Familiâ floruit, quæ quidem oblata fuit Catholico Regi Philippo III. Quid ad hæc dicendum? anne vna controuersa reuelatio S. Catharinæ, & ea quidem facillè interpretabilis, superatura est tot certiores & clariores, atque à tot Sanctis assertas? Si quis cum Caierano dixerit S. Catharinam esse canonizatam legitime, non S. Birgitam, fallitur omnino; sed quamuis ita esset, fuit quidem canonizata nuper, teste nunc orbe

Ioann. Ensch. Op. Part. b.

Christiano, S. Francisca Romana, nec vllus potest esse prætextus, quo derogetur sanctitati S. Norberti, S. Hildegardis, S. Gertrudis, &c.

Plus istum protraxi sermonem, quàm cogitavi; quamuis minùs quàm expectasti. Parum tamen refert, defint multa curiositati, dùm fiat deuotioni satis.



EPISTOLA XV.

De paralipomenis dictis veterum Patrum & Doctorum pro Immaculatâ Virginis Conceptione.

Ad Illustrissimum D. D. Laurentium Ramirium de Prado, Diui Jacobi stemmate clarum, supremi Hispaniarum Senatus Consiliarium Regiumque Exlegatum.



ELICEM me plures gratulantur, cum tam conspicua pro immaculato Deiparæ Conceptu testimonia Patrum diligenter quæsissem, & feliciter inuenissem; qualia sunt illa S. Amphilo hij, S. Andrea Cretensis, Fausti Rhegiensis, & similia nondum ab Scholasticis & eruditis decantata, & fortasse parum audita. Gratulor & ego non ob laborem inquirendi, doleo potius de negligentia laborandi; sed ob felicitatem reperiendi. Fateor pauciora quæsisse quàm inuenirim; scilicet quæsiui aliqua, inueni plurima. Adeò enim Patres antiqui in eâ persuasionem erant, vt euoluenti illorum lubricationes eniteat frequentissimè omnimoda Virginis puritas ab iis commendata. Cumque plurimas auctoritates in Exceptionibus Concilij Tridentini, in Tractatu de Perpetuo obiecto, & in Epistolâ de Doctrinâ Patrum inuenirim, posthac nihilominus occurrerunt aliæ, quæ vt tuæ eruditioni gratificet, & tu etiam gratuleris, exhibebo hîc. Priùs etiam tibi gratulabor eruditam pietatem in promouendâ Immaculatæ Conceptionis gloria: nam præter editionem Iuliani atque Luitprandi cum eruditissimis Notis, in quibus pientissimè hanc pietatem fulcis, Animaduersiones aliquas ex Breuiario Toletano & Basileensi Concilio præsentasti Philippo IV. vt eiusdem iussu communicatæ doctis, huic possent causæ feliciùs subseruire; quòd obsequium sibi gratissimum benigna ostendit responsione pientissimus Rex. Hic felix tuæ Philographiæ genius, bonarumque studium litterarum vt affluat & refluat, ambiat & protegat, aptè de te cecinit quidam:

*Silicet omnigenum quæuis monumenta librorum
Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura
ferentur,*

*Ad se cuncta trahit Laurentis sedula
cura,
Ut magnes ferrum trahit, ignem naphtha
voracem.*

Verum ipsa magnetis vis, quae ex vnâ parte trahit ferrum, ex alterâ mittit: sic tu conquiris & communicas. Venio ad meum spicilegium, & ex paralipomenis obuiis nouum fasciculum colligam.

Ex S. Bernardo Clareuallensi, Bernardo Toletano, & Iuliano.

AD ea, quae ex sancto Bernardo produxi, adicienda ista sunt. In editione Lugdunensi, anni 1530. apud Ioannem Marechal Operum sancti Bernardi, quae proponuntur denudè recognita, in Sermone de Priuilegiis sancti Ioannis Baptistae, sic loquitur sanctus Bernardus: *Quicumque de massa prauaricante mundum ingredimur, longam restem Originalis peccati nobiscum trahimus; solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur, & quae eum Virginalis uteri sui thalamo, ignorans virum, & ignota viro, terris effudit.* Quid clarius? sed nescio quomodo in aliis editionibus recentioribus post illa verba, *solus ille, qui peccatum non fecit, excipitur*, non additur, & quae eum Virginalis uteri, &c. Sed huiusmodi: *quem Virginalis uteri ignorans virum, & ignotus viro terris effudit.* Paulò infra addit ipse Bernardus: *Cum igitur omnes in iniquitatibus concepti sint, neminem vquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, praeter Ieremiam & Ioannem Baptistam, quamquam & de singulari Virgine nulla fuit ambiguitas, quin ipsa maternis circumsepta visceribus, sublimiori sanctificationis genere praeservata sit.*

Idem sanctus Pater, Sermone de beatâ MARIA saepe indicat puritatem eius Originalem, & quidem satis perspicue id affirmat, cum ait: *De lignis Setim condita est Arca, in qua thuribulum, manna & virga sunt recondita; quia licet MARIA de Patrum naturâ peccatum vitiatâ duceret originem, praelecta tamen per Spiritum sanctum, & praeservata ad purum, Deum nobis obtulit & hominem.* Notanda est illa additio, *ad purum*, postquam dixisset, *praeservata*. Iis consentanea sunt, quae paulò antè dixerat: *Arca verò Testamenti de lignis Setim facta est, & MARIA de spinoso & hispido Iudeorum populo & arido procreata est: qui utique sponsus detractione, hispidus superstitione, aridus fuit vntione diuina gratia. Vnde spinosus spineam coronam Regi suo exhibuit, & in eum sicut ignis in spinis excarsit. Setim enim interpretatur spine. Aliter Eua spina, rosa MARIA.* Et rursus addit: *Ad destructionem humanae sapientiae Deus de feminâ sed Virgine, descendente de spinosâ Patrum origine, dignatus est carnem assumere, ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam euelleret, peccati chirographum potentissime deleret. Humilitas per sexum femininum commendatur, gloria Virginitatis & maiestas opitulatur, peccatum gratiâ eicitur. Eua ergo spina fuit, MARIA rosa extitit.* In eodem Sermone de beatâ MARIA: *Prius enim Altissimus sibi eam quasi Mundum specialissimum creauit, quam in iustitiâ & sanctitate coram ipso fundaret, & fluens sapientiae irrigaret, & caelestibus*

desideriis instar scilicet aëris sublimaret & igne, dilectionis accendendo illustraret. Hinc in eius mente, tamquam in quodam firmamento, Solem posuit rationis, & Lunam scientiae, & virtutes tamquam stellas speciei omnimoda: Solem, qui lucem diuinae cognitionis faceret; Lunam, quae cum stellis noctem actionis splendidam redderet: & meritò Domini est terra: quia sic super maria fundauit eam. Cum hoc dixerit de conditione, seu primâ quasi fundatione MARIAE, quae est eius Conceptio, satis supponit Bernardus eam fuisse sanctam.

Sermone 4. super *Salue Regina*, postquam dixisset illud, *Innocens fuisti ab Originalibus & actualibus peccatis: nemo ita praeter te: quae verba alibi protulimus; subdit immediatè postea: Vnde auctoritas Augustini: Cum de peccatis agitur, nullam de beatâ MARIA volumus fieri mentionem: ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum; quae concipere & parere meruit eum, qui nullum habuit. Ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte Originalis, & ex parte actualis peccati.*

Sermone de Verbis Apocalypsis, *Signum magnum apparuit, &c.* sic ait: *Candidissimus sanè & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellenter irradiata nascantur, ut in eâ, non dico tenebrosus, sed obscurus saltem, aut minus lucidus, sed nec tepidus quidem aliquid, aut minus feruentissimum liceat suspicari.* Censet ergo in his verbis deuotissimus Pater, peccati Originalis tenebras à Virgine omnino fugatas: nam eos, quos Originalis culpa infecit, tenebrosos, imò & tenebras ipsas esse suadent illa verba Pauli ad Ephes. 5. *Eratis enim aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.*

Ex his omnibus locis, & multis aliis euidentissimè patet, dulcissimum Patrem Bernardum Immaculatam Deiparae Matris Conceptionem sensisse & probasse, & qui contrarium tenent, vel non legerunt, vel certè non studiosè.

Quòd si aliquis dixerit Sermones super *Salue Regina* non esse sancti Bernardi, parum hoc minueret veritatem Immaculatae Conceptionis, cum sanctus Bernardus in aliis locis eam affirmarit, & sic alius addetur ex antiquis, qui in Sermonibus super *Salue* eam fuerit tam manifestè professus. Itaque si demamus illum Sermonem esse sancti Bernardi, addimus alium testem, ipsi Bernardo consentientem in eandem sententiam. Quis autem potuerit esse Auctor illorum Sermonum, nisi alter Bernardus, clarus etiam opinione virtutis, nec minore temporis antiquitate venerandus, scilicet Bernardus Toletanus Archiepiscopus, de quo Iulianus in Chronico n.607. ait fuisse deuotissimum Deiparae, qui fecit celebrare deuotius Festum Immaculatae Conceptionis eius, additque eundem fuisse Auctorem Sermonum super *Salue Regina*; verba Iuliani sunt: *D. Bernardus Archiepiscopus Toletanus fecit quoque Sermonem super Canticum Magnificat, & alios quinque super Salue Regina, qui Domino Bernardo, Clareuallis nonitio, Abbati falso inscribuntur. Ego enim habeo scriptos de manu ipsius D. Bernardi, qui est in aeternâ benedictione.* Nouum igitur testem consequimur Bernardum Toletanum in iis Sermonibus super

super *Salve Regina*, si Bernardus Clareuallensis non fuerit in iisdem testatus Immaculatam Conceptionem.

Ecce eruditissime Laurenti fructus tuæ eruditionis, per te editum vetustam hunc scriptorem habemus, per quem multa studiosis innotuerunt, eadem & per te, qui semper benemeris de litteris, vnoque in illo duos testes nequaquam communi labe attraminatæ Conceptionis possidemus Bernardum Archiepiscopum, & Iulianum Archipresbyterum, vtrumque Toletanum.

Ex sancto Proclo, Theodoro Abucara, & Aulo Burdegalensi.

NEc placet hinc discedere, quin facile confortem vtriusque addam Aulum Burdegalensem, cognomine Halum, siue, vt aliis videtur, Halonem, cui sanctitas Bernardi Tolentani cognita fuit, & à quo vocatur iste *Præsul venerabilis, almus, inclyrus ingenio, moribus ingenuus*. Postea addit: *Templa Deo, templis Monachos, Monachos dedit aras nequitia lapsus, iustitieque locum, noluit esse suis dominus, studuit pater esse*. Eidem superstiti dedicauit poemata de aduentu S. Iacobi in Hispaniam, vocans illum *sanctissimum Bernardum*. Et quidem eximia sanctitatis famâ apud omnes in veneratione fuit habitus, vt etiam apud Gallos inter Sanctos numeretur, de quo in Martyrologio Gallicano, quod nuper edidit Andreas Suallay, hæc recitantur 14. Kalendas Ianuarij: Ipso die S. Bernardi Archiepiscopi Toletani, & Confessoris, qui Gallus origine, ex vrbe Agenensi, de oppido Saluiate, Monachus S. Orientij Aulciensis, Congregationis Cluniacensis, deinde Abbas sanctorum Abundi & Facundi in Hispaniâ, ob cælestis sapientiæ & miræ pietatis clara specimina, Tolero ciuitate de Maurorum tyrannide ab Alphonso VI. Rege Castellæ & Legionis, recuperatâ, eodem Rege petente, primus Toletanus Archiepiscopus, & Hispaniæ Primas, ab Urbano Papa II. Cluniaci quoque alumnus creatus, hac die anno 1095. Rege, Reginâ, Proceribus, ac vniuerso populo præsentibus, eiusque electionem approbantibus communi gratulatione: quâ cum inauguratum illum viderunt Pontificem, Christum antea exulem sibi, reducem datum cernere consuerunt. Venienti autem Urbano præfato in Galliam, patriæ amator, ac magis boni publici Ecclesiæ, festinus occurrit ipse Bernardus, Concilioque ab eo Pontifice Claramonte celebrato, pro ineundis Christi regni aduersus Turcas vindictis, interfuit, eidemque Pontifici Summo adstitit, Ecclesiam Maioris Monasterij in Turonibus sexto Idus Martij, & Basilicam sancti Saturnini Tolosæ nono Kalendas Iunij anno millesimo nonagesimo sexto dedicanti. Deinde ad Sedem reuersus, quidquid Apostoli in docendis regendisque populis præstabant, zelo, doctrinâ & sanctitate exhibuit. Ad extremum, cum annos quadraginta quatuor sedisset, interimque rem Ecclesiasticam mirabiliter auxisset, populum suæ clientelæ creditum in fide confirmasset, exemplis ac monitis permultos ad viam veritatis reduxisset: bonis operibus ad cumulum locupletatus, & miraculis coruscans in Christo, cui seruire vnicè studuit, feliciter obiit. *Ioann. Enseb. Op. Parth.*

dormiuit, in fortemque Sanctorum beatam receptus, eorumdem catalogo pro meritis Sedis Apostolicæ iudicio adscriptus est. Huic beato viro (eodem tempore Cluniaci inter Monachos asceta cognomine, vir iustus, sanctus & timoratus) S. Dionysius Areopagita apud Nouentum apparens, S. Hugonis Cluniacensis Abbatis vt ad obitum festinaret, admonuit: quò cum segnius pergeret, beatus ille Cœnobiarcha defunctus est, ac in spiritu non funus quidem illius, sed processum ad gloriam Bernardus iste conspexit, mirumque eius triumphum, & quæ monita ab eo perceperat renuntianda Pontio eius successori, ascetis ex serie intimaui, dictisque, vt fidem faceret, post triduum, vt prædixerat, somno quietæ mortis exceptus est. Hætenus in prædicto Martyrologio. Similiter locatur hic seruus Dei Bernardus in Sanctorum Benedictinorum, apud VVion lib. 3. die 2. Aprilis, & Hug. Menard. eod. die, fol. 28. & in generali catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano, Philip. Ferrar. fol. 134. atque Ioannem Tamaium in Martyrol. Hispan. Tom. 2. die 3. Aprilis, in quo varia de eius sanctitate congeruntur. Hæc obiter monui, vt agnoscamus, quantus nobis accedat assertor Immaculatæ Conceptionis in hoc Bernardo.

Igitur alludens & applaudens Aulus tam sancti viri eximia erga Immaculatam Conceptionem deuotioni, in poemate ad ipsum dicato vocat Deiparam *Intemeratam & intactam*, dum loquitur de apparitione eiusdem sancto Iacobo factam, cum ædem Cæsarangustanam condidit, & Immaculatam Conceptionem prædicauit.

Nec silentio possum suppressere, quæ mihi nunc venit in mentem, cuius alibi sum oblitus, auctoritatem sancti Procli in Orat. 6. vbi vocat Virginem *Impeccantia sacrarium*. Verba Græca sunt: *ἀδύτη τὸ ἀδύτον τῆς ἀπαμαρτυσίας ἱερῶν*, quod verti potest, sacrum penetrabile, siue profunditas impeccantiæ, aut vorago sanctimonix, & *sancta sanctorum innocentia*. Nomen enim adytum hæc significat, quod frequentissime accipitur pro loco templi inaccessio. Seruius inquit: *Adytum locus est templi secretior, ad quem nulli est aditus, nisi Sacerdoti, ab A, siue ἀδύω, ingredior, sine alicuius ingressu*. Vnde satis indicat S. Proclus, nullum Virgini fuisse peccati ingressum, maximè peccati Originalis, quod est ceterorum peccatorum ingressus.

Fauit quoque Immaculatæ Conceptioni Theodorus Abucata, in Opuscul. 4. locutus de Adami ante & post lapsum corpore, ait: *Sempiternus Dei filius Adamantum corpus assumpsit, hoc est, ipse sibi ex purissimo sanctissima Virginis Mariæ sanguine illibatum & ab omni maculâ peccati liberum finxit*. Vbi supponit, carnem Virginis, ex quâ sumpsit carnem æternum Verbum, fuisse sine maculâ, quemadmodum caro Adami ante peccatum.

Ex Absalone Abbate.

APtissimè scripsit in fauorem omnimodæ puritatis Virgineæ Abbas Absalon, quem aliqui referunt à tempore sancti Bernardi, sicut & Miræus ad annum 1120. quod perinde est. Hic deuotus Abbas in Serm. 22. qui est 3. de Annunt. beatæ Mariæ sic ait: *Quid*

magnum, quid supereminens Virgini Matri attribuitur, cum dicitur Gratia plena? Nam & Christus plenus gratia & veritatis, Stephanus plenus gratia, & Apostoli pleni gratia Spiritus sancti fuisse leguntur. Idcirco haec distinctio adhibenda est, quod est plenitudo aqua, est plenitudo apta, est plenitudo supereffluens, sine effusa. Plenitudo aqua est, cum in re impletur nihil vacuum relinquitur, ut in mensura vini vel olei. Plenitudo vero apta est, qua replet secundum rei congruentiam, ut cum dicitur ciuitas, vel Ecclesia plena populo, non quod ibi nullus locus vacuum relinquatur; sed quia secundum congruentiam ibi existentes loco sufficiunt. Plenitudo supereffluens est, quando res, qua implet, mensura capacitatem excedit. In beata Virgine MARIA plenitudo aqua fuit, quoniam spiritali gratia tantum repleta est, quod in ea nihil vacuum, id est nullus peccandi locus remansit. Vnde Augustinus dicit: Cum de peccatis agitur, nullam de beata MARIA volo fieri mentionem. Ex quo enim Christum concepit, adeo est confirmata, quod peccare non potuit. In ceteris Sanctis plenitudo apta fuit; non quod peccare non potuerint, quia & Apostoli excutere puluerem pedum iussi sunt; sed quoniam gratia plenitudinem sufficientem ad salutem acceperunt. In Christo plenitudo supereffluens fuit, quia ipse accepit gratiam sine mensura, ita ut de plenitudine eius nos omnes acciperemus. Excellentior ergo MARIA dictum est gratia plena. Est autem gratia naturalium bonorum, est gratia spiritualium charismatum, & est gratia caelestium donorum. Plena gratia fuit naturalium bonorum, quoniam Spiritu sancto ei superueniente, integritatem naturalium, secundum dignitatem prima conditionis, sola inter filias Euae accepit.

Idem in Serm. 44. qui est secundus de Assumptio. ad illa Cantic. 6. Reuertere, reuertere Sionamitis, ait: Quater iteratur verbum reuocatio- nis, quia si diligenter attendimus, beata Virgini conveniunt quatuor genera Assumptionis. Primo enim assumpta est per electionem: Secundo, per purificationem: Tercio, per confirmationem: Quarto, per sublimationem. Per electionem assumpta est, quando mulierem fortem, diu a Salomone quaesitam, Gabriel inuenit, & elegit praeter ceteris omnibus dicens: Benedicta tu inter mulieres: assumpta est per purificationem, dum a ceteris filiis hominum sequestrata, ab Originali & actuali peccato Spiritus sancti mundatione est purificata: per confirmationem assumpta est, dum eandem virtutum confirmationem accepit in via, quam Angelus bonus possidet in patria: per sublimationem assumpta est hodiernam, dum super omnem creaturam exaltata est in regno calorum. Cum corpore dicam exaltatam, an sine illo? Verè dicam cum corpore, quoniam etsi hac parte erraui, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis, matri misericordia incumbit excusandus. Haec vltima verba aureis litteris transcribenda, & aequo transferenda iure ad Conceptionem Immaculatam; quoniam & si hac parte erraui, ipse error est mihi gratissimus, qui fonti pietatis, matri misericordia incumbit excusandus. Digna profecto est clausula isthaec ut geminetur, atque per eandem significat Abfalon Abbas egregie sensisse de immaculatione Conceptionis, cum non minor sit ratio ad illam affirmandam quam profus affirmavit, cum paulò ante dixisset, pu-

rificatam Deiparam ab Originali & veniali peccato. Nam cum purificatio à veniali fuerit praeservatio eiusdem, idem dicendum est de Originali. Praeterea in auctoritate antecedente satis eandem asseruit, cum dixit: Spiritum sancto ei superueniente, integritatem naturalium secundum dignitatem prima conditionis, sola inter filias Euae accepit. Tum etiam in eodem Serm. 44. dixerat: Vidi dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, subintellige etiam superexaltatum, & assigna beata Virgini tria haec: Non enim defuit ei dignitas conditionis, pro qua solium eius fuit excelsum: non praerogatiua virtutis, pro qua fuit per gratiam eleuatum: non Filij Dei in se susceptio, pro qua superexaltatum.

Ex sancto Ildefonso & Gotschalco Holeno.

Multa ex sancto Ildefonso Toletano in Exceptionibus dedi. Nunc notabo alia ex libro de Perpetua Virginitate sanctae MARIAE, & eius Parturitione, iuxta exemplar eius manuscriptum, quod seruetur in Bibliotheca sanctae Ecclesiae Toletanae: nam ubi excusa dicunt, Beata MARIA, licet ipsa de carne peccati sit nata & procreata; ipsaque, quamvis caro peccati fuerit, non tunc iam ex praeueniente Spiritus sancti gratia; in manuscripto extant haec vltima verba clariora: Non tunc iam quando existit praeueniente Spiritus sancti gratia. In quibus verbis confirmatur, quod alibi diximus, caruisse debito peccati carnem Virginis actu existentem; atque idcirco potuisse habere sanctitatem, quae congruere potest rebus inanimatis: sic etiam ubi dicitur in excusis, Neque contraxit in utero sanctificata Originale peccatum, in manuscripto dicitur, Neque contraxi, in utero sanctificato Originale peccatum. Vbi videtur sanctitatem tribui carni Virgineae etiam ante animationem, quamdiu scilicet fuit in utero sanctae Annae, quem propterea vocat Vterum sanctificatum. In eodem sensu, eodemque libro dixit: Non enim libentes vobis verecundiam incutimus, charissimi, qui non sine magno pudore de iis loquimur; sed eximia pietatis honorem vobis, & decus virtutis beatissima Virginis pudicitiam praedictare incorruptam & incontaminatam, & ab omni contagione prima originis confiteri alienam. Cum dicat, ab omni contagione, alludit ad contagionem solius carnis propter debitum contrahendi peccati Originalis, & ad contagionem culpae contractae post aduentum animae, seu potius in ipso aduentu, & ab utraque liberam & mundam Deiparam praedicat sanctus Ildefonsus. Notandum quoque est quod dicitur in excusis: Quomodo Spiritu sancto eam replente non sine peccato Originali fuit, cuius etiam natiuitas gloriosa Catholica in omni Ecclesia Christi ab omnibus felix & beata praedicatur? Illud nomen Catholica, in manuscripto est Aduerbiu Catholice: in quo notatur iuxta Fidem Catholicam Beatam & Sanctam affirmati Conceptionem Virginis; quam Conceptionem comprehendit sub nomine Natiuitatis, ut in Tractatu de Perpetuo obiecto, & in Exceptionibus notauimus.

Opportunè nunc accedat vetustus Ecclesiastes Gotschalco Holeno, Sermone 12. de beatae Virginis commendatione, qui loquens de

de sancto Ildefonso ait: *Composuit volumen de Perpetua Virginitate MARIAE: in quo declarauit & probauit, quod numquam fuit concepta in peccato Originali, quod ita sancta Dei genitrici complacuit, ut ei, ipsum librum manentem, appareret, & pro tali Opera gratias referebat. Et rursus ei apparuit, & attulit ei Albam Sacerdotalem, dicens ei: Hoc vestimentum de Paradiso Filij mei tibi attuli, quo in Dei & meae solemnitate vestieris; scit quoque certissime, quod nemo praeter te hoc vestimentum induere impune valebit. his dictis recessit. Post obitum vero Ildefonsi, Stagnus, qui in Archiepiscopatu ei successit, parvipendens sui Praedecessoris deuotionem, sanctam vestem induere volens, dixit: Sicut ego sum homo, sic scio hominem fuisse Praedecessorem meum. Hoc dicens, vestem induit, & statim mortuus cecidit.*

Ex sancto Damasceno, Gennadio Scholario, & Seucro Alexandrino,

Millies extollit omnimodam Dei Genitricis munditiam sanctus Ioannes Damascenus. Nihilominus in Canonibus Anastasim. son. 2. Can. 1. ait: *Sublimior apparuisti omni creatura, & semper Virgo, tam visibili, quam invisibili.* Et in Can. 3. Odâ 5. *O quam sanctum, calisque patentius tabernaculum esse demonstrata es, & sancta Virgo!* Odâ 7. *Quae sola inter mulieres Sponsa Dei apparuisti.* Et Odâ 8. *Templum Dei apparuisti, animatus locus & arca; Creatorem enim mortalibus, & Deipara intemerata, conciliasti.* Et soni grauis Odâ 5. & 6. vocat Deiparam *Inculpatissimam.* Idem in Canone de Laudibus Deiparae, Odâ 4. ait: *Audi mirabilia, & celum, audi terra, quia filia terreni Adam, mandata transgressi, filia Dei fuit.* Nimirum ab ipsa Conceptione; alioqui non valde singulare, nec adeo mirabile diceret.

Gennadius, non Massiliensis nec Constantinopolitanus ille Patriarcha antiquus, qui floruerunt saeculo quinto; sed alius iunior, cognomine Scholarius, quem etiam faciunt Patriarcham Constantinopolitanum, in libello, qui Vita factis hominum. appellatur, Dialogo I. ait de Filio Dei: *Ingressus est puram & immaculatam Virginem, & suscepit carnem, & homo factus est.* Sic loquitur, ad ostendendum dignè accepisse Verbum mundissimam carnem, quae pura & immaculata fuerat iam in matre sua absque vlla sorde filiorum Adae communj.

Seuerus Alexandrinus in Precatoribus de Filio Dei ait: *Incorporatus est ex sanctissima & laudatissima Virgine pura Dei genitrice MARIA.* Et in Precatione ad MARIAM Virginem ait *Pax tibi, salue sancta MARIA mater Dei, Regina Calis, porta Paradisi, Domina mundi, pura, unica es & Virgo.*

Ex Andronico Constantinopolitano, & Prisco Anonymo,

Andronicus Constantinopolitanus in Dialogo contra Iudaeos, cap. 38. ait: *Editam Davidis genere atque stirpe Virginem dabo; neque id verò ex nostratibus scriptis ac Decretis, sed Iudaico quodam libro, in quem Orestiae incidit apud Iudaeum Eliam, Legisperitum cognomine. In eum Virginem abracchatus sic habebat: Quid*

tantopere MARIAM extollunt Christiani, Cherubinibus augustiorem, Seraphinis sine comparatione digniorem, calis sublimiorem, solaribus radiis puriorem appellantes? siquidem femina est Davidica gentis, Annae matre, Ioachim parente nata, qui Pantheri fuit filius; Panther & Melchi fratres, filij Leui, stirpis Mathan, cui David pater ex tribu Iuda. Hic considerandum est non suffragium Audtonici pro Immaculata Conceptione tam praecleara Virginis encomia euulgantis, sed etiam communem olim fuisse Christianorum sensum de omnimoda Virginis puritate; quem Iudaei certum apud Christianos supponunt. Ceterum Ioannes Liuineus, vraduertit Petrus Streuarius in Tomo singulari, edito Ingolstadij ann. 1616. à doctissimo Cardinali Sirleto accepisse memorat, nempe Euthymium esse huius Dialogi auctorem; verum subsistere non potest, quod ait hunc Dialogum editum esse sub annum Domini 1327. nam Euthymius floruit sub Alexio Comneno anno 1128. quo Alexius Imperator obiit. Aut igitur Euthymius Dialogi auctor non est; aut si est, conscriptio eius ad multo anteriora tempora referri debet.

Priscus Anonymus in Tractatu contra Graecos, quem ex Bibliotheca in lucem edidit Streuarius Leodiensis Theologus, & multo antea, anno scilicet 1252. publicum fecere Constantinopoli Praedicatores, vbi de Concilio Ecclesiae loquitur, in titulo de tertia Synodo haec habet: *Tertia sancta & vniuersalis Synodus celebrata fuit apud Ephesum, temporibus Theodosij Iunioris, sub Celestino Papa Romano: vbi interfuit Cyrillus, magnus Doctor & Patriarcha Alexandria, & propugnator Ecclesiae, Ioannes Antiochia, Iuuenalis Ierosolymorum, & Memnon Ephesorum. Praerat autem tunc temporis Sedi Constantinopolitane impius Nestorius. Cum his itaque sanctis Patribus fuerunt & alij Sancti quamplures numero ducenti. Conuenerunt autem contra ipsum Nestorium Anthropolatriensem, id est hominis cultorem, Christum separantem & diidentem. Dicebat ipsum hominem esse purum, & non Deum incarnatum; duos Filios in vno Christo Deo docere, & duas personas, vnde nec sanctam MARIAM Virginem qua peperit ipsum CHRISTVM IESVM Θεοτόκον, id est Dei genitricem, sed Χειροτόκον nominabat. Huius rei gratia dicta Synodus perseverantem in dicta blasphemia deposuit, tanquam Iudaicè, εὐρωπαϊκάριον. Et proprie & verè Dei genitricem, omnifariam sanctam Virginem MARIAM demonstrarunt, & eum, qui ex ipsa sine semine incarnatus est, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM Filium Dei, & Deum verum predicauerunt. Consonant illa verba, omnifariam sanctam demonstrarunt, cum iis, quae ex Epistola Photij ad Principem Bulgariae iuxta intellectum Ephesinae Synodi in cap. 8. Exceptionum considerauimus.*

Ex sancto Maximo Graeco, & Euthymio Monacho.

Illustrissimus Monachus, & fortissimus Martyr sanctus Maximus in Expositione Orationis de Recta Confectione satis supponit iuxta Concilium Ephesinum, & modum loquendi aliorum Patrum, Immaculatam Virginis Con-

ceptionem, cum ait: *Deum Verbum hominem induisse propter nos, & carnem humanam ex sancta & omni ex parte gloriosa, semperque Virgine, & proprie ac vere Dei genitrice MARIA sibi ipsi secundum personam eiusdem quam nos sumus essentia.* Vim horum verborum pro illibatae Virginis illibato Conceptu cognoscet, qui legerit quae in Exceptionibus expendimus cap. 8. Interim obseruandum est, quod dixerit sanctus Maximus omni ex parte gloriosam Deiparam: quare ex parte Conceptionis non fuit ingloria & contaminata.

Cum autem hunc sancti Maximi locum afferat Euthymius in sua Panoplia, eundem Euthymium nouo probasse suffragio Immaculatam Conceptionem possumus allegare; & praeterquam quod in eadem Panoplia aliorum afferat testimonia Scriptorum, quae illam commendant, satis esset quod pro Appendice illius Epistolam Phorij de Synodis adiecerit, de qua satis in Exceptionum libro. commendat etiam maxime Concilia, Ephesinum & Chalcedonense, quae aded fauere omnimodae Virginis puritati. Solum afferam quae ex Leontio Byzantino pro his Conciliis promit. Afferam quidem, siue opportunè, siue importunè, siue ad rem, siue extra rem; vicumque enim non sunt indigna scitu, ut calliditas haeretica pateat, & simul erudita consideratio, plenaeque Historiarum Ecclesiasticarum, necessariae Theologis Catholicis.

Leontij Byzantij; quae maledicta Seuerus, & qui eum secuti, vnam in Christo naturam asserentes, in Chalcedonense Concilium coniciant.

Chalcedonense Concilium suscipiendum negant, quoniam qui illud celebrarunt, mutabiles fuerunt & inconstantes. Etenim cum Byzantij Euychem improbassent, eum Ephesi susceperunt, cum Dioscoro Flavianum reuicentes; & iidem rursus Chalcedone Flavianum susceperunt, Dioscorum autem improbarunt. Respondemus multos saepe iustis de causis, ut ipsi putant, mutare sententiam. At licet decem, aut viginti, aut plures etiam ex sexcentis triginta consilium mutauerint, ut vos asseritis; non tamen idcirco sexcentorum triginta virorum Concilium est reuiciendum, & propter paucos tot hominum suffragia repudianda. Quandoquidem & Ephesi una cum Dioscoro confederunt, nec tamen propter illos Concilium Ephesi celebratum, cui Dioscorus praerat, reuiciunt. Dicunt praeterea, si Dioscorus, ut testatur Anatolius Patriarcha Constantinopolitanus, non propter Fidem depositus est, cur eum non recipitis? Respondemus, eum propter Fidem verò non fuisse depositum: idcirco enim in Concilio non affuit, ne contra ipsum quaestio haberetur. Quod si rediit, & quaestio habita est, & ipse ut haeticus condemnatur, etenim erat; sed quoniam tertio vocatus non affuit, & eam condemnationis ipsius causam pronunciarunt, ideo non propter Fidem fuisse condemnatum dixit Anatolius. Ad hac dicunt, haeticos ab eo Concilio fuisse susceptos, nempe Theodoritum & Ibam. Respondemus, Hos non prius fuisse susceptos, quam Nestorium detestandum & execrandum pronuntiaissent. Sed rursus obiciunt, cur à Theodorito non postularint, ut sua aduersus Cyrillum scripta condemnaret? Respon-

demus, Eos non debuisse hoc crimini vertere Concilio, sed sancto Cyrillo, qui cum esset reconciliatus cum Orientalibus, & cum ipso Theodorito, non non postulauit, ut quae contra se scripserat, condemnaret. Quamobrem quod sanctus Cyrillus non fecit id à Concilio non esse factum, ipsi Concilio crimini vertendum non fuit. Quamquam quod ipse non fecit, à Concilio factum est, cum ab eo postulauit ut Nestorium detestaretur. Quod si eos fuisse haeticos concesserimus, ne propter illos quidem Concilium erit repudiandum. Nam & Nicenum Concilium septem haeticos suscepit, qui & antea fuerant, & postea permanserunt Ariani. Nec tamen ob id vocatur Concilium centum & undecim; sed centum & decem & octo Episcoporum appellatur. Siquidem Iuuenalis Ierosolymorum Episcopus, & alij idonei Episcopi, qui in Concilio Ephesino cum Dioscoro iuuenti sunt, etiam Chalcedonensi interfuerunt; nec tamen ob id Concilium illud reuiciunt; sed vehementer probant & complectuntur.

Ex Prudentio & sancto Bernardino considerationes:

Cecinit Prudentius Hym. 3. Cathemerion.

*Hoc odium vetus illud erat;
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile dissidium;
Quod modo cernua femineis
Vipera proteritur pedibus:
Edere namque Deum merita,
Omnia Virgo venena domat.*

Dum dixit proteritur, & omnia venena excludit, maximum venenum peccati Originalis, quod est caput actualium culparum, protritum à Virgine. Alludit ad illud Genesis: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.* Beatissima Virgo est, quam Deus praedixit contrituram caput serpentis; & ut rectè animaduertit Cyprianus lib. 2. Testim. aduersus Iudaeos cap. 9. *Mater, inquit, Domini nostri IESU CHRISTI in illa muliere promissa est: hac inimicitias opposita est serpentis.* Ponam, inquit, inimicitias inter te & mulierem; Non ceris pono, dicit, ne ad Heuam pertinere videretur; verbum promissionis est, quod transfinitur in futura. Rectè dixit Cyprian. per illam mulierem significari Matrem Dei; quia nisi illa, quae fuit Genitrix Dei, hoc privilegio de totali hostilitate & victoriâ, de infernali serpente, quoad omne genus peccati actualis & Originalis non gaudet. Vnde ipse Filius Dei non vocauit *MARIAM Matrem*, sed *mulierem*; quasi perinde esset, ut intelligeretur suam matrem esse illam victricem mulierem, quae omnino protrixit geminum caput serpentis, veneno Originalis & actualis culpae numquam laesa. Itaque singularissimae omnimodaeque significandae puritatis gratia, elogio illo mulieris nuncupatur *MARIA* à Filio suo, & quidem opportunè in cruce confixo, cum vincebat suam Passione demonem, ut meminerimus Matrem suam illum etiam vicisse puissimo calce protritum, victoriamque de antiquis inimicis inter demonem & mulierem, eiusdemque semen in *MARIA* & Filio eius perfectam fuisse. Nec in tempestiuè etiam in nuptiis appellatur mulier, quae

quæ Dei mater erat, cum per conjugalem copulam etiam in Sanctis conjugatis proferpat Originale peccatum, ut notaretur caruisse illo **MARIAM**, significatur esse illa mulier, quæ caput contriuit diaboli.

Præter hæc, nuncupatio mulieris aptata Virgini per relationem ad illas inimicitias serpentis & mulieris, ut contraponeretur Heuæ, quæ etiã fuit mulier nūcupata, satis indicatur à B. Alberto Magno in lib. 6. de Laudibus Virginis, cap. 9. ubi ait: *Eua, quæ fuit mulier infirma, in tantum Deum exasperauit & quasi durum facit, quòd quasi oblitus est misericordiam suam erga naturam humanam. MARIA verò, quæ fuit mulier fortis, in tantum Deum hominem factum emolliuit, quòd verè oblitus est punitionis & vindicta erga hominem, quem ut ad eum, à quo per peccatum recesserat, Filius reduceret, ipsum Filium formauit vel creauit Pater ex utero Virginis seruum sibi, Isa. 49. Vnde dicit 45. Ego Dominus creauit eum, hominem scilicet. Verè enim Eua fuit mulier infirma, quæ statim infirmata est ad primum verbum diaboli, Gen. 3. dicens: Ne fortè moriamur. Virum etiam suum emolliuit, porrigens illi mortiferum gustum pomi. Et hæc mollitio designata est per hoc quòd de osse viri formata est mulier, sicut habuisti, titulo, quod **MARIA Sponsa. MARIA** verò mulier fortis corroborata est ad verbum Angeli, quod apparuit, quando dixit: Virum non cognosco. Et quando ex muliere, scilicet Virgine formatus est vir, id est Christus, consolidata est natura humana etiam in utroque sexu. Oportebat enim, ut de muliere salus procederet, ut peccato responderet remedium ad honorem Dei & gloriã, & ubi abundauit delictum, superabundaret & gratia, Rom. 5. Et paulò post concludit: Hæc est mulier, de qua dictum est serpenti, Gen. 3. *Ponam inimicitias inter te & mulierem. Quasi diceret: Vide amicitiam factam inter te & mulierem, scilicet Eua. Sed inimicitias ponam inter te & quamdam aliam, scilicet **MARIAM**, quæ conteret caput tuum. Sequitur, & semen tuum, & semen illius.**

Consideratio sancti Bernardini Senensis Sermon. 49. Fer. 3. post Resurrect. ad aliam nos excitat pro Mariana Conceptione sine communi lapsu, explanans illud, *Inter natos mulierum, &c.*, sic habet: *Vult dicere, quòd Ioannis Baptista anima est maior omnibus animabus, ex natis ex muliere, & Christus cauet se extra & Virginem gloriosam occultè, si benè aduertis suum eloquium, qui dixit, Non surrexit, quia nullus dicitur leuare seu surgere, qui non cecidit in aliquo peccato. Mox addit: Ideò non sunt in illà regulà, quia non ceciderunt modo iam dicto, ideò non dicuntur surgere, sicut omnes ceteri homines qui ceciderunt & cadunt ab Adam citrà per peccatum Originale. Hic occurrit nostra consideratio ad confirmandam puritatem Originariam, ex verbis Christi, qui addit: Qui minor est in regno calorum, maior est illo. Cum enim Baptista in sanctitate & meritis excelluerit aliquos Angelos, qui soli tunc erant in cælesti Regno, non poterat ex hac parte minor illi esse; quoad puritatem autem per carentiam peccati Originalis maiores Ioanne sunt; quia omnino mundi ab ipsa sua origine, scilicet creatione. Hinc autem sequitur, sanctissimam **MARIAM** omnino sine sordè fuisse Originariã, cum absolūtè ab Ecclesiã & sanctis Patribus maior Angelis prædicatur.*

Ex Nicephoro Callisto, & Matthæo Cantacuzeno.

NICOPHorus Callistus non semel supponit Immaculatam Virginis Conceptionem: nam lib. 15. Histor. cap. 14. affert sententiam Iuuenalis Ierosolymitani, quam alibi in fauorem purissimæ Conceptionis adduximus; affertque illa notanda verba de puritate carnis Virgineæ: *Illud ipsum, etiam post obitum & ex vitâ hac migrationem, mirificè immaculatum, impollutum, & modis omnibus sanctum corpus.* Et lib. 2. cap. 23. eandem Virginis carnem vocat *Diuinum tabernaculum.* Et lib. 1. cap. 8. ait: *Oportebat enim clarissimo gratia receptaculo, & vasi nihil reprehensionis, indignitatis & iniuria inferri; quod nimirum vel ipsius Solis radijs sit splendidissimum & illustrius.* Paulò post dicit de Deiparâ: *A piaculo & maculâ omni abest.* Et cap. 7. eiusdem libri inquit: *Opus fuit prorsus instruere & præparare vas, quod eum, qui incomprehensibilis est, comprehenderet. Inuenta itaque est beata Virgo **MARIA** dignum, Deumque decens Verbi domicilium, etiam ante natiuitatem Deo consecrata, atque ex membris senilibus, & longè à natura feruore alienis, tanquam quidam diuinitus datus fructus producta. Illa consecratio ante natiuitatem fuit sanctificatio, quam supponit factam in productione, nimirum in Conceptione.*

Matthæus Cantacuzenus ad illud Cantic. 4. *Sicut turris David collum tuum; dixit: Meritò Virginis collum turrim in Thalpioth appellauit; mille clypei pendent super eam. omnia fortium missilia: per hæc non obscure ostendit arcem in tuto fore, undique munitione vallatam, atque praesidio munitam, nec eam omnino hostium patere insidijs; eiusmodi porrò erat illa quoque sanctior vniuersis Mater Virgo, quæ nullis vnquam fuit exposita insidijs, atque ab omni prorsus subdolâ versuti illius fraude aliena perstitit. Si hæc, ut oportet, ruminentur, nedum Originale peccatum, verum etiam proximum ad illud contrahendum debitum, ab immaculatâ Dei Matre remouent manifestè.*

Ex Alano Magno.

ALanus Magnus, quem alij vocant Insulensem, multis in locis commendat omnimodam Virginis puritatem. In Elucidatione super Cantica ad finem cap. 6. hæc de Virgine ait: *Immunis es à corruptione peccati.* Et mox: *Sicut nunquam regnauit peccatum in tuo mortali corpore: sic digna es perfrui eadem libertate in carne Virginali, quâ fruuntur in spiritali scientiâ Angeli ab ipsâ sui creatione.* Idem Alanus in sententiis ait: *Non solum in Christo fuit perfecta & plena circumcisio, id est, circumcisio circumcisâ, sed & circumcisio circumcidens circumcidit enim conceptionem Matris à culpâ.* Hæc dixit n. 11. Ac deinde n. 31. addit: *Hæc est quasi plantatio rosa in Iericho. Rosa in Iericho plantata, oritur pulchrior, redolet fragrantior, maiori rubore vestitur, diutius suâ pulchritudine coloratur. Cum ergo Iericho interpretetur defectus Beata Virgo quasi quedam rosa in defectu humana nature plantata fuit. In serm. 1. ait: Se quodammodo reddidit Verbi incarnatione dignam. Sed qua dignitate? Dignitate triplici: dignitate præelectionis, dignitate*

dignitate electionis, dignitate subelectionis. Dignitas praelectionis fuit, quando ab aeterno decreto praedestinationis ad hoc fuit praelecta, ut esset Dei Mater intacta: sed postquam Spiritus sanctus eam obumbravit hoc elegit, ut Filium Dei conciperet, & conceptum ineffabili partu in lucem produceret: subelecta etiam fuit, respectu illius humanae naturae, quae Verbo Dei amica fuit ineffabili amore. Illa ergo humana natura principaliter electa est, cui uniretur Beata Virgo subelecta, ut ex ea Filius Dei nasceretur. In Anticlaudio, lib. 5. cap. 9. haec de Beatissima Virgine canit:

*Nescia spineti florens rosa, nescia culpa
Gratia, fons expers limi, lux nubila pellens,
Spes miseris, medicina reis, tutela Beatis,
Proscriptis reditus, erranti semita, caecis
Lumen, deiectis requies, pausatatio fessis.
Haec est, quae primos casus, primaque parentis
Abstergit maculas, vincens virtute reatum,
Diruta restituens, reddens ablata, rependens
Perdita, restaurans amissa, fugata repensans,
Post vespertinos gemitus noua gaudia donans,
Post mortis tenebras vitae nonitate relucens;
Cuius ad aduentum redit aetas aurea mundo,
Post facinus pietas, post culpam gratia, virtus
Post vitium, pax post odium, post triste iocosum:
Ut rosa spineti compensat flore rigorem,
Ut dulcore suo fructum radicis amara
Ramus adoptiuus redimit, sic crimina matris
Ista luit, matremque facit sua nata renatu,
Ut sic mundaream, corruptam Virgo pudica
Effrontem miseram felix, humilisque superbam
Abluat ac vita pariat sua filia matrem.*

Ex Ioanne Gersone.

Gerson in Sermone de Natiuitate Virginis, quem habuit in Concilio Constantiensi, & extat Tom. 3. suorum Operum, fauit illibatae Conceptioni. In secundâ Consideratione ait: *MARIAM ita praeuenit gratia sanctificans, ut quamuis lege communi teneretur obnoxia peccato Originali; iuxta causas uniuersales generationis ab Adam traductae; non sic autem Filius IESVS; quia non ex virili concubitu genitus est; nihilominus ipsa MARIA lege priuata ac priuilegiata sic praeuenta est, ut nequaquam illud generale contraheret, quoniam hoc, ut potuit, & decuit fieri, ut perfectissimus Saluator Filius eius perfectissimum in sua Matre modum impenderet, taliter eam sanctificando à peccato, ut in illud, in quod aliquando casura erat, ipso sanctificante, & gratiam infundente, non caderet; & ita contereret caput serpentis antiqui, numquam ab eius pede contrita. Longior esset sermo, si cuncta prosequi vellemus de hac sanctificationis materia, quam ad benedicta Conceptionis suae Festiuitatem remittimus, elicientes religiosum ac morale documentum, pie & crebro praedicandum.*

Constat itaque, Deum misericordiam saluationis suae non ita legibus communibus traditionis Christianae, non ita Sacramentis ipsis alligasse, quin absque prauidicio legis eiusdem possit pueros nondum natos extra uterum intus sanctificare gratia sua baptismo, vel virtute Spiritus sancti.

Debent igitur mulieres praegnautes, similiter & viri sui per se & alios diligentius preces fundere Deo, & ad sanctos Angelos custodes hominum, etiam puerorum in utero, debent ad ceteros Sanctos Sanctasque omnes confugere, quatenus

infans nondum natus, si forte moriturus est, priusquam ad Baptismi fluminis gratiam peruenire valeat, dignetur ipse Dominus IESVS Summus Pontifex Baptismo Spiritus sancti praueciendo, misericorditer consecrare. Quis enim scit si forte exaudiat Deus, imò quis non deuotius sperare valeat, quod orationem humilium & in se sperantium nequaquam despiciat? Proficit haec consideratio ad excitationem deuotionis in parentibus; proficit ad leuandam eorum angustiam, dum sine Baptismo decedit puer, quia non omnis inde spes ablata est, sed neque absque reuelatione datur (fateor) certitudo. Sed oritur in hac consideratione secundâ, & in similibus dubitatio Theologica salubriter coram hoc sacrosancto Concilio & publicè pertractanda: necessitas enim maior incumbit ut hoc fiat, quam credideram. Trifariam hoc testimonio fauet Gerson concepta absque labe MARIÆ; primò auctoritate propriae sententiae, quoad Immaculatam Deiparae Conceptionem attinet. Deinde aduertentiâ illâ de absoluta diuinæ voluntatis libertate concedentis per priuilegium speciale, quod negatur per leges generales; quoniam cum multos fortasse sanctificauerit post conceptionem in utero adhuc matrum per speciale priuilegium. Non esset multum, si hac communi pluribus praerogatiua decorasset suam Matrem, nisi aliâ magis speciali in ipsa illam conceptione praeseruaasset per singularissimam sanctificationem. Quòd autem multi referantur sanctificati in utero, constat ex variis Auctoribus: sanctum Ioseph sanctificatum fuisse in utero matris, ceteret Gerson hac Homil. de Natiuit. B. Virginis; & tertia parte Alphabeti 59. lib. 2. qui ait, id ipsum asseri in Officio Ierofolymitano, & Iacobus de Valentia scribens super *Magnificat*. Idem de sancto Iacobo fratre Domini, qui ea de causa vocatus sit Iustus, opinantur Hegesippus apud S. Hieronym. lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Iacob. & Epiph. haeresi 29. Idem de S. Nicolao & S. Dominico suspicatur S. Anton. 3. part. Summae tit. 18. cap. 15. §. 6. Idem de Iacobo Patriarcha, qui in utero matris collisus fuit cum Esau, illumque supplantauit, censet S. Ambros. lib. 4. de Fide Histor. Scholast. cap. 66. in Gen. & Dionysius Carthus. in Gen. cap. 25. & 28. vbi pro eadem sententia citat S. Augustinum. Idem de Moysè autumat S. Euphrem Orat. de Transfiguratur. Christi. Alij idem priuilegium dant Samsoni, quia de eo dicitur Iudicum 15. *Et erit nazaraus, (id est, separatus & consecratus) Dei ab infantia sua & ex matris utero.* Verùm haec incerta sunt, & tantum exemptionis à communi peccato & natiuitatis maculatae lege priuilegium nulli dandum est, nisi de eo constet è sacra Scriptura vel traditione. Hic autem nihil tale constat de villo, nisi de Ieremia cap. 1. v. 5. & de Ioanne Baptista Luc. 1. vers. 44. Ita Barrad. lib. 7. Concord. Euang. cap. 12. & Francisc. Suar. 1. part. quaest. 29. disp. 8. sect. 1. Excipio Christum ex vi suae conceptionis, quia conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex MARIA Virgine: item beatam Virginem utpote Matrem Dei, uti habet Traditio Ecclesiae. Potuit Deus pluribus hoc priuilegium dare; sed an de facto dederit, nescimus. Tandem tertio fauet Gerson incontaminato Deiparae Conceptui auctoritate Patrum Concilij Constantiensis, quorum plausum in eo Sermone habuit. Nullius contradictionem veritus, sicut timuit in his, quae

proponitur

proposuit de sanctificandis fortasse infantibus in utero per parentum preces. Diuersimodè enim hoc proposuit Patribus Constantiensibus, sanctificatam Virginem in ipsâ Conceptione, intrepidè, indubitanter & assertiuè. Sanctificandos autem infantulos, timidè dubitanter, & rem maximè disputandam. De quâ eius censurâ consule Suarium Tom. 3. in 3. part. disput. 27. sect. 1. & 3. & Vasquez Tom. 2. in 3. part. disput. 155. Verùm quidquid sit de suspitione Gersonis, illud obiter placet notare, deuotionem Immaculatæ Conceptionis vtilissimam esse parentibus, ne sui filij moriantur cum peccato Originali, sed consequantur prodire in lucem, & aquâ baptismali purificari. Cùm enim beatissima Virgo peccati Originalis experta fuerit, iuuabit etiam, vt illo purificetur pueri, ne per illud pereant. Consonat his, quod Paulus Orosius dixit in Epistolâ, Conceptionem purissimam purissimæ Virginis cultam prodesse pregnantibus, scilicet, ne proles cum peccato Originali moriatur.

Ex Richardo Victorino, & sancto Antonio Paduano.

Præter testimonia Richardi Victorini, quæ ex suis Operibus, quæ typis sunt mandata, colligunt varij Auctores, extat celeberrimum in quodam eius Sermone apud Ioannem Bachonem in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 4. art. 1. quem ipse Ioannes Bachon vidit & legit ad eam exactè, vt citet folium codicis manuscripti. Verba Richardi sunt: *Non dectis vt caro illa beata MARIÆ peccato aliquando obnoxiam se cognouerit, sed electa est ab initio: nam Dei Sapientiâ indignum esse credimus, vt quod ad lumen gentium prædestinauit, tenebris prauitatis suerit inuolui.* Et infra. *Eritne ingratus propria Matri, qui patri & matri honorem præcipit exhiberi?* Hæc auctoritas Richardi magnam habet auctoritatem, cum præter testimonium testis oculati Ioannis Bachonis, doctissimi & diligentissimi Scholastici, partim repetitur in Breuiariis antiquis, imò & in Breuiar. Rom. edito Lugduni, anno 1544. cum priuilegio Summi Pontificis in Lect. 6. Festi Conceptionis. Alia conspicua loca sanctorum Patrum recitantur in prisca Breuiariis, quæ licet non reperiantur edita simul cum aliis eorundem sanctorum Operibus, non minorem habent auctoritatem, quàm prædictam Richardi testimonium.

Plura in Exceptionibus Concilij Tridentini produxi sancti Antonij Paduani testimonia pro Immaculatâ Conceptione: occurrit posthac aliud non minoris momenti, cum in illo se conformet illi decantatissimæ sententiæ sancti Andree Apostoli, in qua testatur, Virginem sine labe primi maledicti conceptam: quam auctoritatem celebrant communiter Auctores, imò & prisca Patres. Ait igitur sanctus Antonius Sermone in Dominic. 12. post Trinitatem: *Primus Adam de terrâ Virgine factus fuit, in quo significabatur, quod secundus Adam de benedictâ terrâ MARIA Virgine erat nasciturus. Mirabile fuit, quando ignis ardebat, & non comburebatur rubus; cum virga Aaron sine flore fructus protulit. Illud, de benedictâ terrâ, includit illam negationem, qua vsus est S. Andreas, ad quam alluditur, scilicet de terrâ numquam maledictâ.*

Ex Venerabili Henrico Susone, sancto Vincentio, & Sanctio Porta.

Venerabilis Henticus Suso, non parua Prædicatorij Ordinis gloria, in Dialogo Sapientiarum cap. 16. egregiè puritatem Virginis in sua creatione commendat, dicens, Deum allocutus: *Ecquid tibi in mentem venit, aut qui tamen effectus eras in illâ tuâ sempiternâ incommutabilitate & incommutabili æternitate, cum tamen præclarè conderes creaturarum omnium purissimam, elegantissimam, atque dignissimam. Merito sanè dicere tum poteris: Ego cogito cogitationes pacis.* Quibus verbis creationem Virginis ob puritatem suam commendat, quæ taliter accidit, sicut erat in æterna Dei prædestinatione, quam propterea dixit, *Præclarè conditam creaturarum omnium purissimam:* imo satis fuisset vocasse illam *creaturarum omnium purissimam.* Siquidem, vt purior esset Angelis, opus erat caruisse impuritate Originali.

Præter alia sancti Vincentij testimonia, planè conspicuum est quod dedit Sermon. 4. in Sexagesimâ: *Exiit qui seminat, &c. allegoricè potest exponi de Incarnatione Filij Dei, qui potest dici seminare. Nota: Sicut ille, qui seminat, intendit multiplicare, & fructum habere propter quod elegit terram bonam, non spinosam vel arenosam, nec petrosam: sic fecit Deus Pater in Filij sui Incarnatione: quoniam licet in mundo fuissent multe mulieres sancta; tamen ultra quinque millia annorum expectauit terram bonam, dignam & sanctam, scilicet Virginem MARIAM optimè cultam, in quâ numquam fuit mala herba peccati: in quâ seminauit illud superbenedictum semen; de quo Luc. 8. Semen est verbum Dei; quod Verbum caro factum est, Ioan. 1. vt multiplicaret, & fructum faceret inestimabilem sanctarum personarum. Quot Apostoli, Discipuli, innumerabiles Martyres, Doctores, Confessores, Virgines, innocentes, pœnitentes & continentis: ecce ratio, quare Filij, Dei Incarnatio dicitur seminare. Simile est regnum calorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo; Matth. 13. Nota, in agro suo, scilicet, Virgine MARIA, qua semper fuit ager Dei. Ideo dicit Spiritus sanctus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Perpendendum est illud aduerbium semper; quoniam beata Virgo numquam fuit aliena à Deo, vel propria Diaboli.*

Sanctius Porta, qui in Familia Prædicatorum cum magna doctrinæ gloria floruit, tertio ab hinc retrò sæculo, hoc est, per annos 1400. multis modis commendat puritatem Originalem MARIÆ: Sermon. 4. de Natiuit. Virginis, part. 3. vocauit illam *Calum*, propter omnimodam vtriusque hominis puritatem; & statim addit: *Ipsi soli conuenit illud Cant. 4. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, in corpore. Et illud Cant. 2. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra. Bis dicit pulchra, propter duplicis hominis, scilicet interioris & exterioris, pulchritudinem & puritatem, qua tanta fuit in Virgine, quod, secundum Anselmum, de Conceptu Virginali, maior sub Deo nequit intelligi. Idem in Sermon. 10. de eadem Festiuitate part. 2. comparans Virginem Paradiso, ait: *Beata Virgo in hoc Paradiso comparatur; quia in ea numquam fuit aliquid corruptum, nec peccati macula infectum.**

Postea

Postea addit: *In illo Paradiso litterali de viro facta est mulier; in Paradiso Virginis spirituali de Muliere factus est Vir. Ad Galat. 4. Misit Deus Filium suum de Muliere, &c. Secundo, quia ille Paradisus apertus fuit serpenti, qui seduxit Eua: iste noster gloriosus Paradisus clausus fuit serpenti, nec potuit ingredi ad eam, imò ipsa est illa que contriuit caput serpentis. Serm. 13. part. 1. Eua habuit duo nomina: Primum, in statu innocentiae Virago: secundum in statu naturae corruptae, Eua; sed de Virago tolle a se, scilicet Adam, qui illum statum perdidit, & remanet virgo, ad inueniendum, quòd status innocentiae perditus per Adam, recuperatur & reducitur per Virginem. Nam Virago syncopatum remanet virgo. Sermone 15. Comparans Deiparam Libro: Composita enim est ex pergamenis virgineis albissimis à quocumque humore peccati totaliter desiccatis; propterea eius materia sunt pergamena virginea pulcherrima sine quacumque macula. Ideò dicit sibi suus gloriosus Sponsus Christus: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Idem in Sermone ultimo multis probat modis omnimodam Virginis puritatem, & illam sine vae Heuæ cum multis Patribus deprædicat. Solùm afferam ex illo hæc, quæ ad Summum Pontificem direxit quem habuit auditorem: *Beatissime Pater, circa hoc vocabulum, Ave considerabam suam litteralem conuersionem, ex quo Eua corrigitur & emendatur. Omnia mala, beatissime Pater, veniunt à nocte & Acheronte, fluvio infernali: secundum poeticam fictionem Acheron Eua ab à quòd est sine, & Cheron, benedictio, quia sine benedictione. Nox tenebrosa, diabolus vel angelus malus, sicut lux & dies Angelus bonus. Augustinus super illo: Appellauitque lucem, Diem, & tenebras Noctem, & quia Angelis cognata virginitas. In isto sensu de Virgine & Angelo ad propositum & concordiam thematis de Eua & diabolo exponitur ille versus: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam, Psal. 18. Dies, Angelus, diei Virgini eructat verbum, scilicet thematis. Ave gratia plena, Dominus tecum. Et nox diabolus, nocti Eua; tenebrosè indicat scientiam. Genes. 3. Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. De qua quidem Eua & Virgine, beatissime Pater, ad propositum dico tria: Primum, quòd per Euam innocentia perditur. Secundum, per Virginem reducitur. Primò Eua fuit nomen in statu naturae lapsæ, Virago in statu innocentiae. Genes. 3. & 2. Sed quis hoc reduxit nomen? Quis hanc reduxit rem nisi Virgo? Virago syncopatum remanet virgo. Secundum dico, quòd per Euam triplex vae triplex dolor acquiritur: in hoc tertio Eua est triplex interiectio dolentis, a, e, eu; à quibus Virgo excipitur, prout superius. Tertium & ultimum dico, & sequitur ex duobus primis, quòd rectè per Euangelium, Ave, ubi conuertitur & mutatur nomen Eua Virgini, proponitur, ex quo per Virginem Eua emendatur & corrigitur. Ergò ne dixeris ultra, ô Adam, Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno vetito? dic potius, Mulier, quam dedisti mihi, cibavit me fructu benedicto: redditur tibi femina pro femina. Adèd autem placuit hoc illibatae Virginis encomium, & eius Immaculatae Conceptionis elogium Summo Pontifici, vt propter hunc Sermonem constituerit Magistrum sacri Palatii ipsum Sanctum.***

Ex Ioanne Bachone.

Cum alibi ex Iure Imperiali protulisset aliqua argumenta & iudicia pro Immaculata Conceptione, iuuat hinc addere, quæ ex Iure Pontificio affert vetustissimus Theologus Ioannes Bachon in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 3. art. 3. Item hoc priuilegium probatur ex Canone Ecclesiastico. Nam 19. quæst. 2. cap. Dna sunt, dicitur: *Qui priuata lege Spiritus sancti ducitur, nulla ratio exigit, vt publicâ lege, quæ propter transgressores posita est, constringatur. Sed (vt deductum est) Mater Christi postquam fuit concepta Spiritus sancti lege, mox specialiter erat deducta & ordinata, vt sic Filium Dei esset conceptura. Ergo, &c. Ad hoc in 6. de Regulis Iuris, Generi per speciem derogatur.*

Confirmatur: Nam tunc est priuilegium verum & perfectum, quando lege priuata est super facto prouisorium, & contrarij facti exclusorium. De Verbor. significat. Abbate, ante finem, vt ibi patet de priuilegio, quod habebat Abbas sancti Bertini super Constitutione Abbatis in Monasterio sancti Siluani. Sed priuilegium, quo post suam Conceptionem mox fuit exempta ab Originali, fuit prouisorium per legem priuata Spiritus sancti, vt hic supra diffusè, & lex priuata Spiritus sancti excludit legem peccati, vt hic. Si Spiritu ducimini, & non, &c. Galat. 5. & 2. ad Corinth. cap. 3. Vbi Spiritus, ibi libertas; & hoc tam de Originali, quam actuali: nam Spiritus totaliter dominatur. Et hoc est, quod sequitur, Dominus autem Spiritus est.

Item hoc patet secundò priuilegia beneficialia: nam in beneficiis Principis plenissima est interpretatio adhibenda, si remissio facta extiterit secundum Canonicas Sanctiones. Vt si Episcopus remittat decimas Episcopales cum consensu Capituli sui, & cum nihil exceperit cum poterat exceperisse, de Priuileg. Quia, &c. Sed quod dicitur, quòd concepta Mater Christi mox fuit verum dicere, quòd erat ipsum conceptura secundum Spiritum sanctificationis, cuius est proprium peccata remittere, hoc fuit beneficium Patris (vt patet Romanor. 1. c.) & ex consensu totius Trinitatis secundum omnes & nihil excipit; sed indefinitè dicit Scriptura, quòd concipiendus erat Christus ex eâ secundum Spiritum sanctificationis: ergo plenissime mox fuit exempta.

Item in 6. de Priuileg. cap. Si Papa, datur regula, per qua verba censentur exempti, vt si Papa aliquos recipiat in proprios & speciales subiectos, tunc censentur exempti: sed cum per Spiritum sanctum ordinauit Deus, quòd Filium suum conciperet, hoc erat eam recipere in propriam & specialem sibi subiectam. Ergo, &c. Ad hoc faciunt alia forma exemptionis ibi posita.

Item idem patet, ubi Canon arctat priuilegia. Nam in 6. de Priuileg. cap. Volentes, arctantur libertates priuilegiatorum ratione delicti, sine contractus, siue rei, de qua agitur: sed vt specialiter conceptura Filium Dei secundum Spiritum sanctum cessat omnis obiectio delicti. Roman. 8. Lex Spiritus liberat hominem, & à se ponit, & sic etiam cessat omnis actio ratione contractus cum diabolo initi, & omnis actio litigiosa ad personam: nam non fuit contractus cum diabolo, nisi pro peccato.

Nec

Nec placet omittere, quomodo nonnulli pri-
 fci Theologi exponebant modum exemptæ Vir-
 ginis ab Originali labe, quem ira docuit Ioan-
 nes Bacho in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 3. artic. 3.
 vbi ait: *Materia enim de se nullam habet for-
 mam; ideo eam quodammodo precedit, sicut per-
 fectibile suam perfectionem, non prius secundum
 tempus, sed secundum ordinem originis. Et quia
 prius secundum ordinem natura oriebatur ma-
 teria de se informis, qua erat informanda; ideo
 fuit in materiâ causa & necessitas, ut esset sub
 priuatione prius quam sub formâ: similiter quia
 caro MARIÆ in conceptione carnali (in quan-
 tum per concubitum genita) caruit iustitiâ Ori-
 ginali seu promptitudine ad obediendum spiri-
 tui: ideo prius fuit in eâ causa & necessitas,
 quâ concepta erat in Originali, quâ causa, se-
 cundum quam futura erat Mater Dei. Nam
 in naturâ suâ esse concepta naturaliter, præsup-
 ponitur ad hoc, ut in naturâ suâ prædestinata sic
 futura Mater Dei; non tamen præsupponitur
 necessariò secundum ordinem temporis. Quinimò
 habito, quòd fuit futura Mater Dei, mox ces-
 sanit necessitas contrahendi Originale. Quem-
 admodum mox cum materiâ proponitur ens in re-
 rum naturâ, cessat informitas, secundo Physicor.
 tex. comm. 2. & August. primo super Gen. c. 18. &
 quòd dictum est, quòd cum materiâ ponitur esse,
 statim cessat eius conformitas, id est, mox fuit for-
 mata, intelligendum est, quòd statim cessat eius
 informitas, id est, mox est aptitudinaliter infor-
 mabilis. Ergo sic in proposito, positiâ in esse carne
 MARIÆ, que propter Conceptionem apta fuit
 ad rebellandum spiritui, statim Deo prædesti-
 nante, potest corrumpi inobedientialitas carnis ad
 spiritum, que est causa Originalis, & Deo acce-
 prante & ordinante mox obedientialitas carnis ad
 spiritum, que fuit causa non contrahendi Ori-
 ginalis.*

Ex Armacano, Thomâ Waldensi,
 & Cælio Pannonio.

FAUIT etiam Armacanus, Hyberniæ Primas,
 Immaculatæ Conceptioni, imò & fauit
 etiam doctissimus Theologus & Hussitarum
 malleus, Thomas VValdensis, qui eiusdem Ar-
 macani auctoritate vitur, disputans aduersus
 Hieronymum VVicleff in Tomo de Sacramen-
 talibus, cap. 89. vbi hæc assert: *Testetur ami-
 cus Armacanus in Sermonis de Conceptione beate
 Virginis MARIÆ, quem prædicauit anno Do-
 mini millesimo trecentesimo quadragesimo secundo
 in Conuentu Carmelitarum Auinione, & habet
 exordium Aue. An non meritò dicimus illi Aue,
 que sic erat illustrata virtutibus in suâ origine?
 Vtrique hanc illustrationem in suo ortu hic san-
 ctus ac peculiaris & antiquus Ordo suus Carme-
 litarum præcedit in habitu: qui hoc Festum
 ipsius singulariter solemnizat, candorem habitus
 sui, ut existimo, prudenter & deuotè referens ad
 hoc factum. Hoc testimonium Armacani adeò
 probauit VValdensis, ut quòd magis illud com-
 mendaret, laudauit Auctorem, dicens: *Taceant
 Carmelita, dum talis & tantus testis, magnus
 indubiè Præsul Ecclesiæ, & vir alta peritia in
 sacris Litteris, testimonium perhibeat Carmelitæ
 Ordinem suum dixerat, dum Virginem sacram
 commemorat.**

Egregium planè est testimonium cælij Pan-
 Ioann. Ensch. Op. Parth.

nonij, quimagnam decus fuit Ordinis sancti
 Pauli primi Eremitæ, qui in suis Commenta-
 riis in Cantica, quorum manuscripta seruan-
 tur in celebri Monasterio Lepoglauæ, postquam
 Ecclesiæ puritatem celebrasset, dixissetque:
*Ecce vnde pulchra Ecclesia, & tota pulchra,
 ecce vnde macula non est in eâ. Quòd ergo est
 in vniuersali Ecclesiâ Dei, hoc & in parti-
 culari; sic inquit: Subtexuit in laudem
 Virginis. Porro celebratur hoc canticum de-
 cantatissimum, & de Deiparâ Virgine per appro-
 priationem, que ideo tota pulchra fuit, quia
 in eâ nulla macula fuit, nec Originalis, nec
 actualis peccati, ut puriores Theologi can-
 tant. Decuit quippe summè puram esse, que
 candorem lucis eterne, & speculum sine macu-
 lâ conceptura, & intra viscera gestatura fo-
 ret, que singulari gratiâ præseruata fuit, ut
 non penetraret ad eam labe ista connaturalis;
 quando corpus afflatu Spiritus consecratum sus-
 cepit animam in plenitudine gratiæ creatam,
 quòd citra altercationem potuit Deus facere,
 & fecit: alioqui non tantum honorasset Pa-
 ter Filium, si Matrem aliquando infamie
 malum subiisse pulsus esset. Quem alioqui
 summè honorificari voluit, atque idcirco ho-
 minem quoque fieri, ut tanquam Redemptor
 ab omnibus honorificaretur in celo & in ter-
 rà, & etiam apud inferos, ut docet Aposto-
 lus Philipp. 2. Sed decor quoque virtutum om-
 nium illius pulchritudini accessit, quatenus ni-
 hil esset in eâ non summè pulchrum, summèque
 admirabile, ac denique summè amabile, vtpote
 que toto cumulo virtutes omnes laudatissimè in
 sese contineret.*

Hæc licet eruditioni & deuotioni tuæ non
 sint satis, meæ tamen quassatæ valetudini affa-
 tim scripta sunt.



EPISTOLA XVI.

De naturâ, gratiâ & diuinis vir-
 tutibus, Immaculatam Virgi-
 ginis Conceptionem expo-
 stulantibus.

Ad eundem.



MVLTI & nouis testimoniis
 muniti à me illibatam Deipa-
 ræ animationem, gauisum te
 gaudeo: verùm ne etiam desi-
 deres rationes, multas in vnâ
 auctoritate tibi exhibebo ex
 Ioanne Gersono Sermon. de Conceptione
 in templo sancti Germani. Relinquo illas
 magnas de institutione Festi Ecclesiastici, &
 communi assensu fidelium deducto à primiti-
 uâ Ecclesiâ & Apostolicis temporibus, de
 quibus in specialibus Opusculis egimus. Præ-
 ter has enim multas congerit rationes & con-
 gruencias prædictus Doctor in illâ concione,
 quas memorare oportebit: & quia fortasse ac
 manus non habebis Gersonis Opera, placet hîc
 transcribere. Inducit enim per prolopopœiam
 LI Naturam

Naturam, Gratiam, & diuinas Virtutes pro intemerato Virginis conceptu perorantes, dicens:

Natura, posteaquam concessa ei à Deo loquendi facultas fuisset, sic est locuta: Scis, Domine, quod secundum primariam meam & legalem institutionem producere deberem homines tales, quod in regno eorum spirituali nulla esset rebellio carnalitatibus, vel sensualitatis contra rationem, quia lex mea naturalis iustissima est. Idè peto, quòd caro, quæ est ancilla, serua & famula, nihil faciat contra auctoritatem, & voluntatem animæ, quæ est regina sua, domina & magistra. Ob hanc causam passiones & inordinati motus turpes sunt & culpabiles in hominibus, qui non sunt tales in bestiis, vt superbia peccatum, vel turpitudine in equo; non inest crudelitas in leone, astutia in vulpe, inuidia in cane, auaritia in cornice, & sic de aliis. Quare? quia in se rationem non habent, quæ alio modo talia bruta regere debeat, sicut ratio est in homine: idè mihi apparet sub correctione tuâ indecens esse tibi summo Principi, & mihi, quòd amica tua haberet talem discordantiam in spirituali regno suo potius quàm bruta, & quòd prima mater Heua in hoc habuisset maius priuilegium in natiuitate suâ, quàm illa, quæ erat mater tua: nam ipsa Heua sine rebellionem facta fuit. Addo huic, quòd ius meum ius naturale est, quòd filius debet honorare matrem suam, quemadmodum semper in scholâ meâ prædicauerunt discipuli mei, Philosophi & Poëtæ. Sed quomodo sufficienter honoraretur, si inhonestum peccatum in eâ aliquo tempore dominaretur? Veritas est (ait mox Obedientia) cum tu summus Princeps vis habere matrem carnaliter in terrâ, illi debebis honorem, reuerentiam, seruitium, obedientiam, Nec huic contradicet Iustitia. Nunc autem apparet, illam legem non benè adimpleri, si in huiusmodi abominatione, immunditiâ & subiectione peccati aliquo tempore permitteres illam, quæ esse debet habitaculum, templum & palatium totius puritatis.

Sic argumentabatur Obedientia, cum sensit Charitatem, quæ & causam suam voluit enarrare, cui reuerenter cessit. Verè Pater omnipotens (ait Charitas) tu me fecisti (& in te me glorifico) reginam virtutum, & sine me quæcumque ipsarum non perfectè conueniret humanæ creaturæ, nec concederetur. Sum illa, quæ eas illuminat, sicut Sol calores, & viuifico animam, sicut anima corpus, & sine me mortua est anima, ac impotens facere quæcumque operationem studiosam, sicut corpus sine anima. Si ergo contingeret (quod absit) quòd aliquo tempore in conceptione eius, vel postea essem elongata, & extra illam Dominam, ratione peruersi tyranni peccati Originalis, quis eam custodiret? nullo enim pacto in eâ habitare possem. Videamus, quid esset: Primò, anima eius spiritualiter mortua esset; & idè turpis, fœtida, deformis, non placens tibi Deo, nec à te amata, indigna societatis tuæ, & societatis Angelorum, & digna separari perpetuè ab eis. Et si in illo statu moreretur, absque dubio æternam ingrederetur damnationem. Etiam ipsa esset habitatio tenebrarum, quæ lumen portare debet. Rectè dixit Sapientia: Admodum impertinens esset, si sic fieret, & matutina stella in ortu eius eclipsim faceret, rosa noua deficeret, fons gratiæ deflueret, flos filij

palesceret, Mater vitæ mortua esset, Regi mundi subiiceretur. Sed cui subiiceretur? subiiceretur fœdiori & abominabiliori subiectioni, quæ esse posset, illi scilicet, quæ est ipsius peccati.

Sed etiam Pater totius bonitatis, inquit Misericordia, postquam in tantum condescendisti nostræ conditioni miserabili, vt redimere velis humanum genus à seruitute peccati, iustum est sis perfectissimus Redemptor, & saltem redimens vnâ personam excellentissimè. Et nouisti quòd inter sex modos redimendi, perfectior est præseruare personam taliter, ne labatur in subiectionem peccati cuiuscumque siue Originalis siue actualis, quæ aliàs sine tuâ tali præseruatione in illud caderet, sicut maior fit gratia præseruando hominem ne cadat in lutum, quàm postquam cecidit, eundem releuare; sed quam personam perfectius redimere debes, quàm Matrem tuam, & singularem amicam? Virginitas dixit, quòd non minùs esset pertinens ad Filium Dei habere Matrem semper Virgincm spiritualiter, quæ nunquam fuisset violata per peccatum quoad animam, quàm habere Virgincm corporaliter, in quantum virginitas & integritas animæ nobilior est & perfectior, quàm illa quæ est corporis. Sed peccatum mortale quodcumque, certum est corumpere, violare, & enervare animæ puritatem & innocentiam. Eapropter sine tyranno illo peccato concepta esse debet Virgo illa, sicut debet virgo corporaliter. Nec obliuioni dandù, quòd pars carnis suæ debet esse caro purissimæ humanitatis, quam accipiat Deus noster. Idè esse debet nitidissima, mundissima & purissima. Prudentia, quæ leges legaliter interpretatur, cum loqui deberet, valde eleganter rationem suam assignauit. Non video, inquit, in materiâ hac repugnantiam vllam, quin tota pulchra amica Dei nostri debeat omni tempore in suâ conceptione, & post absoluta esse, & libera à damnifero tyranno peccato Originali, nisi forsitan secundum legem illam generalem, quam prætendebat Sapientia, adhortatione Iustitiæ, quòd omnes peccauerunt in Adam. Miror, si Iustitia velit, quòd summus Imperator & legum conditor sit tam adstrictus ipsi, quòd nihil possit aut debeat immutare propter quemcumque casum contingentè. Magis esset seruus ad leges suas, quàm Princeps temporalis ad suas: & magis serua esset sponsa eius, calique Imperatrix, quàm terrenæ Reginæ, quæ priuilegiatæ sunt contra omnes ciuiles seruitutes (priuilegiata Augusta) Interrogo Iustitiam: cum eo modo velis esse leges seruatas, si Domina nostra non comprehendatur in generali hac lege & maledictione, quam dedit Deus mulieribus propter peccatum Heuæ, scilicet, quòd in dolore & angustia essent pariturae? Scio, quòd hoc dicet, quoniam sine dolore est paritura, & cum lætitiâ. Quare ergo nõ æque benè poterit excipi à graui maledictione peccati Originalis, cum tam rationabiliter & rationabiliùs fieri possit in hoc casu, sicut in alio? Dicit discipulus meus Aristoteles in Polit. leges dari vniuersaliter, non quin in aliquibus particularibus casibus possint & debeant habere rationabilem exceptionem, sed quin sæpius ita fit, quemadmodum lex dicit. Te rogo, Iustitia cõsidera qualiter supremus Imperator sæpenumerò pro valde minori causa, quam ad honorandum Matrem suam & amicam, mutat &

variat

variat communem & consuetum cursum, tam naturæ quàm Scripturæ, operando sæpè miracula, gratias, venias & priuilegia. Nónne sistere fecit Solem propter Iosué; resuscitauit mortuos propter Eliseum; prohibuit ignem vrere propter Daniele; & etiam ad propositum nostrum contra communem cursum sanctificauit Ieremiam ante natiuitatem eius, & reddidit hereditatem temporalem Paradisum terrestrem Henoch & Eliæ? Certum est igitur, quòd lex generalis non debet esse in præiudicium gratiæ ac priuilegij specialis, & apparet mihi, Iustitiæ, te non modò ad hoc inclinare debere, sed illud idem petere. Nónne officium tuum est, postulare vt filius matrem suam honoret magis quàm alios; quemadmodum benè dixerunt. Natura & Obedientia? Certè sic est. Nónne officium tuum est, quòd Imperatrix habeat priuilegium contra omnem feruitutem, præsertim ignominiosam? Sic certè. Nónne ad Iustitiam pertinet petere, vt thesauraria gratiæ, amica Dei numquam sit sine gratiâ Dei & suo amore? Ita reuera. Sed finaliter iustum est, quòd Regina illa & magistra Angelorum, quæ secundum promissionem diuinam debet contere & frangere caput serpentis, id est infernalis inimici, non sit vlllo tempore membrum suum, & subiecta eius. Alioquin semper posset improperare ipsi, & per irrisionem dicere: Ecce Dominam, quæ dicitur tota pulchra; sed sub me fuit maculata, contaminata, & prostituta per peccatum Originale. Ecce amicam Regis vestri, sed ipsius primùm ego rex fui & dominus per peccatum Originale. Ecce illam, quæ se dicit domicilium & matrem virtutum, sed priùs ipsa obediuit mihi, & me hospitio suscepit per peccatum Originale. O Deus optime & potentissime, absit, vt eo pacto irridere possit tuus & noster inimicus.

Hæc, quæ hactenus retulimus, verba Gersonis sunt, & rationes pro incontaminatâ Deiparæ generatione, quibus tua pietas plures alias poterit adiciere.



EPISTOLA XVII.

De singularitate Christi, & variis quæstiunculis.

Ad Perplexum.



VAS mihi responsuro obiectiunculas vix audes proponere, non ita contemno, vt vltro & libens non sim satisfactorus. Planè & læuigata omnia velim circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem. Obiicis, cur sanctus Bernardus Clareuallensis, siue Bernardus Toletanus, Synchronos eiusdem in Serm. 4. super *Salue Regina* dixerit mundam Virginitatem à peccatis *Originalibus* in plurali, cum non sit in vnaquaque personâ nisi vnum peccatum Originale. Ad hæc dico, multos olim, & maxime tempore vtriusque Bernardi, censuisse plura in singulis hominibus peccata Originalia fuisse, prout testatur eiusdè ætatis, Auctoris, Gulielmus

Ioann. Enseb. Op. Parth.

Parisiensis, in lib. de Vitiis & peccatis, cap. 6. vbi ait, satisfaciens cuidam obiecto: *Responderunt autem, & adhuc respondent multi in hoc, dicentes, reuera plurima esse Originalia peccata, videlicet, tria in vnoquoque secundum tres vires; vnum enim peccatum contendunt esse vniuscuiusque trium virium corruptionem per se, & tres trium virium corruptiones Originales tria Originalia, opinionem suam confirmantes ex e, quod super Psalm. dicuntur recta Originalia peccata, & super 16. Matth. dicit auctoritas Bedæ; Afero nequam, qui dimittere noluit conseruo suo, repetenda esse non solum actualia, sed etiam Originalia. Nos autem iam diximus propter quid, & qualiter, & vna & multa dicantur.*

Opponis similiter, à nonnullis Patribus dici Deiparam sanctificatam in vtero, & natam sine peccato Originali. Vnde videntur supponere conceptam in illo. Fateor quidem aliquos antiquos eiusmodi locutos, etiam ex Scholasticis, vt Albertus Magnus. Verùm iidem fauere Immaculatæ Conceptioni, vt de eodem Alberto Magno aliquando ostendimus. Præterea, ex illo modo loquendi non sequitur maculatam fuisse Deiparæ Conceptionem; nam eodem modo loquuntur de Christo, vt constat ex S. Ambrosio in cap. 8. ad Romanos; vbi locutus de carne Christi ait: *Est enim sanctificata in vtero, & nata sine peccato, & neque ipse in illâ peccauit.* Sumpserunt quoque aliqui verbum *nata* pro *genita*, locuti potius de natiuitate in vtero, quàm ex vtero.

Interrogas etiam; An excefferit Odo Cameracensis in exposit. Canonis, dist. 3. cum dixit *Ab immaculata*. Nam ex eo quòd beata Virgo fuisset immaculata infert eius Filium, qui factus est hostia pro peccatis, immaculatum esse, cum minimè dependeat sanctitas & puritas Christi ab eo, quòd beata Virgo fuerit cum peccato Originali, vel sine illo, quoniam ipse Christus per se & per suam naturam sit immaculatus & sanctus. Profectò ita est; & laudo illud sancti Bernardi dictum Serm. de Annuntiat. *Non quia tu benedicta, ideò benedictus fructus ventris tui, sed quia ille te prauenit in benedictionibus dulcedinis, ideò tu benedicta, Verè etenim benedictus fructus ventris tui, in quo benedicta sunt omnes gentes: de cuius plenitudine tu quoque accepisti cum ceteris, etsi differentius à ceteris. Ac propterea quidem benedicta tu, sed in mulieribus; ille verò benedictus non in hominibus, non inter Angelos, sed qui est, vt ait Apostolus, super omnia benedictus Deus in sacula.* Nec Odo Cameracensis contrarium dixit, sed id supponens, à posteriori & per iudicium id collegit, non à priori, nec per causam influentem, quemadmodum & alij Patres disputantes aduersus Nestorium (sic sanctus Cyrillus) ex Matre Virgine confirmant, & argumentantur Christum esse Deum, non quidem à priori, & ex causâ argumentum accipientes; quandoquidem virginitas Matris non fuit necessaria causa diuinitatis Filij, cum potius diuinitas Filij fuerit causa eligendi Matrem virginem; sed quasi à posteriori, & ex decentiâ inferunt, ex virginitate Matris Filium esse Deum. Vnde Etherius, Vxamentis Episcopus, & Beatus Presbyter in lib. 1. de Adoptione Christi Filij Dei, probant diuinitatem Filij, & eius sanctitatem naturalem, non adoptiuam, ex Virginitate Matris, dicen-

In Epist. de mente Alberti.

tes: *Quis est Filius Dei, nisi Deus, quem Virgo peperit MARIA? Perpicue etiam postea: Quomodo non est IESVS CHRISTVS Dei Filius, qui de Virgine natus est? Deinde dicitur: Hoc totum quare diximus, nisi ut IESVM CHRISTVM, qui de Virgine natus est, verum Deum, & verum Filium Dei esse propriam firmeremus.*

Sanctus Eulogius Alexandrinus Homil. in Ram. Palmat. sic inducit Virginem loquentem: *Non enim mundo peperit purum hominem, sed Deum incarnatum. Cuius rei testis est locuples constans virginitatis signaculum.* Paulinus Aquileiensis in libro primo trium, quos scripsit aduersus Felicem, gloriam Resurrectionis Christi, tamquam Dei, confirmat ex virginitate & sanctitate suæ Matris, dicens: *Per id enim resuscitatus crederis, quod de sanctâ Virgine nasci dignatus es.* Sic etiam omnes Patres Concilij Francofordiensis in Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ probant ingenuitatem Christi, tamquam Filij Dei ex puritate Virginis, etiam Originali. Sensus Patrum est, non quod virginitas Deiparæ positiua influxerit in Filij sui Deitatem, aut immaculatio in sanctitatem, sed negatiue se habuerunt circa utramque, hoc est, quod nisi fuisset virgo & immaculata, non incarnaretur in eâ diuinum Verbum, nec fuisset genitrix Christi ad instar quodammodo eius, quod dicunt Peripaterici de principiis naturalibus, materiâ, formâ & priuatione: assignant enim priuationem inter principia, non quod positiue influat aut construat compositum naturale, sed quoniam necessarium sit ad introducendam nouam formam, sit materia prius priuata antecedente: sic etiam ut carnem assumeret Dei Filius, oportuit, ut eius Mater fuisset priuata siue negata omni corruptione animæ & corporis. Hoc etiam modo intelligendus est Theophilus Alexandrinus in Epistolis Paschalibus, qui indicat Christum processisse *noni decoris hominem*, quia ex virgine Matre natus fuit. Et Arnobius Romanus Comment. in Psalm. 10. qui videtur quasi ostendere Christi summam sanctitatem ex sanctitate Matris.

Quod si apud Arnobium in Matris immaculatione comprehendatur, ut par est, integritas puritatis Virgineæ, benè poterat inde inferri, Christum etiam ex hac parte sine peccato Originali conceptum, quamuis & hoc ipsum excellentiori modo habuisset per vnionem hypostaticam. Verum hoc non obstat, quò minus ex aliâ parte negandum illi fuisset peccatum Originale; quia conceptus fuit non per generationem naturalem filiorum Adam ex virili semine, nec cum voluptate carnis, sed ex Spiritu sancto, & MARIA virgine, prout nonnulli Patres fatentur, & S. Ambrosius dixit: *Idcò Virginalis uterus electus est ad partum Dominicum, ut in sanctitate differret caro Domini à carne nostrâ: in causâ enim similis est, non in qualitate peccati substantia. Propterea ergo simile indixit, quia de eadem substantia carnis non eandem habuit natiuitatem, quia peccato subiectum non fuit corpus Domini.* In his verbis refert puritatem Domini corporis ad puritatem virginalem MARIAE.

Detrahis quoque Richardo de sancto Laurentio, quòd in suo Opere de Laudibus Virginis dixerit, Matrem esse immaculatam, sicut &

Filius est immaculatus; quasi æqualitatem constituisset inter CHRISTVM & MARIAM. Immetitò profectò poterit offendere hic loquendi modus communis Patribus & Doctoribus, qui per illum non intendunt adæquare penitus MARIAM suo Filio, sed solùm assimilare, significantes per huiusmodi locutionem, similitudinem, analogiam & societatem MARIAE cum CHRISTO, non dignitatem, nec sanctitatem æqualem, sed solùm quòd habuerit beata Virgo per priuilegium omnimodam puritatem, sicut Christus per naturam habuit illam infinitam, similesque fuisse, quamuis non æquales. Vnde sanctus Augustinus Serm. 20. ad Fratres in Eremito, siue 10. de Natiuitate Christi ait: *MARIA mater electa est, & super omnes creaturas preelecta, omnibus gratiis secundata, omni virtute & sanctitate repleta, ut de mundissimâ Matre mundissimus Filius nasceretur; & sicut in calo qualis Pater, talis est Filius, sic & in terrâ secundum carnem, qualis est Mater, talis est Filius.* Et Hugo Victorinus collat. 3. de Verbo incarnato ait: *Vt sicut in calo Deus habuit Patrem immortalem æternus, sic in terrâ haberet Matrem virginem incorruptus. Igitur in calo qualis Pater, talis Filius, & in terrâ qualis Mater, talis Filius. In calo cum Patre æternus & immensus, in terrâ cum Matre immaculatus.* Paulò post: *Talis ergo Agnus, qualis Mater Agni, ex mundâ mundus.*

Expetis quoque à me, quid solidè diceudum sit circa singularitatem priuilegij Christi sine peccato Originali concepti: nam nonnulli ex Aduersariis cum videant suam opinionem destitutam Patrum testimoniis, & agiographorum librorum auctoritate, confugiunt ad excellentiam singularitatis in Christo, propter quam ipsum solum decebat hoc priuilegium immaculati conceptus; nullius tamen momenti hæc consideratio est. In primis, Quam exiguæ efficaciam sit hæc argumentatio de singularitate CHRISTI, ne ipsi fiat iniuria, si communicetur Matri suæ magna excellentia, communis illi, quamuis puræ creaturæ colligere potest non nemo ex eò, quòd eodem argumentandi genere abutantur Hæretici, ad negandum Beatæ VIRGINI, quòd sit Aduocata nostra, prout notauit Feuadentius in Scholiis ad lib. 5. S. Irenæi, cap. 19. vbi vocatur DEIPARA Aduocata Euxæ, sic ait Feuadentius: *Tam apertum huius rei Irenæi testimonium, cum non potuissent corrumpere Magdeburgenses, consuerunt incommodum dictum esse. Gallasius illis impudentior vociferatur, magnam inde CHRISTO conciliari, & inferri iniuriam. Fingit postea bonus ille vir se stupefcere, & mente ferè alienari, dum admiratur ad tantam Satanae efficaciam, serpentisque paulatim subrepentis calliditatem. At hic illustratur CHRISTI Gloria. Vigilanti Satelles, & non obscuratur, qui sibi ipse fieri pronunciauit, quicquid membris suis fecerimus, qui non solum se sanctos suos, quos amicos, fratres, membra, coheredes, sal terra, lucem Mundi vocat; sed & Patrem suum in calis honorare erudiuit; quando intercedentium, & Aduocatorum partes sub Christo ipsis tribuimus, quos iudicatuos Tribus Israël, imò & Angelos ex sacris Litteris didicimus. VIRGINEM itaque piissimus Martyr, & doctissimus hic Antistes decenter Aduocatam Euxæ, aliorumque, proinde peccatorum, rectissime nominat, cui magno consensu subscripserunt, quot-*

quot de pietate CHRISTIANA ab eius aetate, sanctè, purèque senserunt. Hactenus ille.

Præterea, non aptè loquuntur qui immunitatis originalis priuilegium nuncupant, & attribuant Christo, cum eius sanctitas omnimoda, & immaculatus conceptus nequaquam dici debuerit, nec fuerit priuilegium, sed natura, hoc est, non opus habuit priuilegio ad cendum peccato Originali, cum ex natura sua fuisset infinite sanctus ex primo suæ conceptionis instanti, in quo facta est hypostatica unio. Quare nihil detrahatur dignitati Christi, si quod ipse habuit per naturam, tribuatur Matri per priuilegium. Verum omisso modo loquendi, non considerando in Christo fuisse priuilegium, sed excellentiam singularem, siue singularitatem excellentem, quam per suam naturam habet, nullatenus diminuitur eius gloria, quod puritas similis communicetur Matri per gratiam. Præterea non omnis singularitas iacturam facit suæ gloriæ, quod communetur, ut constat in Diuinis, in supernaturalibus & in humanis. Neque enim persona Filij minorem gloriam habet, quod etiam Spiritus sanctus & Pater diuinam habeant naturam. Neque aliquod obsequium præstitit Arius Deo Patri, quod vellet eius personam esse singularem in substantiâ diuinitatis; Filiam autem minorem fuisse, non eiusdem substantiæ. Imò potius magna gloria est trium Diuinarum personarum, quod sint consubstantiales, neque in hoc aliqua earum habeat singularitatem incommunicabilem aut incommunicatam. Hæc terigi de Diuinis, ut agnoscamus additamentum excellentiæ, quam singularitas potest dare, suam considerationem habere, neque in omnibus rebus æqua sit eius ratio. Venio ad supernaturalia, quoad sanctitatem communicatam creaturis; & nihilominus Christus prædicatur ab Ecclesiâ, *Tusolus sanctus*; quoniam gloria sanctitatis naturalis & essentialis, quâ habet, quam habet, non est diminuta per sanctitatem gratiæ hominibus concessam. Cùmque sine detrimento suæ eximiæ sanctitatis dedit hominibus sanctitatem actualem, cur non etiam potuerit communicare Matri sanctitatem Originalem sine iacturâ suæ gloriæ, ad quam non habebat opus excellentiâ alterius singularitatis, quàm esse sanctum per naturam, quamuis alij sint sancti per gratiam, & Mater sancta Originaliter per priuilegium? singularis fuit dignitas Christi, quod per se fuerit in suâ conceptione necessariò immaculatus, quamuis eius Genitrix fuisset per gratiam illibata in suâ: imò ex hoc redundat gemina Christi gloria, vna de singularitate suæ propriæ excellentiæ; altera de excellentiâ maternâ. Sicut etiam in humanis non derogauit suæ gloriæ Imperator Leo, quod noluerit solus & singulariter imperare, sed simul cum patre, ad Imperium assumpsit; nec proinde defraudata est ei gloria singularitatis, quod Imperator iam per se communicaret Imperium, quod alius accipit ab ipso. Etenim prima illa Imperij gloria in Leone mansit singularis.

Neque decebat obstare singularitati Christi gloriæ maternam, cum ea ipsa gloria ab ipso exundet, & in ipsum redundet. Sicut enim singularis gloria Saluatoris fuit, quod nasceretur sine virili semine, hæc ipsa gloria fuit Matris, quæ virgo concepit, & peperit. Ita etiam sin-

Ioann. Euseb. Op. Parib.

gularem excessum puritatis in Christo decebat, ut Mater eius fuisset summè pura, etiam in primâ Origine, nec superaretur ab Angelis in primâ Origine, nec superaretur ab Angelis in hoc puritatis genere. Vnde maior Christi honos est honorificentia sanctitatis maternæ post singularitatem suæ diuinitatis; nunquam enim Christus potuit carere hac singularitatis gloria, quod sit homo Deus, & Verbum caro factum, ex cuius plenitudine gratiæ omnes accepimus, & eius Mater plus omnibus; minòq; posse existimari defectum huius singularis gloriæ effectum ipsius, qui est peccatorum ablatio, & excellentissima redemptio, etiam per præseruationem. Denique singularitas conceptionis Christi semper manet intacta; nam concipi ex Virgine & per opus Spiritus sancti, & cum instanti perfectione, & simul cum unione hypostaticâ, & cum negatione totius peccati per se, singulare semper & multipliciter est: cui multiplici singularitati nequaquam derogat concepta Virgo per copulam naturalem, quamuis sine peccato per priuilegium. Credo ex dictis posse tuam quiescere habilitatem: at si amplius desideras, curiositati erat satisfaciendum, non tuæ dubitationi.

Nihilominus, ne illam ieiuniam relinquam, accipe quod circa singularitatem Christi dixit Philippus Stancharius in Epist. ad Hieronymum Caballum, quæ reperietur inter Epistolas sancti Laurentij Iustiniani, sic inquit: *Neque propter hoc beata Virgo quantum ad immunitatem peccati fuit equalis gradus humanitati Christi; quia Christus per suam propriam potestatem, cum fuerit Deus & homo, peccatum Originale non contraxit, neque contrahere potuit, sicut nec damnari: Virgo autem gloriosa quamuis Dei misericordiâ præuenta peccatum Originale non contraxerit, quantum tamen de se fuit, ex propagatione suæ originis contrahere potuit. Ceteri verò huiusmodi peccatum contrahere potuerunt, & de facto contraxerunt. Et sic beata Virgo infra dignitatem solius Filij constituta, omnes alios homines magnificè præcallebat. Quæ si de Spiritu sancto concepta fuisset, nulla fortasse insurgeret questio. Nunc autem quia per concubitus viri & mulieris concepta est sicut ceteri homines, quod ab Originalis peccati maculâ dicitur immunis, apud quosdam inconueniens reputatur: sed hoc non videtur obstare, si consideretur, quod talis præseruatio fuit à supernaturali causâ, habente potentiam innitam. Positâ namque causâ naturali, etiam sufficienti, poterit Deus virtute omnipotentia sua suspendere effectum, ne eueniat, sicut pueri non sunt combusti in fornace Babylonis nec occisus Daniel à leonibus. Et tota ratio huius est, quia prima causa, cuius virtute & influxu agunt secunda causa, suspenderit hanc virtutem & influxum. Ita in proposito dicimus, quod licet ex viri & mulieris semine concipi videatur esse sufficiens causa, quod quis cum Originali peccato concipiatur: poterit tamen Deus suâ infinita potentiâ illam præuenire maculam, ne eueniat ita; quod fetus sit purus & immaculatus. Neque hoc negarent, qui oppositam partem sequuntur, tamen dicerent, quod non fuisset conueniens. Sed hoc etiam non obstat, quoniam concessâ possibilitate, concedi videtur & conuenientia, quia minimum inconueniens (ut Anselmus dicit) in Deo est impossibile.*

Desideras etiam scire, quo sensu aliqui Scholastici ex antiquis dixerunt, Virginem sanctificatam *mox*, aut *citò*, aut *subitò* post animationem. Iam indicaui in Opusculis meis, dum nihil aliud addant Doctores illi, non negasse propterea donatam animam Virginis gratiã in primo instanti suã creationis, & solum notasse posterioritatem naturæ: quoniam accidens præsupponit subiectum; sic & gratia sanctificans supponit animam sanctificandam, ad quod non est necessaria antelatio aliqua temporalis, imò nec instantanea: nam in eodem instanti temporis potest accidere prius & posterius natura. Ne autem existimes hanc expositionem è meo cerebro esse, solemniter ille Doctor Henricus à Gandauo, inter Scholasticos antiquitate & acumine præstantissimus, in Quodlibet. 15. prædictum sensum tribuit S. Augustino: verba Henrici sunt hæc: *Quod & mihi videtur sensisse Augustinus in quodam Sermone de Virginis Natiuitate, ubi dicit sic: Nostra natura ad similitudinem Dei in principio creata fuit: quatenus indesinenter ipso Deo perfrueretur, & eius gloriã sine omni corruptione & mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum statim in primis hominibus perdidit, atque in huius mundi miseras infelix & præceps ruit, in æternas miseras decursu vitæ labentis curriculo multò infelicius ruitura: transferunt multa secula, & damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata. Nec enim summi sapientia Dei ullam in massã generationis humana viam inuenit, per quam, ut disposuerat mundum, veniens tam luctuosa perditioni subueniret; donec ad istam, de quã loquimur, Virginem ventum esset. Sed hæc mox ut in mundum per humana generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantiã perfectè resplenduit, ut eam ipsa Sapientia Dei verè dignam iudicaret, per quam in hominem veniens, non modò reatum priorum hominum, sed & totius mundi peccata deleret. Idem in eodem aliquantulum supra: Puella de propagine nata Adæ, de peccatrice progenie orta, subitò versã vice maledictionis Eua benedicta predicatur super omnes mulieres. Aduerte quod dicit; Mox ut in mundum per humana generationis lineam venit: itemque dicit: Subitò versã vice maledictionis Eua. Et ne aliquis quod dicit, Vt in mundum venit, exponat deuenire per natiuitatem eius ex utero, & cetera de virtutum constantiã quas in vitã suã exercuit; specialiter exprimit aliquid de illã seorsum inquiring: Nata igitur, & infantiles annos exuta, quã castè, quã sanctè, quã Deo dignam vitam instituerit, ac institutam egerit, quis vel cogitatu, non dico dictu, queat coniecturare? Statim subdit Henricus: Nec exponat aliquis illud, quod dicit Augustinus: Mox, & subitò, sic, id est post breue tempus, in quo fuit in Originali peccato: hoc enim non videtur mihi pium sentire de Virgine. Mens Henrici quamuis consentanea fuerit S. Augustino, quoad nostrum institutum attinet, quòd propter illa verba non deserit beatissimæ Virginis anima esse sanctificata in primo instanti suæ vnionis ad corpus; differt tamen ab illo in quodam additamento, quod est extra mentem S. Augustini. Etenim Henrici sententia hæc est, quòd anima beatissimæ Virginis nullã temporis particulã aut instanti physico & reali caruisset gratiã;*

nihilominus per aliquod instans imaginariũ, siue momentum momenti, siue prioritatem naturæ potuisse esse, siue potius cogitari sub peccato Originali. Inter alia hæc sunt eius verba: *Sed est aduertendum, quòd hoc quod Originalis culpa in animã, & gratia in ordine ad agentem habent esse simul: hoc tamen est quodam ordine nature; quia gratia, ut est emundans, non habet esse à mundante in quantum huiusmodi, nisi præcedente immunditiã, & si non duratione, & esse reali, naturã tamen. Et ideo licet habeant esse simul naturã in eodem instanti: hoc tamen est secundum aliud & aliud signum illius instantis. Habet enim culpa esse in illo secundum signum prius. Et ut illud instans est terminus temporis præteriti, & gratia in ordine ad agentem non nisi secundum signum posterius; & ut instans illud est initium temporis futuri sequentis. Sic igitur videtur mihi, quòd Originale in Virgine per solum momentum instantis fuisse potuit, rerum naturã non repugnante. Hæc imaginatio magni huius Doctoris excogitata fuit pro illo tempore, cum Decretum Mauritiij Parisiensis Antistitis vigeat, compescens Scholasticos, ne liberè docerent, quæ pro Immaculatã Conceptione sentiebant. Prætextuque tantæ subtilitatis voluit indemne, & sine vllius inuidiã, aut iniuriã sui, tueri Henricus gratiam Virginis in primo instanti suæ creationis; dumque in metaphysicã illã distinctione duorum momentorum vnus instantis dedit verba tempestati illi; physicã tamen realitate absolutum dedit suffragium sententiæ piæ.*

Atqui ut plenum testimonium sit in ore duorum vel trium, addo ad Henricum Gandauensem alium non minus celebrem doctrinã & antiquitate Theologum, eximium Philosophum, & præstantissimum Canonici Iuris peritum, Ioannem Bachonem, quem vocarunt Doctorem Resolutum. Hic tantus vir in 4. Sentent. dist. 2. quæst. 3. art. 4. hæc ait: *Quod dicitur, quòd mox post suum esse conceptum fuit Mater Dei exempta, intelligendum est, quòd ly mox, dicit ordinem nature, non temporis, ut sic in eodem instanti secundum rem fuerit concepta sub necessitate contrahendi, & exempta: ideo verum est dicere, quòd in conceptione contraxit necessitatem, & post immediatè fuit exempta in ipsã conceptione; accipiendò post, ut dicit ordinem nature tantum, sicut per simile declaratum est, quòd in eodem instanti materia est informis & formata: & aer tenebrosus & lucidus, saluo tamen ordine nature, non temporis.*

Tertius testis sit Cardinalis Aureolus, acutissimus Doctor, & Ioanne Bachone antiquior, qui lib. 3. Sentent. distinct. 3. quæst. 1. artic. 4. citans locum sancti Augustini huiusmodi, ait: *Augustinus in Sermone de Natiuitate beatae Virginis dicit: Non inueniebatur mulier, ex qua massam vniuersa carnis assumeret, &c. Sequitur: Mox autem dum ad MARIAM ventum est, mox electa est; sed mox est idem quod instanti: ergo in instanti fuit electa. Assumptum patet, quòd mox, id est in instanti, 7. Physicor. cap. penult. Si dicas mox, id est morula. Contra te idem dicam de formatione corporis Christi, vel conceptione Christi, quia dicit communis schola, quòd in Saluatione Angelis mox concepit secundata.*

Quartus testis fit Albertus Magnus, imò & multiplex testis, insignis Scholasticorum chorus, qui Virginem censuerunt fuisse immunem ab Originali peccato, donatamque gratiâ in primo creatæ suæ animæ instanti, & nihilominus dixerunt, sanctificatam fuisse post conceptionem seu animationem, prout dixit Albertus Magnus in 3. dist. 3. art. 5. qui tamen multoties commendauit omnimodam puritatem animæ Virginæ in Biblia Mariana, & super *Missus est.*



EPISTOLA XVIII.

De redemptione immaculatæ Virginis à Christo.

Ad eundem.

ON memoriæ defectu, sed amanuensis, qui prolixum transferiberet testimonium, omisi responsum ad ultimam quæstionem tuam, quomodo beatissima Virgo potuerit esse redempta à Christo in eorum sententiâ, qui eam negant fuisse inclusam in Adami pacto: & quoniam alibi de hoc egimus producto ex S. Augustino gemino redemptionis genere, nihil amplius addam, nisi proponere, quæ non ignobilis Theologus Augustinus Bernalius differuit disp. 10. de Incarnat. sect. 3. vbi inter alia habet sequentia:

Sicut reperitur medicina & medicatio sanatiua & præseruatiua, sic etiam redemptio, quæ ab incurâ captiuitate extrahat, & quæ ab eius incurâ præseruet: sed Christus satisfactione & merito suo beatam Virginem non extraxit à culpâ realiter incurâ; præseruauit tamen, ne illam incurreret: ergo dicendus est illam redemisse, redemptione scilicet præseruatiuâ.

Hæc tamen ratio sicut facile ostendit beatam Virginem per Christum præseruatiuè redemptam à culpis actualibus; quia per Christum habuit gratiam ad illas non incurendas: ita non probat, eo modo redemptam ab Originali, cum non habuerit debitum istam incurrendi. Solus Ioannes de Lugo, cuius peculiaris est via, ratione hac persuadere potest redemptam per Christum ab Originali, solum quatenus MARIAM, non quatenus Matrem Dei. Quapropter plures viri docti probabiliter censent, beatam MARIAM nec præseruatiuè quidem per Christum redemptam ab Originali, sed solum ab actualibus. Quam partem egregiè roborat doctissimus noster Salazar de Conceptione Deiparæ cap. 24. §. 9. Nam vt redempta sit, & dicatur, sat est, redemptam esse ab actualibus: neque ex Conciliis & Patribus alia Virginis redemptio colligi potest.

Mihi modus alter occurrit astruendi fuisse beatam Virginem à Christo præseruatiuè redemptam, etiam ab Originali; quem vt explicem, & auctoritate communiam, & ex grauissimis Fidei nostræ mysteriis persuadam, reuoco in memoriam ex S. Thomâ 3. part. quæst. 84.

art. 3. ad 6. formam sacramentalis absolutionis, *Te absoluo, &c.* sensum istum habere; *Sacramentum absolutionis tibi impendo*, id est confero Sacramentum; quod, quantum est ex se, virtutem habet à vinculis peccatorum absoluendi. Ex aliis verò Doctoribus, præsertim Patre Suarez, Tom. 4. in 3. part. disp. 19. sect. 2. sensum illius formæ esse istum: *Confero tibi gratiam habitualem, quantum est ex se, solutiua reatus tam culpa, quam pœne.* Quia vel ex naturâ rei, vel solum ex Lege Dei non soluitur culpa, nisi collatione gratiæ: igitur absoluendi verbum indicat conferri gratiam alicuius vinculi solutiuaem.

Inde fit Primò, vt possit quis sapè & sapiùs accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, quantumuis nullum habeat reatum culpæ vel pœnæ, etiam leuis, dum tamen subiiciat clauibus culpam aliquam ex iam remissis, quia verus semper manet sensus formæ. Secundò fit, vt eodem pacto vera sit forma baptismalis, *Baptizate*, id est, abluo & mundo, dum baptizatur adultus, qui per gratiam iustificantem & nobilissimos actus non modò purus accedit ab Originali, sed etiam ab omni prorsus actuali. Sensus enim formæ est: *Confero tibi gratiam, quantum est ex se, mundatricem à peccato Originali, &c.* Tertio fit, vt simili sensu recta sit forma Extremæ vnctionis, dum confertur homini iam plenè mundato à mortalibus & venialibus. Habet enim sensum hunc: *Indulgeat tibi Dominus, &c.* id est, conferat tibi gratiam remissionem culpæ contractæ per visum, per auditum, &c.


Nunc assertionem probo: Sicut habitualis gratia absolutiua est à peccato mortali, ita vt si illud supponeret, ab illo absolueret; ita habitualis gratia infusa in primo conceptionis instanti, præseruatiua est à culpâ Originali; ita nimirum, vt si infans debitum haberet illam contrahendi, hoc ipso quòd gratiam in primo instanti reciperet, ab Originali præseruaretur. Sed is, qui ad Sacramentum Pœnitentiæ nullum adducit vinculum, verè dicitur in Sacramento absolutus, quia recipit gratiam, quantum est ex se, absolutiuaem: ergo sanctissima Deipara, quamuis non habuerit culpam Originalem, verè tamen fuit præseruata, seu præseruatiuè redempta ab illâ culpâ per Christum; quia per ipsum accepit in primo suæ conceptionis instanti gratiam, quantum est ex se, præseruatiuaem, seu redemptiuaem ab Originali culpâ. Itaque sicut Sacerdos auditis & dispositis mille pœnitentibus, quorum vnus nullum haberet reatum, ad omnes diceret: *Ego vos absoluo*, cunctos illos absolueret vnâ formâ; ita Christus cunctis hominibus suam passionem applicans, quorum sola beata Virgo culpam Originalem non habuit, cunctos homines passionem suam redemit.

Hoc ipsum confirmo: quia Christus absolute & verè dicitur omnes homines redemisse, non quòd eos omnes à peccato extraxerit, sed quòd eis promeruerit & re ipsa obtinuerit gratiam auxiliantem, quæ, quantum est ex se, posset illos à peccato re ipsa extrahere; esto multos non extraxerit; quia vel ipsi noluerunt, vt plures adulti, vel ab aliis applicationem remedij non habuerunt, vt plures infantes: ergo pariter Christus beatam Virginem ab Originali

præservatè redemit, quoniam in primo instanti contulit illi per sua merita gratiam, quæ postea illam ab Originali præservare, si esset illi contrahendo obnoxia.

Ex his facile inferes, simili sensu dici posse, Christum satisfecisse pro beatâ MARIÂ, quo illam ab Originali redemisse dicitur: rursus alio simili dici posse illam à peccato & à dæmone liberasse. Est enim ratio prorsus eadem, ut applicanti constabit.

Hactenus ille: Ex quibus placet omnino, Deipatam fuisse verè in omni euentu redemptam à Christo, eiusdemque meritis plenam gratiâ, liberamque à peccato, etiam à conceptu suo, inò ante conceptum. Et quidem indubitatum mihi est, non solum componi veram & propriam redemptionem Virginis, & inclusivem in Adamico pacto cum debito peccati, quando concepta fuit, sed etiam cum debito gratiæ, provt dixi in Epistolâ ad Cancellarium Aragonicum, quæ videri potest simul cum c. 30. de Obiecto Felii.



EPISTOLA XIX.

De sensu sancti Thomæ, & mente Thomistarum, iuxta aliquos Antiquos, circa Immaculatam Conceptionem.

Ad Curiosum.



VÆ mitto Curiositati transcripta loca, quæ à me petisti, Petri Montij, vetusti Doctoris (qui non sub Ludouico IV. floruit, ut tu putasti, propter Epistolam ad Ioannem Andream, ab ipso Montio missam, afferturque in lib. 2. de Vnius legis veritate, cap. 112. Etenim hic Ioannes Andreas non fuit ille Iurisperitus clarissimus, qui sub Ioanne XXII. Pontifice, & Ludouico IV. Imperatore, excelluit; sed alius cognomento Varro, qui sub vltimis annis Federici III. vixit: quare tuus Petrus Montius, tempore Ludouici, Ducis Mediolanensis, ut ipse indicat, floruit) desideras illa Testimonia, quæ habet de sensu sancti Thomæ, & Patrum Prædicatorum circa Virgineam CONCEPTIONEM. Ne miretis, quòd eos dixerim satis favere puritati eiusdem, cum hic Auctor olim pro sententiâ negatiuâ stare, si non verbis, saltem animo, & sensu Dominicanos scripserit, quòd etiam alij antiqui censuerunt.

Dicam priùs, quid de sancto Thomâ sentiat, satis conformans se olim iis, quæ nupèr de sensu eiusdem sancti Doctoris docuit eius Discipulus Fr. Ioannes à sancto Thomâ, quòd Angelicus Doctor locutus fuerit ex iure, & lege communi, non ex priuilegio particulari, atque idè contra priuilegiariam DEIPARÆ CONCEPTIONEM nihil dixisse. Sic Montius c. 51. ait: *Dum aliquas S. Thomæ opiniones de animâ inspiciamus, non admiramur de eius sententiâ*

*aduersus libertatem CONCEPTIONIS DOMINÆ nostræ; cum de animâ tractando inquit: Quòd organizato humano corpore, Deus non potest agere, quin rationalem animam in eo creet. Similiter & in aliis huiuscemodi locis Dei potentiam limitare voluit: species in esse essentia æternas, atque necessarias imaginatus est, quòd legi repugnat, sed forè hoc in aliis locis; sequendo legem moderavit, & in libro quodlibetorum scribendo. Verùm Deus ab omni maculâ MATREM liberaturus erat, asserit, quòd eam liberare debuit, ex eo quòd melius erat absque peccato, quàm cum peccato; sed in discursu temporis oppositum dixit. Vnde videtur, quòd fuerit uniuersali legi attentus. Ex hac sententiâ colligitur, sensisse Montium de S. Thomâ, quòd absolutè de factò, & ex priuilegio loquendo, B. VIRGO fuisset sine peccato concepta. Vnde ipse in cap. 76. citat inter alios Patres, hunc pro CONCEPTIONE locum S. Thomæ: *Talis fuit puritas fortunata VIRGINIS MARIÆ, quòd à peccato originali munda fuit.**

Alteram (sive eandem aliis verbis) explicationem S. Thomæ, quòd fuerit locutus de peccato originali in potentia, non in actu, affert in cap. 63. cuius titulus est: *Quomodo videtur esse dicendum B. Thomam assumpsisse Dominam nostram esse maculatam, considerando de uniuersali naturâ humanâ in pura potentia maculata. Deinde in corpore capituli ait: In hoc Thomista respondere possunt, ut de more Modernorum in disputationibus suis fieri solet, ita dicendo: Duplex est actio; altera rerum in actu, altera verò in potentia: sub qua consuetudine loquendi, etiam ad propositionem factam dicentem: *Dominam nostram non contraxit peccatum originale in actu, potest responderi: Non contraxit peccatum originale in actu; ergo non contraxit peccatum, non valet consequentia, quoniam duplex est peccatum, scilicet in actu, & in potentia. Vnde, concesso Dominam nostram non contraxisse labem originalem in actu, non ex hoc conceditur, quòd non contraxisset ipsam in potentia. Et forsitan hac fuit opinio S. Thomæ, quum sapenumero per similem viam assumptam, intentum suum probare intendebat, & de Sacramento altaris agendo, quòd accidentia in Sacramento ipso possunt sine subiecto manere potentialiter. Tamen vnde ait; duplex est inherentia, altera earum in actu, & altera in potentia. Paulò post in eodem capite ait: *Quòd beatus Thomas in hoc loco de peccato in potentia assumpsisset, facilè comprobari potest, aspiciendo in consuetudine sua procedendi, quoniam assidue in actu, & in potentia diuidit intentiones suas, & semper potentiam assumit pro quodam uniuersali in esse essentia sine actu, & humanitas secundum ipsum, quadam natura communis abstracta, & in pura potentia est, & tamen maculata. In libro quoque 2. cap. 146. affert quosdam sententias S. Thomæ, quæ videntur contrariæ, circa Immaculatam CONCEPTIONEM, & egent interpretatione, & distinctione, de actu, & potentia, vel de lege communi, & priuilegio. Verba Montij sunt: *S. Thomas tractando de hac materia, quoddam argumentum insinuat, quòd alibi est sibi contrarium. Deus potuit agere, quòd Mater eius peccatum non contraheret, & tamen contraxit. Melius verò fuisset, quòd non peccasset; & quoad hoc abnegat quòd peccauerit, eò quòd Deus id, quòd melius****

melius esset, perfecturus erat. Licet B. Thomas alibi è conuerso de Dominâ nostrâ teneat. Tenet itaque absolutè S. Doctor, iuxta Montium, quòd solùm ex lege communi, & in potentiâ posset dici B. Virginem habuisse peccatum originale: in actu verò, atque ex priuilegio, conceptam fuisse sine culpâ communis originis. Vnde piæ sententiæ fauet.

De reliquis Thomistis, & Patribus Prædicatoribus hæc sentit prædictus Auctor in lib. 1. cap. 49. *Multi Dominam nostram in originali peccato conceptam fuisse, aiunt, quos in animo aliud sentire arbitror. Sed solùm dicunt verbis, ne se victos fateantur, in eâ sententiâ, quam semel suæ religionis professores assumpserunt. In huius dicti confirmationem addit postea in cap. 85. Demùm, absolutè dicere possumus, quòd Thomistæ extrema accipiunt. Sed si ipsimet id videre velint, eorum corda scrutentur, quia fortassè nullus ipsorum super istâ defensione vellet se ad periculum capitis offerre, de quo aliquam experientiam habemus; quoniam vt publicâ voce fatetur: Parisiis quidam fratres illius ordinis voluerunt eandem opinionem predicare, dicentes, quòd eam essent vsque ad necem defensuri, quamuis in ignem ponerentur; qui tandem ad ignem coacti, promiserunt nunquam amplius opinionem illam fouere. Tum etiam coram Ludouico, Mediolani Duce, vidi B. Bernardinum de Felto voluisse ingredi cum alio Fratre S. Dominici in fornacem ardentem, vt videretur, quis eorum citius combureretur, ad hoc, quòd veritas huius questionis cognosci potuisset, tamen alter noluit. At verò B. Virginem Immaculatam esse affirmantium plerique inuenirentur, qui potius igni comburi paterentur, aut quacunque morte obire, quàm à tali proposito desistere. Et quidem prudenter, imò & laudabiliter, addo, etiam & piè reuertunt illi Dominicani experimentum ignis pro eâ opinione, quam aut cordicitus non defendebant, aut si sentiebant probabiliter, non carebant formidine, vel dubio, quòd contraria sit vera: potissimum cum assertum à sententiâ negatiuâ celebretur solemni festiuitate ab Ecclesiâ, & non suum. Quare reuerentia fuit Sedis Apostolicæ non tam constanter suæ adhærere opinioni, ac alij sententiæ piæ. Prouocatio illa & coactio ad ignem, secundùm prudentiam humanam minùs circumspecta fuit, quàm recusatio. Secundâ illius historiæ, cuius testem se exhibet Montius, nihil audeo detrahère. Prima autem, quam ex Galliâ detulit fama exaggerata, aut ampliata fortassè, vt assolet, refertur.*

Post suam nihilominùs suspicionem præcauet in eodem capite idem Petrus aduersùs Thomistarum asserta, dicens: *Multifariè igitur apparet in isto casu, nequaquam tenendam esse Dominicanorum opinionem. Si enim Summus Pontifex ordinaret, quòd omnes, tum literati, tum alterius cuiusque conditionis venirent, ut potè Christiani, Iudæi, Mauri, atque omnes eorum opiniones audirent. Si vnus ex voto Thomistarum esset, ex aliorum parte infinitus ferè numerus. Et postquam adeò manifesta est disparitas, meritò Pontifex deberet, & posset determinare, quòd de Dominâ nostrâ vera habeatur determinatio, quòd absque aliquâ peccati maculâ, vel defectu Gratiæ concepta fuerit; sed quòd totaliter Purissima, & plena Gratiæ fuit. Eorundem quoque Thomistarum, vt ipse loquitur, argumenta*

subtiliter conatur eneruare, atque in cap. 68. præscribit: *Quòd Thomistæ nolunt exceptionem facere in eo, quòd Apostolus dixerit: Omnes in Adam peccauerunt; quamuis eiusmodi exceptio ab eis in aliis locis assumatur. Quòd sic probat: Vbi sacra Scriptura ait, de Adam & Euâ: Ne fortè immittant manum suam, & comedant etiam de fructu vitæ, & uiuant in æternum. Isti exponunt, in æternum, pro longo tempore, & non pro semper. Et hîc Thomistæ exceptionem faciunt, quamuis Deus absolutè dicat: Ne comedant, & uiuant in æternum. Quoniam initio nobis duas arbores tribuit: vnâ Gratiâ, alteram maledictionis; quarum altera vitæ, & altera mortis: & quemadmodum per scripturas apparet: Homines nec senectute, nec quouis alio morbo perituri erant, nec semper in hoc terrarum orbe moram habituri, nisi in prospera atate ab hac vita in aliam transaturi. Quinimò naturali cursu nequaquam potuissent humana corpora corrumpi, donec de arbore vitæ cibarentur: & taliter intelliguntur verba Auctoritatis, propter quòd Deus ex Paradiso Adam expulerit, ne de eo fructu comederet, vt potuisset à quacunque naturali senectute se tutari, eo magisque aduersantes liberè* **MARIÆ VIRGINIS CONCEPTIONEM** *asserunt, quòd propter comestionem de fructu vitæ omnes omninò morimur, & non est magis ratio, quàm fructus mortis adducat mortem, quàm fructus vitæ vitam, imò minùs. Loquens enim David de perfectione hominis, asserit: Dominus constituit eum super omnia opera manuum suarum. Et hîc non excipit calos, Angelos, nec elementa, nisi quòd tantùm dicit: Super omnia; sed intelligitur de animalibus, terram, & mare colentibus. Alia diffusè affert ad interpretanda eadem Apostoli verba, inter quæ nonnulla arguta sunt, & parùm communia.*

Iam fortassè fastidies tot Auctoritates, & proluxa Montij testimonia, quæ nuper expetieras, & à me petisti: in quibus illud mihi parùm placet, quòd Thomistis, aut Dominicanis absolutè tribuat opinionem affirmatiuam, siue sentiant illam, siue non, cum plurimi sint Patres Prædicatores, & innumeri Thomistæ, qui conceptam sine labe DEIPARAM iudicent, commendent, & defendant, illustrauerintque luculentis commentariis, quorum in exceptionibus nostris diffusius memini. Illud tandem aduerto, quòd hîc Petrus Montius diuersus fuerit à Petro de Monte, Brixienfi Episcopo, Auctore Monarchiæ de potestate Papæ, & Imperatoris, vt adnotarunt Molanus in suâ Bibliothecâ, & Mireus in secunda parte, sæculo 16, cap. 19. & 16.



EPISTOLA XX.

De Miraculis pro Immaculatione
Virginis conceptus.

Ad Thaumasticum.



DESIDERAS in meis opusculis de CONCEPTIONE aliquam memoriam eorum signorum super consuetudinem, aut naturam rerum, quæ hisce annis circumlata sunt, fauentia puritati Virginis originali. Maximeque miraris lapidem inuentum circa Almagrenses terminos, in quo naturaliter inscriptum legitur: *MARIA Virgo concepta sine peccato originali.* Hoc autem naturæ opus fortuitum non videtur sine supernaturali ope, aut dispositione. Tum iconem illam CONCEPTIONIS inuentam intrâ frustum transparentis massæ, mirabiliter apparentem in Orensi Episcopatu; quæ propter sui admirationem delata est ad Philippum IV. restitutaque rursus ad deuotionem Galliciorum: quam non parua fouerunt miracula, restitutis ægrotantibus, mirando modo, ad integram valetudinem, supra virium naturalium spem. Alia euenere nuper huiusmodi signa, mirabiliter demonstrantia veritatem conceptæ sine labe Virginis, quorum rationem dicis oportebat me habuisse.

Ingenue fateor, magis me mouere solam celebrationem ex Ecclesiæ hortatis, institutione, & iussu CONCEPTIONIS festi, vt eam iudicem immaculatam, quàm sexcenta miracula. Et quidem in miraculorum iudicio ego possum falli, Ecclesia autem in simili festorum institutione nequit errare. Gentibus, vt venirent ad cognitionem fidei, & Nauem Ecclesiæ, opus erant opera miraculosa, Christianis autem existentibus iam in Ecclesiâ, & Naue S. Petri factis sunt dicta Apostolica successorum eiusdem sancti: non tamen propterea contemno miracula, quæ scio non parua, nec pauca esse, quibus hæc veritas illibati conceptus Virginis mirabiliter confirmatur. Arque in Hispaniâ celeberrimum est illud Mantefæ de sacerdote resuscitato, vt conceptam sine labe *MARIAM* suaderet: de quo extant traditio, probationes iuridicæ, testimonia scriptorum, & alia monumenta. De hoc miraculo iterum postea. Olim, sub tempore Cõcilij Basileensis, imò & Sixti IV. plura accidere adeo, vt post plurima enumerata dixerit Ludouicus à Turre, qui Sixto Synchronos fuit, in lib. de Concept. *Sed heu longum nimis, nimis longum foret completè scribere, quanta sunt facta miracula pro attestatone huius sanctæ veritatis. Oporteret enim, qui omnia noscere vellet, quòd percurreret Galliam, Angliam, Hispaniam, Scotiam, Hyberniam, Germaniam, Hungariam, Sclauoniam, & Panoniam, tandemque totam Italiam: cum in his omnibus mundi partibus Virginis amatores hoc benedictum festum celebrent, laudent, & offerant; & hoc non nisi propter multa de eo perpetrata miracula.* Et Ale-

xander V. qui ante Basileense Concilium floruit, in tractatu de CONCEPTIONE dixit: *Huic etiam parti suffragantur plurima miracula, sanctis viris ostensa.* Ioannes maior similiter in 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. postquam retulisset varia miracula, addit: *Fasciculus temporum recitat, quendam predicasse Cracouia, quòd B. Virgo fuit concepta in peccato originali, qui diem clausit extremum sermone nondum finito. In tempore nostro vidimus opprobria varia his contingere, qui ausu temerario nisi sunt oppositum tueri.* Postea de miraculis pro CONCEPTIONE patris, dicit: *Que nemo nisi insipiens negabit.* Scio etiam, sub Philippo III. accidisse nonnulla, & instrumentis publicis comprobata, presentataque Paul. V. Pont. Max. adeoque in Romanâ Curia accepta; vt ea allegauerit Cardinalis Bellarminus coram Summo Pontifice, dicens in sententiâ suâ de immaculatâ CONCEPTIONE: *Quia hoc tempore Deus inuitat miraculis, de infanti canenti laudes CONCEPTIONIS. De Nauibus saluis, excepta illa, quæ non habuit signum CONCEPTIONIS. De Episcopo morte repentina in Indiis defuncto.*

P. Franciscus Calderon, Prouincialis Societatis IESU, in regno Mexicano, in quadam Epistolâ scriptâ anno 1650. die 13. Decembris hæc testatur: in Episcopatus Michuacani, siue Tarascorum oppido, quod vocatur Villa de Iacona, habitata ab Hispanis, & Tarascis, cuius Parochi sunt Religiosi Augustiniani, eique præest iudex à Vice-Rege designatus: Accidit, vt in quodam tunco per medium scisso, arboris, quam vocant *Buiabo* indigenæ, inuentæ hæc literæ Hispanæ, siue verba fuerint: *MARIA concebida sin peccado*; quod habitum vt prodigium fuit, & seruatum vt miraculum in Ecclesiâ Augustinianorum factario, ex sententia Episcopi Michuacani, quod accidisse ex viribus virtutis naturalis puræ sine speciali Dei dispositione, multi non imprudenter negabunt.

Nuper etiam acciderunt aliqua, quæ fortasè erunt miracula; sed ea non facile talia pronuntiabo: oportet enim diligenter explorari, & distinctè iudicari. Etenim inscriptus ille lapis cum assertionem immaculatæ CONCEPTIONIS non semel visus est: illum seruabat pridem Cathaginensis Episcopus. Alius similis nuper inuentus, de quo mihi narrauit testis oculatus, præter communem famam. Sed is potest eiusmodi inscriptus esse humano artificio; nimirum exaratis in lapidè literis, cum adipe caprino liquefacto, deinde immergendo illum in vas, aceto fortissimo plenum per aliquot dies: acetum enim corrodit circumquaque lapidem, præter eas partes, quas occupant literæ adipinæ, quæ propterea eminent. Ecce quod prodigium putabatur, artificio potest. Cum enim idem effectus naturalis, siue artificialis possit accidere per modum connaturalem, aut miraculosum circumspiciendæ sunt, & sollicitè perpendendæ omnes circumstantiæ, ne quicquid videtur admirandum, dicatur etiam miraculosum. Fateor quidem miraculum aliquod potuisse interuenire in eo lapide, de quo Fr. Ludouicus de Conceptione, Trinitarius Discalceatus, in libello pro immaculatâ CONCEPTIONE, hæc numero 116. scribit ad Summum Pontificem: *Pulchrum & admirandum non desinam pro-*
palare

palare miraculum, & prodigium, quod solum, si semel examinatum, & ab omni de facto doloſitate (si forte est, quod non admitto) expurgatum, V. proponeretur ſanctitati, iudico ſufficiens ad veritatem iſtam de fide declarandam. Portentum, in cuius cognitionem nunc deveni, ſic ſe habet: In oppido de Valdepeñas (en la Mancha) in domo cuiuſdam clerici preſbyteri, pro nomine Salazar, in magna tempeſtatis nocte, è cælo, vel nubibus, cum grandine reliquo lapis quidam cecidit, vel ſaxum. Per dies aliquot, in loco, ubi talis cecidit lapis, magnus adfuit ſplendor, teſtantibus pluribus. Rei novitate ductus dominus domus, prædictum inuenit lapidem, & in eo, utraque ex parte, quæ ſequuntur, formata ex ipſa lapidis materia verba apponendis etiam characteribus ſignata. Ex unâ, in prima parte lapidis, ſic ſe habent verba: AVE MARIA VIRGEN Y MADRE DE (ex alterâ verò parte proſequitur ſic) DIOS, CONCEBIDA SIN PECADO ORIGINAL. Sic ſe habent verba. Hunc lapidem poſſidet ſæmina quedam, nomine la Eſcudera; quæ in teſtamento ſuo, illum legatum habet mei ordinis Collegio, prædicto in oppido exiſtenti. Hoc enim vidi; ſed mihi teſtati ſunt mea Religionis oculares teſtes, omnique exceptione maiores, Pater Frater Michael à Matre Dei. Frater Antonius à ſancto Francisco, eiſdem Collegij Miniſtro, anno milleſimo ſexcentiſſimo quinquageſimo ſecundo, & Pater Fr. Ildephoſus de ſancta MARIA, actualiter Miniſter Collegij prædicti oppidi. Omitto moralem huius prodigij ſignificationem, cum res ipſa ſecundum ſe conſiderata, pro hac ſufficiat veritate.

Fateor autem admirandam eſſe illam CONCEPTIONIS imaginem, quæ inuenta eſt in Orenſi Galleciæ Episcopatu, cuius fama priùs ad hanc aulam Catholicam prolata; deinde ipſa imago delata iuſſu Regio & diligentia Domini Laurentij Ramiſelij fauentis ſemper pietati huius myſterij, eamque non ſemel vidi, inſpexi, & conſideravi, admiratuſque ſum, quamvis eam non iudicem in ſe miraculum: agnoui tamen nonnihil in illâ ſuprà ordinariè contingentia, cuius hiſtoria ex publicis instrumentis hæc eſt. Puella quædam, cuius nomen erat MARIA Dominici, Hiſpani dicimus Dominguez, dum quosdam paſceret boues, pro conſuetudine illius regionis, in oppido Galleciæ, nuncupato Villanueva de los Infantes, inuenit in agro die quinta Iunij, anni milleſimi ſexcentiſimi quinquageſimi tertij, rotundum vitrum & ſolidum, quod non excedebat pugillarem. Cum autem cognoviſſet intus depictam Virgineam imaginem immaculatæ CONCEPTIONIS, utrinque apparere multis ſplendefcentibus radiis circumquaque coruſcam: eam derulit ad illius agri dominum, cuius nomen erat D. Antonius Pungin. In cuius villam prolata fama conuocauit multos, primum ad conſpiciendum elaboratam ſuper eius captum, & conſuetudinem iconem, deinde ad venerandum, tandem ad implorandam opem; cuius cauſa ægrotantes illuc concurrentes, ſanitatem, ſuprà naturæ curſum, obtinuerunt. Iuſſit propterea Episcopuſ ciuitatis Oren-

ſis miracula comprobare; inter quæ hæc narrantur.

Lucia Alvarez viginti tres annos in cæcitate permanſerat: ſed poſtquam ſacra illa imago applicita fuit ad illius oculos, repente viſum recepit, quem etiam poſtea conſeruauit.

Stephanus Feruandes intenſiſſimos ſtomachi dolores per decem meſes paſſus, cum ſacram imaginem ad ſe allatam veneretur, expulit nouem ſanguifugas rubras & candidas, atque lanigeras: & ſequenti die è lecto ſurrexit ſanus. Poſt triduum tamen nouo dolore, in inguine oneratus, & tubere ibi elato, coactus fuit lectum repetere, donec noctu per ſomnium vidit ſacram iconem variis ſuperponi ægrotis; tunc ille petiit, vt ſibi etiam applicaretur: quo factò, euigilaui perfecte ſanus ſine dolore & tubere.

Franciſcus Martinez, cum degluſiſſet linguſulam, ſiue paleam ligneam cuiuſdam ſitullæ, peculiaris apud illas gentes, hæſiſſetque per octo meſes linguſula in pectore, ſuprà modum illum torquens, adeò vt ad portas mortis acceſſiſſet, æger adeò laborioſè, vt nec conſiteri potuerit: ex bino tamen attractu huius imaginis, euomuit ſtatim linguſulam illam, manſitque cum integra valetudine.

Ob ſimilia ſigna, commota lite tradita eſt Imago Episcopuſ Orenſi ex ſententiâ Metropolitanani.

Deſcriptio huius imaginis hæc eſt: intra rotundam, pellucidam & ſolidam maſſam, quæ abſque dubio eſt vitrum, nec ſuperat pugillarem magnitudine, euidenter apparet Imago DEIPARÆ, utrinque videnda: Ante, & retrò eadem apparet in fundo vitri, pallium habet caruleum, manibusque iunctis, ſine puero IESU, ſicut pinguntur aliæ CONCEPTIONIS imagines. Vndequaque aureis radicalis mirè circumfulget. Ipſa quoque Imago transparens eſt, niſi in pallio, vultu & manibus radij ad oppoſitam claritatem non apparent; ſed remiſſa nonnihil ex alterâ parte luce ſplendidiſſimè omnes micant. Quamvis autem admiranda mihi fuit hæc Imago, nequaquam in ea agnoſco miraculum. Audiui enim alicubi viſæ roſæ & flores intra ſolida vitra, imò è Belgio afferuntur imagunculæ intra vitreos cancellos incluſæ: quare non vltra ingenium humanum erit artifiſcium illud. Verùm quamvis ſubſtantia huius imaginis in ſe non ſit miraculoſa, nec ſufficiat, vt eius artifiſcium tanquam ſuper naturam ſuadeat Immaculatam CONCEPTIONEM. At miracula venerantibus illam facta, dum conſtant vera, mirificè confirmabunt omnimodam DEIPARÆ puritatem.

Sed quamvis hætenus parum plauiſerim credulitati tui deuoti affectus, nunc delectabo tuam pietatem, memorans hiſtoriam certam, tutam & ſine controuerſiâ, potius cum plauiſu, & fide vniuſ mundi, ſcilicet, noui orbis: nihil notius in noua Hiſpania, quam Domina noſtra de GVADALUPE; ſic illam vocant. Hæc Imago eſt CONCEPTIONIS miraculoſa omninò in ſe, hoc eſt, in ſuo

suo artificio, multaque peregrinantibus ad eam miracula operatur Sanctissima Dei Genitrix ita, ut vndeque commendet & prædicet Conceptum eius sine labe. In eminenti culminis monte adorabant olim Mexicani Matrem Deorum falsorum, & tamen ipso loco, qui patria voce dicitur *Tepeiacac*, ut expiaretur tanta superstitione, volens vera Mater Dei in veneratione haberi, apparuit cuidam indigenæ pauperulo neophyto, cuius nomen erat Ioannes Didacus, iubens illum, ut in nomine Matris veri DEI & ex parte eiusdem moneret Antistitem, gratum sibi fore, ut sacellum sibi ædificaretur in illo monte. Accidit hoc anno millesimo quingentesimo trigésimo tertio, post possessum ab HISPANIIS Mexicum decem annos. Erat tunc Episcopus primus Mexicanus D. Ioannes Zamarraga, qui noluit fidem dare Ioanni sine signo aliquo cælestis nuntij. Tandem post varias apparitiones DEIPARÆ & miranda plura, iussit Ioannem beata VIRGO in signum suæ voluntatis, carpere in colle arido, & sterili pulcherrimas rosas & varios flores, qui illic supra naturam apparuerunt, offerendosque Episcopo: in suo palliolo detulit pius barbarus, occurrentesque prius famulos Episcopi admiratione implevit, qui inusitatos flores viderunt, nullum tamen manu capere, aut tangere potuerunt, licet id fuerint conati, quasi nihil in pallio contineretur. In præsentia verò antistitis, excutit Ioannes Didacus è pallio in pavementum flores. Apparuitque in ipso pallio depicta cælestis Imago CONCEPTIONIS supra quàm dici potest pulcherrima & miranda: quam statim flexis genibus veneratus est Episcopus cum cæteris domesticis & nunc frequentissimè colitur in Templo, vna à Mexicana vrbe distante leucâ.

Pallium illud est linteum, ex arbore *Maguei*, quod indigenæ vocant *Ayalt*; ex quo pauperes vestiuntur. Duplex est linteum huius pallij confutum filo gossipineo; vltra duas vlnas constat longitudine, & vnam latitudine. Ipsa Imago VIRGINIS à planta pedum vsque ad capillitium sex palmos excedit & penè attingit septem: vultum honestissimum, pulchrum & plenum habet; color est triticeus albicans; gestus humilis & affabilis, manus habet iunctas & ad pectus erectas, ex pedibus solum extremitas dexteri apparet, cum calceo fusco; cingulum habet ferrugineum purpurascens, tunicâ induitur talari ex colore roseo candenti cum densioribus vmbis; apparetque elaborata mira florum varietate, atque peleciorum; stringiturque ad collum oualo aureo, intra quod est circulus quidam niger, in cuius centro exprimitur sancta Crux. Pallium Virginis cæruleum est, & planè cælestis coloris, circumquaque aurea extremitate & stellis aureis seminatam, numeranturque quadraginta sex, caput imaginis corona aurea cingit. Sub pedibus Lunam habet, cuius semicirculi cornua sursum respiciunt: tota Imago velut sole immersa emittit vndeque aureos radios numero centum, quorum duodecim caput circumdant. Sub pe-

dibus & Luna non iacet draco; sed subest & stat Angelus, cui videtur tota Imago inniti, atque eius onus lætissimè sustineri ab illo: nec enim solum domuit Beatissima Virgo antiquum serpentem, & Angelos malos per negationem totius peccati in omni tempore suæ existentia, sed superavit, superque est Angelis bonis per plenitudinem Gratiæ, quâ cumulata fuit ab ipsa suæ animæ creatione.

Miracula, quæ ob deuotionem venerantium DEIPARAM in hac imagine, facta sunt & numero & magnitudine celeberrima narrantur, quæ quidem ita fidem excedunt, ut nisi certorum hominum & inspectorum etiam auctoritate firmarentur, vix eam quam merentur, essent habitura fidem. Ex multis ut nonnulla tantum seligam, hæc compertissima profero. Et ipso die quâ in Sacello nouo locata fuit, celebrantibus festum diem indigenis militari ritu, in cohortes diuisis, vnus guttur per errorem sagitta transfixum est: delato ad pedes Virginis cadauere, erepta est sagitta statim, cum omnium admiratione, reuixit ille sanus, validus sine vlllo vulnere; nisi leui illius signo in tanti testimonium Miraculi.

Quodam die inchoans Vicarius illius loci sacrum in Altari DEIPARÆ subitus turbo extinxit lumina Altaris & omnia luminaria Lampadum per totum sacellum: Sacerdote ad Altare hærente, ex radiis imaginis exilure duo ad candelabra, quibus duo altaris lumina mirabiliter incensa sunt. Quis non præsens Numen hic clariùs Sole agnoscat, DEIPARÆ cultum in sacra imagine adeo euentibus si quis perspicuè commendans? Neque hic verò finis, aut potentia Matris, aut obsequij filialis in Parentem Sanctissimam.

Quendam equitem postquam visitasset sacellum ab efreni & præcipiti equo tractum perpetuo cursu spatio dimidia leucæ per saxa, & prærupta, cum socij cogitarent reperiendum exanimem & dilaceratum, inuenerunt sanum, in terra tamen iacentem, elato ad stapedam, ex qua pendeat, vno pede, & equum pariter quietam, pronum, & flexis non nihil anterioribus pedibus: rogatusque ille causam huius prodigij, respondit, inuocatam à se DEIPARAM apparuisse sibi eo modo, quo in imagine depicta est, tenuisseque firmum equi, qui quasi adorabundus illam, pronus in terram hæsit. Plurima alia non fesset Epistolaris relatio, cuius fidem præstat Mexicana traditio: & præterea omnia, quæ de hac imagine narrauimus, prodidit memoria Michaël Sanctius in speciali de hac Icone Opusculo, in ipsa Mexicana Ciuitate Typis edito, ne posset dici cum ignorantibus veritatem egisse.

Quod si desideres scire, cur vocetur ista Imago Mexicana, Domina nostra de GVADALUPE, cum Imago, quæ in HISPANIA celeberrima & notissima est hoc nomine, non videatur pertinere ad Mysterium CONCEPTIONIS, satisfieri potest ex eo, quod narratur in Chronico Minorum exalceatorum Prouinciæ sancti Gabriëlis prima parte, libro tertio, cap. quadragésimo tertio: Vbi dicitur, reuelatum fuisse seruo Dei Francisco de S. Iacobo, imaginem Dei

Dei Genitricis Guadalupensem esse Imaginem Conceptionis; hocque ipsum declaratum multis ab ipso seruo Dei Francisco, addidisseque in eius dicti probationem breui exornandam esse Sacram Imaginem circumquaq; radiis solaribus; quod planè ita accidit: nam anno sequenti quidam nobilis Vir aduenit uisitaturus sacram illam Ædem, obtulitque Deiparæ solem quendam, siue radios solares argenteos & inauratos, quos deinceps seruauit prædicta Imago, quibus antea carebat. Vndè picturæ eius Imaginis antiquæ carent radiis; nouiores autem illos retinent. Additur etiam in cap. 45. quòd cum seruus Dei Franciscus de Sancto Iacobo esset in Templo Guadalupensi monitum fuisse à Beatissima Virgine in admiranda ecstasi, vt causam suæ purissimæ Conceptionis nouaret, pignusque recepturum huius commissionis: res miranda, cum rediit à raptu illo, inuenit, habuisse in manu anulum singularis & antiqui opificij, qui creditur fuisse olim in manu Sacræ Imaginis; in illà circulari laminula, in qua videbatur Virgo, exserto gladio, amputabat draconis caput quem suis conterebat pedibus. Apertissima quidem Purissimæ Conceptionis Effigies. Paulò post refertur ibidem miraculum, quod operatus fuit contractus huius Sacri Pignoris, in filia Marchionis Manzeræ. Deindè, mirabilis narratur collocatio eiusdè annuli in Cœnobio Franciscanorū Brozensi. Auctor prædicti Chronici fuit R. & Doctus P. Ioannes de Trinitate, ediditque in lucem R. Ioannes de Hoyos, Prouincialis illius Prouinciæ. An autem habere debeant Imagines Conceptionis Infantem Iesu, vel carere illo, dubitarunt aliqui & proposuit disputandum Ludouicus Connæus Franciscanus, prout testatur Ioannes Caramuel in seuera Methodo post thesem 9. Vbi subiicit interrogationes Connæi; in quarum secunda hæc sunt Verba: *Ad exprimendum præseruationis beneficium aptiusne in Conceptione sua immaculata semper Deipara solitariè pingatur, quàm cum Infante Iesu?*

Ad hoc sic respondet Caramuel: *Aio picturas, sicut & voces significare ad placitum: & quia conuenerunt homines, vt Virgo stellis coronata pede Draconem atterens, Lunam premens, Infante carens, conceptam sine culpa significet, qui aliter illam pingeret, hanc prerogatinam non exprimeret. Nec in hoc, aut harendi, aut disputandi locum video; nam:*

Pictoribus atque Poëtis.

Quidlibet audendi semper fuit aqua potestas. Cæterum, quia ingeniosa Ludouici deuotio, quia scit idèò Virginem, sine culpa conceptam, quia futura erat Mater Iesu, indicat debere illam potius cum Infante depingi, vt eam promoueam & pictores aduocem, producam Virginem uni, qui se solitariam pingebat, dicentem:

Cur sine Prole mea pingis Me? pingere Appelles

Me sine Me potius, quàm sine Prole uelis. Cæterum his temporibus circumferuntur varij euentus, qui putantur Miracula, ægrotantium scilicet mirè ad perfectam sanitatem restitutorum, per deuotam deglutionem schedularum, in quibus scriptus est ille versiculus.

In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti.

Ora pro nobis Patrè, cuius Filium perperisti.

Tum etiam decantatus est, imò certus ille casus, alij dicunt Prodigium, de Infante (pupilla erat) decem mensium, vbera matris sugente, quæ roga-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

ta: An Virgo concepta fuerit sine peccato; relicto vbera, conuertit ad interrogantem caput, & elata voce affirmanter respondit. Quod iterum accidit post tres, aut quatuor menses coram Commissario, ad explorandam veritatem huius euentus, misso ab Eminentissimo Cardinali Moscoso Archiepiscopo Toletano. Omnia tamen hæc valdè inspici & examinari oportet, priusquam Miracula prædicentur. Sufficiunt enim, quæ authenticè certa constat instrumentis: & quidem mihi sufficit pietas debita Matri Dei, & Authoritas Ecclesiæ, eiusdem Conceptionem celebrantis.

Tandem vt tuæ amplius blandiar curiositati, memorabo aliam Conceptionis Imaginem, quæ visa fuit multis miraculosa in membris Venerabilis Ioannis à Cruce, qui fuit vir planè sanctimonix, ac miraculorum glorià conspicuus, quem Carmelitæ Discalceati, post S. Theresiam Fundatricem, Parentem agnoscunt & venerantur. De hoc tanto viro hæc narrat Marracius cap. 37. Fundatorum Marian. *Quamquam quosuis sacros Deiparenti dies cultissimos haberet, Immaculata tamen Conceptioni diem dicatam singulariùs; id propter & inter mortales agens, ab eadem Virgine multis gratis cumulatus fuit, & post funus eius in membris, eius Purissima Conceptionis Imago visa est.* Tanti est apud Deum cultus Immaculatae Conceptionis, vt multis, mirisque modis ad eum nos excitet, eiusdemque proponat obiectum in sacris Imaginibus.

Post hæc omnia, appingam aliqua miracula, quæ tanquam indubitata sunt, admissa etiam à doctissimis viris. Primum sit illud, de quo D. Antonius Calderon, designatus Archiepiscopus Granatensis cap. 5. suæ Apologiæ §. 30. ait: *Vnum præ aliis eligimus, de cuius veritate, nisi impiè non dubitabis; fuit enim vnum è fundamentis, quibus mota est Sedes Apostolica ad Canonizationem Sancti Didaci de Alcalá, vt asserit doctissimus Franciscus Peña Sacræ Rota Auditor, & eiusdem Canonizationis Aduocatus, lib. 2. de Vita sancti Didaci, cap. 73. Cum enim nobilis Fæmina Complutensis horribili & deformi paralyti laboraret, delata ad corpus sancti Didaci & coram Imagine Immaculatae Conceptionis precata, integram sanitatem obtinuit. Vide, quid agas, si hoc miraculum ritè & legitime comprobatum & inter motiua Canonizationis recensitum, somniatum appelles, prope enim erit, vt ipsam etiam Canonizationem somniatam dicas. Hæc ille. Sed iuuat singillatim exprimere modum, quo ipsum miraculum refert prædictus Franciscus Peña, Fuit, inquit, Compluti Virgo quadam, nomine Maria de la Penuela Petri Hernandez cuius Complutensis filia, quam horribili & deformi quadam paralyti, tantæ nervorum dissolutione, & membrorum lassatione inuaserat, brachijs & cruribus distortis, totoque corpore conuulso, vt non tam mulier, quàm monstrum esse videretur & Medici omnes nihil se vnquam tale vidisse profiterentur. Accedebant febres vehementes & capitis dolores peracres & assidui, quibus misera prauissimè afflictabatur, quæ ad corpus B. Didaci delata, ipsius intercessione Dei, ac suæ sanctissime Matris ante eius Conceptionis Imaginem orauerat, Misericordiam consequuta, magna cum omnium adstantium admiratione ab acri, terribilique illa infirmitate mirabiliter est liberata. De prædicto miraculo mentionem facit Vincèntius Iustinianus in Tractatu Annotationum ad vitam Sancti Patris Ludouici Beltram. Vbi etiam*

M m refert



refert aliud miraculum, factum eiusdem Sacrae Virginis intercessione, & sub immaculatae suae Conceptionis inuocatione, in oppido quoddam nostrae Hispaniae, vulgo dicto Cañauete: de quibus duobus miraculis videatur Lezana in suo Apologetico cap. 15.

Nec potest dubitari de miraculo illo, cum inuenta fuerunt litterae Apostolicae naufragio amissae, quae confirmabant Religionem Immaculatae Conceptionis & accidit Venerabili Dominae Beatrice de Sylua. Erant illae litterae Innocentij VIII. in quibus praeter confirmationem eius instituti, mirè commendat in Regina Catholica deuotionem erga hoc Mysterium. Expedita fuit illa Bulla anno 1489. & archetypa seruetur omni veneratione in ipso Monialium Cœnobio virtute eius erecto, tum ob foundationis memoriam, tum ob miraculum. Accidit enim, nauim, quae haec litterae Apostolicae deferebantur, in maris profundum, vi tempestatis, cum rebus omnibus, quae in ea erant, ipsisque adeo Apostolicis litteris demergi: & post duos menses easdem litteras integras & illaesas ab illustri & Venerabili D. D. Beatrice de Sylua Toleti reperiri. Vide Patrem Franciscum Biuarium Cisterciens. Histor. Conception. part. 1. §. 4. à fol. 6. ad 15. Torres cap. 14. fol. 62. Christophor. Moren. cap. 7. fol. 401. Salazarum Franciscanum lib. 8. Prouerb. Castel. cap. 11. & 12. Hieronym. Roman. lib. 6. Rerum public. cap. 39. Porren. cap. 3. fol. 5. Iustinian. §. 4. fol. 6. Aegid. de Praesentatione lib. 1. quæstion. 6. artic. 3. fol. 322. Castil. tomo 1. de Incarnation. disputat. 2. q. 1. cap. 2.

Sed quod magis est, praedictum miraculum confirmatur ex traditione totus Religionis Franciscanae Monialium Conceptionis, & ciuitatis Toletanae, in qua accidit, imò & Ecclesiae eius Metropolitanae, quae illud maxime celebrauit.

Accedit, quod ante idem miraculum praecessit reuelatio de illa Religione instituenda in honorem Immaculatae Conceptionis. Fuit enim Venerabilis Beatrix de Sylua studiosissima Virgo placendi Deo, generis nobilitate & virtutum splendore celeberrima, cui Beatissima Regina Virginum apparuit candido & caeruleo ornatu circumamicta, & de instituenda Religione Monialium sub inuocatione immaculatae Conceptionis admonuit; prout testatur Hippol. Marrac. de Fundatoribus Maria. c. 29. Christophor. Henriquez in Menolog. Cister. die 8. Decembr. Chron. Minor. p. 3. lib. 8. c. 11. & 12. Baling. in Kal. MARRIAE 8. Hanc traditionem authenticam facit traditio eiusdem Religionis. Cum tamen ad confirmandam aliquam veritatem concurrunt reuelatio, & miracula, summum pondus adiiciunt ad illam asserendum omnino. Et quidem in hoc Mysterio immaculatae Conceptionis non solum concurrunt miracula; sed plures reuelationes, quamuis mihi videtur suffecisse vnicam reuelationem S. Brigittae, & vnicum miraculum Manressae, de quo statim. Etenim reuelationes S. Brigittae non solum sunt approbatae per plures Pontifices; sed in officio Ecclesiastico, quod maximam habet auctoritatem, eadem confirmantur; nam in oratione sic dicitur: *Dominus Deus noster, qui B. Brigitta per Filium tuum vnigenitum secreta caelestia reuelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in reuelatione sempiternae gloria gaudere latantes per eundem Dominum, &c.* Cumque reuelatio de Immaculatae Virginis Conceptione inter alias eiusdem con-

tenta sine controuersia, nec dubitatione alicuius sit accepta ab omnibus, tanquam legitima S. Brigittae post tantam Ecclesiae approbationem prophetici huius sancti Spiritus, de illa dubitari non potest. Haec itaque reuelatio simul cum miraculo illo nuper relato ex vita S. Didaci sufficiunt ad hanc veritatem adstruendam, cum substantia miraculi stet & approbetur in Bulla Canonizationis S. Didaci, quam expedituit Sixtus V. anno 1588. & de ea non sit dubitandum.

Miraculum autem Manressae de mortuo ad vitam redeunte, vt fateretur Immaculatam Virginis Conceptionem, notissimum est in Coronâ Aragonicâ; de quo Ioannes Serranus Episcopus Acerensis lib. 2. de Concept. cap. 13. pag. 197. ex editione anni 1635. quae facta est Neapoli, haec testatur: *Sed valde certè notandum est maximum illud, quod ab Hispanis vulgo ob eminentiam, miraculum de Manressa dicitur, eo quod ibi & factum & omnibus, ac singulis solemniter celebratur annis, cuius fuit series, quod plusquam centum retrò annis (licet nos diem, mensem & annum in particulari ignoremus) vti authenticis accepimus scriptis in ciuitate Manressa Principatus Catalonia ob particulares inimicitias, vir quidam Franciscus Planes nomine, qui à iudicibus illius Ciuitatis propter tale iudicium suspensus, ultimoque fuit supplicio affectus, interfecit virum alium nomine Franciscum Mulet in Iure Bacalaureum, qui antequam hunc maretur (notanda res) viuus surrexit & nouem dumtaxat horas post resurrectionem vixit, sicut ipsemet statim, ac reuixit, dixerat, quo tempore sapius testatus est, se ad hoc fuisse iterum ad vitam reuocatum vt Immaculatae Conceptionis veritatem testaretur & Deiparae Virginis praeservationem, cui in vita aduersatus fuerat, in omnium praesentia fateretur, eratque quantum ex facto colligere licet, legis obseruator, & aliam ex anima Virginis Immaculatae deuotus, & eiusdem Matris misericordiae precibus redire ad vitam post mortem impetravit, vt mirum hoc Virginis Priuilegium mirè coram omnibus testis mirabilis possit testificari, prout testatus est, quemadmodum traditio illius ciuitatis, pictura in muro cuiusdam illius Ecclesiae, & festiuitas inibi, per tot annos continuata testantur.*

Maiorem huius miraculi notitiam & quidem satis authenticam affert R. P. Fr. Franciscus de Torres lib. 2. de Concept. cap. 4. Vbi dicit plures informationes authenticas etiam ab Inquisitoribus factas circa hoc miraculum; affert etiam illustre testimonium D. Christophori Bernardi de Quiros Inquisitoris, cui hoc ipsum miraculum explorare & examinare commissum fuit: illudque testatus est manu propria, cuius originale Testimonium ex proprio Inquisitoris calamo scriptum asseuerat se vidisse ipse Franciscus de Torres, vbi refertur accidisse hoc ad ann. 1428. Addit etiam ex historia Lombardica edita Argentorati, relatum fuisse hoc miraculum in Concilio Basiliensi ab Episcopo Vicensi; plus addit Benedictus Gononus in Chronic. ad ann. 1430. assignans annum, mensem diem & feriam; in quo probatio miraculi est facta apud idem Concilium dicens: *Die Luna 6. mensis Octobris anni Domini 1430. in manibus Iudicis Fidei deputati per synodum fuit testificatum, etiam cum iuramento, quod nono mensis Septembr. anni 1428. in Ciuitate Minorissae quidam Franciscus Muleti Canonicus Ecclesiae Collegiatae Vicensis, &c. Historiam pleniorè referam infra.*

Id ipsum miraculum tanquam certissimum plures

res alij Authores testantur. Doctor Tenas Episcop. Dertus in sermone habito die 25. Nouembri anni 1618. ad solemne votum pro Immaculata Conceptione à Ciuitate. Barchin. Daza de Concep. cap. 10. fol. 84. Doctissimus Sebastianus Abreu in suis commentariis ad 12. Sancti Thomæ tract. 15. disp. 6. sect. 4. num. 36. Regestum Franciscanum miraculum 62. col. 581. Et ego vidi instrumentum authenticum, quod seruatur in Archiuo Francisci Matritensis, continens plures informationes super eadem re autoritate publica factas, in quibus notauit, siue ex simplicitate testium, siue ex vsu apud Aragonos & Catalanos illorum temporum antiquorum ante Sixtum Quartum, cum non pauci tamquam de Fide assensum præstabant sententiæ negatiuæ & nulla tunc aduersus negatiuam opinionem erat veritas Censura erroris, nec quælibet alia non nihil dici, quæ post Sixtum Quartum & Pium Quintum oporteret reformari; sed ipsa substantia. Miraculi in honorem Immaculatae Conceptionis indubitabilis, & potens omninò fit ex dictis informationibus, præter traditionem illius Populi in cuius testificationis firmiorem assertionem, proponam testimonium Ecclesiæ Manressanæ de hac materia & est sequens. *Hispano exaratum sermone.*

A LOSEMINENTISSIMOS, ILVSTRISSIMOS, y Reuerèdissimos Señores dela Santa Iglesia Romana, Cardenales, Arcobispos, Obispos, y Prelados, y de su Santidad, y su sacro Palacio, Romana Rota, y Cancellaria Apostolica, Auditores, Iuezes, y oficiales, y otros qualesquier Iuezes, y Iusticias, assi Ecclesiasticas, como seculares, y otras qualesquier personas de qualquier estado, grado, dignidad, y condicion que sean, à cuya noticia las presentes llegaren: *Joseph Hinoj*, Doctor en ambos Drechos, Canonigo de la Santa Iglesia Cathedral de Barcelona, y por el muy illustre, è insigne Cauildo de la Santa Iglesia, La Sede Episcopal Vacante en lo espiritual, y temporal en la presente Ciudad, y su Diocesis, y Vicario general, y oficial las debidas obediencia, reuerencia, y salud en nuestro Señor Iesu Christo. Hazemos saber, que por parte, è instancia del Ilustre *Don Iayme Mir* del consejo del Rey nuestro Señor, y su Regente en Cataluña, se nos dixo, que para ciertos fines, y efectos le conuenia se sacasse testimonio autentico, fidedigno de lo que se contiene en seis quadros grandes, que en la Fiesta solemne, que todos los años se haze en el dia, y fiesta de la Immaculada Concepcion de la Virgen MARIA, Madre de Dios, y Señora Nuestra en su Capilla, situada en los Claustros de dicha Santa yglesia se componen publicamente de vn singular Milagro dela Immaculada Concepcion, auia sucedido en persona del Bachiller Francisco Mulet, Canonigo del la Ciudad de Manressa. E Nos Viendo la petition ser justa, queriendo proceder en ello debidamente, hauendo hecho discusion particular sobre ello, por parte de los Mayorales de la Cofradia de la Immaculada Concepcion de nuestra Señora, por autoridad Apostolica y Real, fundada en dicha Capilla, en Iustification de lo suso dicho, se nos presentò vn libro grande cuias hojas son de pergamino, con cubiertas de madera y Cordouan colorado con perfles de oro, y las armas de dicha Capilla, en medio, con cerraduras de bronce, manuescrita, que està recondido en el Archiuo de dicha Capilla, el qual se intitula, *Libro de la*

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Cofradia de la casa del Señor Rey, intitulada Sots inuocatio de la Sagrada, è pura Concepcion de Madona Señora MARIA VERGE è MARE Gloriosa, el qual se empesò en el Año de mil y trecientos, y siete, y en el estan continuadas las Indulgencias, que los Summos Pontifices, y Priuilegios, que los Señores Reyes de gloriosa memoria han concedido à dicha cofradia, y otras cosas graues tocantes à ella, y en otras ay vn capitulo, cuyo titulo es *Miraculum singulare* en el qual està en forma autentica, fotos escrita de mano del Obispo *Martin de Barcelona*, la informacion, que en el mes de Febrero del Año de mil y quatrocientos y ochenta y nuebe, à instancia de los Mayorales de dicha Cofradia, tomò el Dean de Manressa, el Auto del Obispo de Vique de cuya Diocesis dicha Ciudad es, del Milagro que auia sucedido en ella en prueba de la Immaculada Concepcion de la VIRGEN. Y fue en el dia de nuestra Señora de Septiembre del Año de Mil y quatrocientos y ochenta y ocho, y despues de auer estado tres horas muerto de vnas heridas el Bachiller Francisco Mulet Canonigo dela dicha Ciudad, y resucitò y viuio por espacio de nueue horas, en las quales en presencia de diuersas personas, dixò como auia sido muerto, y comparecido delante de la Iusticia diuina, y auiendo pasado por las penas del Purgatorio, por mandado de Dios, y de la VIRGEN, auia buuelto al Mundo para desdezirse de la opinion, que sin embargo de auer sido muy deuoto de la VIRGEN à quien saludaua cada dia con oracion, auia tenido que auia sido concebida con pecado original, y venia à diuulgar que en esto se auia engañado, y que la VIRGEN fue concebida sin pecado Original, y que no viuiria mas de nueue horas y pidió le hiziesen venir vn Maestro en Theologia para confessarse, y despues de confessado y dicho con razones fuertes, que de alli adelante nadie estuiesse con aquel engaño, murio. Y este caso le afirman cinco testigos, diciendo en su deposicion, se hallaron presentes, y oyeron quando el dicho Mulet lo dixo, y le vieron despues morir, como en el dicho testimonio mas largamente se contiene, y todo este successo està pintado en dichos seis quadros grandes, que estan en la Sacrestia de la dicha Capilla, los quales todos los años por la Fiesta que se haze en dicha Iglesia con grande solemnidad el dia de la Concepcion de MARIA Santissima se sacan fuera, y ponen sobre los paños, se entapiza el Claustro: lo que se ha hecho y haze de tantos años aca, que no ay memoria de hombres en contrario; conforme lo afirman y atestiguan los Sacerdotes mas Viejos de dicha Iglesia. De todo lo qual certificamos assi. En testimonio de lo qual mandamos dar y dimos las presètes firmadas de nuestra mano selladas con el sello del Ilustre Cabildo, que fueron dadas por el infra escrito notario. Dada en Barcelona à veinte dias del mes de Diciembre del año del Nacimiento de nuestro Señor Iesu Christo mil seiscientos y cinquenta y tres. *Doctor Josephus Minor*, Vicarius Generalis, & Officialis Por mandado de dicho Vicario General *Pablo Neopare*, Notario publico de Barcelona, y Escribano de la corte del Vicariado, y de la muy Reuerenda Camara Apostolica Secretario.

Adeo authentica est hæc historia, vt eius testis possit dici tota Catalaunia & tuæ admirationi, seu curiositati potest satis esse.



IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII,
E SOCIETATE IESV.

MANTISSA.

De formulis Canonizationum variis.

QVONIAM communiter Doctores probant ex Canonizatione Sanctorum, certitudinem Sanctitatis in obiecto Festorum, nosque idem iuculcauimus in Tractatu *de Sanctitate institut. Festi*: placuit non omittere, quæ ibi remisimus, peculiarique eruditione hanc illustrare materiam.

§. I.

Expenduntur plurimarum Canonizationum Formulae.

POterit aliquis obiicere, non aptè argumentari à Canonizatione Sanctorum ad institutionem Festorum, quoad certitudinem Sanctitatis: nam Canonizatio Sanctorum definitio est, ac propterea de Fide habendum, Canonizatum sanctum esse; in institutione autem Festorum non est talis definitio, nec ex eâ sequitur, de Fide esse sanctitatem obiecti festiui. Ad hoc respondeo: controuersiam esse, an sit de Fide, Sanctum Canonizatum esse in cælo: nec clarum est omnibus Doctoribus, definitionem de Fide comitari Canonizationem. Vndè Iacobus Granados tract. 7. disp. 3. sect. 5. ait: *Si petat aliquis, quanta sit huius nostre assertionis certitudo, Valentia putat esse certum, secundum Fidem; quod probabile censeat Turrianus, & omninò approbat Rocha. Sed rigida censura est, cum questio hæc, ut diximus, habeat aliquid ad factum pertinens, & in questionibus facti non sit infallibilis auctoritas Pontifici; ideoque magis probo censuras aliorum.* Canus ait, contrarium esse temerarium, & irreligiosum. Turrianus, esse saltè temerarium. Aragonius esse valdè temerarium. Bannez esse valdè temerarium, & scandalosum. Certè, magnum scandalum gigneret, qui Pontificem in hoc errare posse, doceret, & dignus esset, qui tanquam de Fide aliquantulum suspectus puniretur. Hactenus autem attulimus rationes, quas Doctores abstrahendo à definitione, sic vel non sit in Cano-

nizatione, iudicant sufficientes, ut Pontifex non possit errare in declaratione, & propositione hominum Sanctorum, ut colantur tales ab vniuersis Fidelibus.

Addo deindè, condescendendo, imò & roborando in Canonizatione contineri hodie definitionem; sed indè sumam argumentum ad roborandam etiam certitudinem Sanctitatis festiue Conceptionis, quantumuis maioribus producamos hanc dissertationem. Etenim, negare non possum, quin Pontifices in his vltimis seculis, non solum in Bullâ Sancti Francisci Paulæ; sed in plerisque Canonizationum Bullis, dicant definire, ut in Bullâ pro Canonizatione Sancti Hyacinthi. Item, pro Sancto Raymundo: pro sanctâ Franciscâ Romanâ: pro Sancto Carolo Borromeo: pro Sancto Ignatio, Patre nostro: pro Sanctâ Theresiâ Virgine: pro Sancto Francisco Xauerio: pro Sancto Philippo Nerio; in cuius Bullâ Urbanus VIII. eodem modo loquitur de Sancto Isidoro, agricolâ, & Sancto Xauerio. Antiquius etiam Bonifacius IX. in Bullâ de Sanctâ Brigittâ, dixit: *Decernimus, declaramus, definimus, siue pronuntiamus Sanctam Brigittam Sanctam esse, & ab vniuersali Ecclesia venerari debere.* Innocentius VIII. in Bullâ Canonizationis Sancti Leopoldi, Austriæ Principis, sic inquit: *Auctoritate Domini nostri Iesu-Christi statuimus, definimus, & pronuntiamus Sanctum Leopoldum, Sanctorum Catalogo adscribendum.*

Nec molestum erit transcribere omnia verba Pij II. Canonizantis Sanctam Catharinam Senensem, quæ valdè solennia sunt: *Ad honorem omnipotentis, & æterni Dei, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad exaltationem Fidei Catholicæ & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu-Christi, & beatorum Petri, & Pauli*

Pauli Apostolorum eius, ac nostra, Catharinam Senensem, illustris, & indelebilis memoria Virginem, cuius corpus in Ecclesia Prædicatorum, que Minerua dicitur, Rome iacet, & in cœlesti Hierusalem, inter Beatarum Virginum Choros, quando id eius virtus, diuina suffragante gratia, meruit, iam pridem, esse receptam, & æterna gloria corona donatam, de Fratrum nostrorum Consilio declaramus eamque tanquam Sanctam publicè, priuatimque colendam esse decernimus, & desinimus, atque in Sanctarum Catalogo Virginum, quas Romana veneratur Ecclesia, redigi, & adscribi mandamus.

Adrianus VI. in Canonizatione Sancti Bennonis, Episcopi Misnensis, imitatus Pium II. similiter dixit: *Ad laudem, & honorem Sanctæ, & indiuidue Trinitatis, & exaltationis Fidei Catholicæ, & Christianæ Religionis augmentum, auctoritate Domini nostri Iesu-Christi, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & nostra, de fratrum nostrorum consilio decernimus, & desinimus, bonæ memoriæ Bennonem olim Episcopum Misnensem, Sanctum esse, & in Sanctorum Catalogo adscribendum, ipsumque in Sanctorum Catalogo describimus.*

Alij Pontifices videntur æquipollentia dixisse. Nicolaus V. *De Omnipotentis Dei Misericordia, qui non deserit Ecclesiam suam, decernimus, declaramus, & ordinamus, Sanctum Bernardinum inter Sanctos Dei ab vniuersali Ecclesia debere deputari.* Vbi nota, eum velle, vt omnes ita sentiant, seu reputent: non potest autem rem falsam Omnibus credendam, aut iudicandam proponere. Similiter Sixtus IV. in Canonizatione Sancti Bonauenturæ, ait: *Consistentes igitur, quod in hac Canonizatione non permittat nos Deus errare, qui omnia in ea quomodolibet requisita etiam superabundantèr obseruari fecimus, & obseruauimus, de eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Prælatorum in Romanâ Curia existentium, vnanimi consensu, & maturo Consilio, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi, beatæ memoriæ Bonauenturam Balneoregiensem, Sacræ Theologiæ Professore, ex gremio Sacri Ordinis Minorum, & ex Officio Generalatus in Episcopum Cardinalem assumptum, Sanctum esse, ac aliorum Sanctorum Dei Catalogo adscribendum, adiiciendum, ac aggregandum fore, ac fideliter, firmiterque teneri debere decernimus, ipsumque Sanctorum Confessorum, Pontificum, & Doctorum, quos Sancta Dei veneratur Ecclesia, Consortio solemniter in presentiarum adscribimus, aggregamusque per presentes.*

Cælestinus item III. in Canonizatione Sancti Vbaldi, clarè insinuat mediâ Spiritus Sancti Reuelatione eam Canonizationem fieri; etenim loquens cum eo, qui pro Canonizando Vbaldo egerat, ait: *Suspendimus desiderium tuum aliquandiu, vt Nobis, & Fratribus nostris, quod Nobis agendum esset, Spiritus Sancti Gratia reuelaret; tua igitur tandem, &c.* Et Clemens VII. in Canonizatione Sancti Antonini, Bullam edens nomine Prædecessoris Adriani VI. ait: *Considerans idem Adrianus, quod in eadem Canonizatione non permissurus esset Deus eum errare, &c.*

Honorius III. in Sancto Laurentio, Archiepiscopo Dublinensi: *Diuinum secuti Iudicium, per quod eius Glorificatio argumentis tam euidentibus innotuit.* Ioannes verò XV. anathematizat eos, qui refragati fuerint Sanctitati Sancti Vdalrici, à se tunc canonizati: id, quod non nisi contra negantes veritatem fidei, fieri vnquam solet. Ac de-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

nique Eugenius III. in Canonizatione Sancti Henrici Imperatoris, ait, eam non solere fieri nisi in Concilio Generali, additque: *Auctoritate tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ que omnium Conciliorum Firmamentum est, &c.* Vbi duo possunt perpendi: Primò, eum supponere, eam Definitionem esse talem, quales solent esse, quæ sine dubio ad fidem spectant. Secundò: ipsum ibi dicere, se eadem Auctoritate, quæ dat Conciliis firmamentum, vt ad Canonizationem; ea autem Auctoritas omninò est ad definiendum de fide: ergo Definitio illa de Sanctitate Henrici, seu Canonizatio illius est de fide.

Necdum vidi Bullam Canonizationis Sancti Procopij Bohemi, verùm ex eo, quod narrat Nicolaus Salius Pragensis, in vitâ eiusdem Sancti Procopij, videtur posse dici, Definitionem fuisse, cum voluerit Pontifex expressè credi ab omnibus Sanctum esse, vt constat ex eius Historiâ, de miro eius Canonizandi modo, quem placet hic transcribere ex cap. 11. eius Vitæ, vbi hæc dicuntur: *Blasio, Cœnobij sui Præposito, ter mandauit Procopius, vt Romano Pontifice adito, eum, quo se albo Diuorum, relatis non vulgaribus suis Operibus adscriberet, excitaret. Paruit iussus, distulit rogatus; exposuit iussa Legatus, neglexit exequi ea Prælatus. Egit quod debuit petitor supplex, non consummauit requisita, que potuit Pontifex. Sic ergo attenuato annuo sumptu, salutatis Liminibus Apostolorum Petri, & Pauli, nocte abibat Blasius. Cum Procopius indignanti similis, Pontificem sopitum corripere, quod segnissus honori suo studens, preces Sacerdotis sui ita repulisset, vt ad spectum hominum non ferens, ieiunio loculis excede vrbe cogeretur: adiecitque, ni hominem viâ Diui Laurentij suburbani gradientem renocaret, tum verò se illum (pedum in sublime tollens) perfossum. Pontifex horribilis ostenti facie somno resolutus, semisopita voce, quis esset percontatur: Procopius, ait ille, & euannit. Procopij Sacerdotem Pontifex Blasium per sagaces & expeditos Cursores reductum, cum auidè, presentibus tredecim purpuratis Patribus, de Procopij gestionibus audisset, diuina re facta, Sanctorum numero illum asserit: missoque in Bohemiam Guidone Sanctæ MARIÆ trans Tyberim, Sancti Calixti Presbytero Cardinale (Legato à Latere vulgo dicto) Procopium Sanctum, Beatum, Felicemque credendum, vocandum, colendum pronunciat, eique tanti nominis, & tituli apud omnes ferendi, Auctor est, idque Anno Domini nostri 1204. quarto Nonas Iunii.*

Nihilo minùs alij Pontifices non ita expresse runt Definitionem Fidei. Tam diuersæ olim fuerunt Canonizationum Bullæ, vt Magister Cœremoniarum à Leone X. requisitus, vt traderet formam seruandam in Canonizatione Sancti Francisci de Paula. Respondit: Se nihil posse certò firmare, quia diuersa à diuersis audiuit, nec in suis Libris certam formam inuenerat; & quia aliud vidit seruari in Canonizatione Sancti Nicolai de Tolentino, die 5. Iunii 1446. factâ per Eugenium IV. Aliud in Canonizatione Sancti Bernardini, factâ in Festo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli 1450. per Nicolaum V. Aliud in Canonizatione Sancti Vincentij, die 24. Maij, 1455. factâ per Calixtum II. Aliud in Canonizatione Sanctæ Catharinæ Senensis, die Ascensionis 1482. factâ per Pium I. Aliud in Canonizatione Sancti Leopoldi, in

die Epiphaniæ, 1485. factâ per Innocentium VIII. vndè, ipse exhibuit aliam formam Leoni X. quæ in Canonizatione Sancti Francisci de Paula, die I. Martij 1519. fuit seruata.

Hoc supposito, sine mentione Definitionis, Innocentius I II. in Diplomate Canonizationis Sancti Homoboni, hæc ait: *Ipsam Sanctorum Catalogo duximus adscribendum, statuentes, ut in die depositionis ipsius eiusdem Festiuitas deuotè à vobis, & alijs Christi Fidelibus annis singulis de cæterò celebretur. Indè est, quòd Vniuersitatem vestram rogamus in Domino, & monemus per Apostolica Scripta precipiendo mandantes, quatenus eiusdem Sancti memoriam, prout dictum est, cum celebritate debita venerantes, eius apud Deum Gaudia æterna pertingere valeatis.* Innocentius II. in Canonizatione Sancti Hugonis, Episcopi Gratianopolitani, factâ anno 1130. ait: *Archiepiscoporum, Episcoporum, & Cardinalium, atque aliorum, qui Nobiscum aderant, Concilio, ipsam inter Sanctos, & Electos honorari præcepimus, & diem eius assumptionis cum gaudio solemniter celebrari.* Paschalis II. anno Sexto sui Pontificatus, Domini verò 1105. canonizauit Sanctum Petrum, Episcopum Anagninæ, per Diploma dicens: *Auctoritate presentium volumus, & mandamus, quatenus tertio Nonas Augusti Natalem eiusdem Confessoris, & Praesulis memorandi Sanctorum Catalogo congruè celebrem recolatis. Ut refert Baronius tom. 12. in prædicto anno, num. 14.* Alexander III. in Canonizatione Sancti Bernardi, inquit: *Quibus omnibus, pia Consideratione pensatis, & in Concilio Fratrum nostrorum expositis, confisi de Misericordia Dei, cui perseuerantè, & fideliter militauit, nec non, & de Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, & eiusdem Beatissimi Confessoris meritis, præsumentes, eum Apostolica Sedis Auctoritate, Catalogo Sanctorum ascribi mandauimus, & Commemorationis sue Festum decreuimus, amodò publicè celebrandum.* Idem in Canonizatione Sancti Eduardi, Regis Angliæ, ait: *De communi tamen Fratrum nostrorum Consilio, iuxta votum, & desiderium prædicti filij nostri Regis, ac vestrum. Corpus ipsius Confessoris ita glorificandum censuimus, & debitis præconijs adorandum in Terris, sicut eundem Confessorem Dominus per suam Gratiâ glorificauit in Cælis. Vndè, videlicet inter Sanctos Confessores de cæterò numeretur, qui hoc ipsum apud Deum signis meruit, ac virtutibus obtinere.* Postea subdit: *Vniuersitatem Vestram per Apostolica Scripta monemus, & exhortamur in Domino, quatenus eum ita deinceps studeatis debitis obsequijs honorare, ut ipsius intercessionibus, apud districtum Iudicem, mereamini veniam obtinere, & gloriosum in æterna Beatitudine premium inuenire.* In his omnibus nulla exprimitur Definitio; sicut nec in Bullâ Sancti Thomæ Cantuariensis, idem Pontifex expressit, dicens: *Vniuersitatem itaque vestram monemus, & Auctoritate, qua fungimur, distinctè præcipimus, ut natalem prædicti gloriosi Martyris Diem Passionis sue, solemniter singulis annis celebretis, & apud ipsum votinis Orationibus satagatis veniam promereri. Ut qui pro Christo in vita exilium, & in morte virtute Constantia, Passionis Martyrium pertulit, Fidelium ingi supplicatione pulsatus, pro Nobis apud Dominum intercedat.* Hoc tamen Præceptum solum apparet esse de cultu; non tamen de credenda eius Sanctitate, quamuis debebat credi; & paulò antè dixerat: *Prædictum*

Archiepiscopum solemniter in Ecclesia magno Collegio ibidem Clericorum, & Laicorum presente, in Capite Ieiunij deliberato Fratrum nostrorum Consilio, Canonizauimus, ipsumque decreuimus Sanctorum Catalogo adscribendum. Gregorius IX. in Canonizatione Sancti Antonij de Padua, inquit: *Vniuersitatem Vestram rogamus, monemus, atque hortamur, per Apostolica vobis Scripta mandantes, quatenus deuotionem Fidelium ad Venerationem eius salubriter excitantes, Festiuitatem ipsius, Idibus Iunij, annis singulis celebretis, & faciatis eadem die solemniter celebrari, ut eiusdem precibus Dominus exoratus, Gratiâ in presenti, & Gloriam nobis tribuat in futuro.* Idem Gregorius IX. in Canonizatione Sancti Dominici, ait: *Ipsam de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu, ac omnium tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Prelatorum, Catalogo Sanctorum adscribi decreuimus.* Idem in Canonizatione Sancti Francisci, inquit: *Habito Fratrum nostrorum Consilio, & assensu, ipsam adscribi decreuimus Sanctorum Catalogo Venerandum.* Idem Gregorius IX. in Canonizatione Sanctæ Elisabethæ Viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filia, sic ait: *Dictam Sanctam, quam sibi ad intuitum placuit sua Maiestatis assumere, de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu, ac venerabilium Fratrum nostrorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, & Prelatorum omnium, qui tunc apud Sedem Apostolicam existebant, Sanctorum Catalogo duximus adscribendam.*

Eugenius IV. in Canonizatione Sancti Nicolai de Tolentino, inquit: *Eundem Beatum Nicolaum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.* Nicolaus V. in Canonizatione Sancti Bernardini Senensis, ait: *Seruatis omnium votis, nimirum Cardinalium, in eandem Sententiam conuenerunt, tantam esse euidentiâ miraculorum, nec non de vitæ ipsius Sanctimoniam ac Fidei integritate, tam clarum, tamque euidens testimonium, ut in tanti viri Canonizationem animos concorditer sua vota depromerent, quorum securâ iudicium, tunc Canonizandum esse decreuimus.* Cælestinus III. in Canonizatione Sancti Ioannis Gualberti, inquit: *Prænomiatum Beatum Ioannem canonizauimus, & numero Confessorum Christi decreuimus adiungendum.* Innocentius IV. in Canonizatione Sancti Edmundi, Cantuariensis Archiepiscopi, ait: *In Dominicâ de Aduentu, quâ cantatur, Gaudete in Domino semper, Sanctorum Catalogo adscribendum, vel iam adscriptum duximus nunciandum.* Idem Innocentius IV. in Canonizatione Sancti Petri Martyris, inquit: *Enim de communi Fratrum nostrorum, & Prelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam consistentium Consilio, & assensu confisi, de Omnipotentis Dei Virtute, Auctoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, ac nostrâ, Sanctorum Martyrum Catalogo duximus adscribendum.* Idem in Canonizatione Sancti Stanislai, Episcopi Cracouiensis, ait: *Nostrorum Fratrum, nec non & Prelatorum tunc apud Sedem Apostolicam existentium, communicato Concilio, prædictum Beatum Stanislauum, Episcopum, dignè Sanctorum Catalogo duximus adscribendum.* Alexander IV. in Canonizatione Sanctæ Claræ, inquit: *Ipsam Catalogo Sanctarum Virginum duximus adscribendam.* Urbanus IV. in Canonizatione Sancti Riccardi, Episcopi Cicesterfienfis in Angliâ, sic ait: *Sanctorum Catalogo cum celebri gaudio*

dio duximus adscribendum: Clemens IV. in Canonizatione Sanctæ Heduigis, Ducissæ Poloniæ, inquit: *Prelatorum, qui tunc apud Sedem morabantur eandem, Consilio, Sanctorum Catalogo decreuimus adscribendam, imò veriùs denunciamus iam adscriptam.* Sic etiam Pius II. in Canonizatione Sancti Vicentij Valentini. Sixtus V. in Bullâ Sancti Didaci. Clemens VII. in Bullâ Canonizationis Sancti Antonini, vsi sunt verbo *Decreuimus.* Per quod ex circumstantiis non declaratur eadem vis, ac continet verbum *Definimus.* Bonifacius VIII. in Canonizatione Sancti Ludouici, Francorum Regis, ait: *Ipsam de communi Fratrum nostrorum, & Prelatorum omnium tunc apud Sedem Apostolicam existentium, Consilio, & assensu, Die Dominico, tertio Idus Augusti, Sanctorum Catalogo duximus adscribendum.* Clemens V. in Canonizatione Sancti Petri de Morrono, Summi Pontificis Romani, Cælestini V. nuncupati, inquit: *Prelatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, supplicatione humili, & deuota, de Fratrum nostrorum Consilio, & assensu confisi, de Omnipotentis Dei Virtute, Auctoritate quoque Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, & nostra, ipsum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.* Ioannes XXII. in Canonizatione Sancti Ludouici, Caroli Regis Siciliæ filij, & Episcopi Tholosani, ait: *Ipsam septima die Aprilis, Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.* Idem Ioannes, in Canonizatione Sancti Thomæ, Episcopi Herfordiensis, in Angliâ, nihil aliud agit, iuxta Editionem Bullarum, Anno 1655. quàm laudare ipsum Beatum Thomam, & Institutionem sui Festi, & Cultus Indulgentiis stabilire. Sed illa Editio in hac parte mendosa, siue defectuosa est: quippè ei deest dimidia pars Bullæ, quæ integra reperitur in Editione Anni 1617. ibi enim sic loquitur Pontifex: *Ipsam Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.* Hic idem Pontifex, in Canonizatione Sancti Thomæ de Aquino, ait similia: *Eum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum.* Clemens VI. in Canonizatione Sancti Ioannis, Presbyteri Trecorensis, Galli, inquit: *De Consilio Fratrum nostrorum Canonizauimus, & Sanctorum Catalogo adscribendum mandauimus, & vt Sanctum deinceps à Fidelibus venerari.*

Itaque, prioribus temporibus non fiebat Canonizatio sanctorum etiam à Pontificibus cum expressa Definitione, seu manifestâ Declaratione de Fide tales esse habendos, Planè in primâ omnium, quas legimus, Canonizatione, factâ ab ipsâ personâ Pontificis; quam narrat Baronius ad Annum 803. quæ fuit Sancti Suuiberti, celebrata à Leone III. coram Carolo Magno, nulla est mentio Definitionis, imò nec Diplomatis, quod de Fide esse declararet, ac propterea illam referam hic ex Epistola Sancti Ludgeri, vbi dicitur: *Venit à Colonia idem Sanctus Papa Leo nauigio in Vuerdam, stipatus Imperatoria Maiestate, ac Sacrato Choro Sanctorum Cardinalium, & Archiepiscoporum, & multorum Procerum. Cui occurrunt vsquè ad Rhenum deuoti Fratres Conuentus Sancti Suuiberti processionaliter cum incolis eiusdem Oppidi de Vuerda, introducentes eum cum Imperatore, & ceteris in Ecclesiam Sancti Suuiberti, multum deuotè, ac honestè, & die illo, quo intravit, ieiunauerunt incola de Vuerda cum toto*

Conuentu, Auctoritate Apostolica Altera verò die, qui fuit pridie Nonas Septembris, tam Papa Sanctus Leo, quàm Carolus Imperator, & alij, conuenientes in Ecclesiâ, & Conuentu Sancti Suuiberti, ibi oratione finita omnium Conuenientium in Ecclesia, statim celebrante solenniter Summam Missam Felice Hildebaldo, Coloniensi Archiepiscopo, & Sanctissimâ Vitâ ipsius Suuiberti, cum innumeris miraculis conscriptâ per Venerabilem Presbyterum Marcellinum, Socium, & conterraneum ipsius Sancti, ibidem lectâ. Papa Sanctus Leo, de assensu pariter, & consensu suorum Cardinalium, cæterorumque Prelatorum, illic coram adstantium, solenniter Catalogo Sanctorum Confessorum ipsum adscripsit. Quo facto, pulsata Campana, Conuentus per aliquot horas ad Honorem Dei, & Gloriam ipsius Sancti, cum per dulcia modulamina Laudum, Fratres deuotissimè Deo rependissent gratias, cantando humiliter Hymnum Te Deum laudamus, & Reliquia, siue ossa ipsius ex monumento, in presentia Sanctissimi, Apostolici Leonis, & Caroli Imperatoris, cæterorumque per prefatum Archiepiscopum Coloniensem tollerentur deuotè, maxima dulcissimi odoris in eodè loco cælitus effusa est fragrantia, cuius suauitas omnium ora, & corda adstantium reficiebat, ita, vt nullus ambigeret, ibidem adesse Angelorum Choros. Facta sunt hac pridie Nonas Septembris, presentibus ibidem Victoriôssimo Carolo semper Augusto, Romanorum Imperatore, & Francorum Rege, Venerabilibusque Patribus Cardinalibus, Archiepiscopis Bernardo Ostiensi, & Fortunato Treuerorum, Theodoro Sabinensium, Nicolai Tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem, & Eustochio Sanctæ Praxedis, Bonifacio Tituli Sanctorum Marcellini, & Petri, Presbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodiensi, Volquino Normensium Episcopis, & presertim Felice Hildebaldo, Coloniensi Archiepiscopo, cuius industriâ, & piâ instantiâ Sanctus Leo Vuerdam nauigauit, & Sanctum Suuibertum in Dinis retulit, cum multis aliis Prelatis, & Proceribus. In his omnibus nulla apparet Definitio, & planè indubitatum est, adscriptos in Martyrologio Romano multos Sanctos, in quorum Canonizatione non fuit Definitio, saltem in eorum Canonizationibus, quas consuetudo, & communis Deuotionis consensus fecit: vt accidit Sancto Roccho, etiam quando Canonizationes reseruatae fuerunt Pontifici Romano, & ante hanc reseruationem plurimi olim ex Consensu Ecclesiastico Canonizati fuerunt, sine Definitione tamen Pontificiâ, verumtamen sine errore suæ Sanctitatis.

Ex quibus omnibus colligo Certitudinem Immaculatæ Conceptionis, ratione sui Festi; idè enim Pontifices recentiores vsi fuerunt verbo definiendi in Bullis Canonizationum: quia ea, quæ in Sanctis Canonizatis olim interueniebant, sufficientia erant vt certissimam eorum Sanctitatem facerent, adèd, vt possèt definiri de fide. In cæteris autem Sanctis, qui sine expressâ Declaratione Fidei, siue per Consuetudinem, siue per Pontificem canonizati sunt, valent rationes supradictæ, vt non inepte ratiocinemur à Canonizatione Sanctorum, ad Institutionem Festi alicuius Mysterij, vt sine errore etiam facta sit. Definitio autem moderna, quæ exprimitur in Canonizationum Bullis, non minuit vim nostri Argumenti; sed auget Certitudinem sui fundamenti.

§. II.

Satisfit alteri Obiecto, & controuertitur, an per Commissarios possit exercere Pontifex Munia Pontificia, quibus Infallibilitas sit annexa.

Aliâ potest contrariâ consideratione fabricari, aut contraponi aduersus dicta Obiectio, siue difficultas; nimirum, quod Canonizatio Sanctorum subiecta sit errori: ac proinde Institutio Festorum ex Similitudine, siue Comparatione Canonizationis, non supponit Certitudinem, nec Immunitatem à falsitate. Quod autem Canonizatio sit subiecta errori potest probari ex eo, quod per Commissionem Sedis Apostolicæ, remittentis alio arbitrio, & Iudicio Inquisitionem, Iudicium, Solemnitatem, & Executionem eius; poterunt aliqui id præstare tanquam Delegati: nam hi Commissarij non habent promissam à Christo Infallibilitatem, sicut habet persona Pontificis. Quod autem Canonizatio Commissaria fuerit aliquando facta, constare videtur ex Canonizatione Sancti Ottonis Bambergensis. Quippè anno 1189. Clemens III. retuli in Sanctorum numerum Sanctum Ottonem, Episcopum Bambergensem, Pomeranorum Apostolum nominatum: de cuius Canonizatione eiusmodi extat Epistola, seu Bulla in Chronico Bambergensi.

Clemens Episcopus Seruus Seruorum Dei Venerabilibus Fratribus Merseburgensi, & Eistetenensi Episcopis, & dilectis filiis, Sancti Emmerami Ratisbonensis, & Sunartzensi Abbatibus, Decano, & Scholastico Vuirzburgensi Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Ad Audientiam Nostram, & quarundam serie Literarum, & Relatione multorum peruenit, quod Diuina Potentia per Merita, & Interuentum Beati Ottonis Bambergensis, multorum est operata Salutem; præcipuè in Gente Pomeranicâ, ad quam fuit ab Apostolicâ Sede transmissus, & in ea quàm pluribus Miraculis donauit illi Dominus coruscare. Quoniam igitur iuxta Diuina Scriptura testimonium, Lucerna non sub modio; sed supra Candelabrum est ponenda; Discretionem vestra, per Apostolica scripta mandamus, quatenus de Vita ipsius, & Miraculis diligentius inquiretis, qua Nobis fuerunt per multorum Literas indicata: & si non inueneritis aliquid, quod obsistat, ipsum Canonizatum, Auctoritate freti Apostolica, solenniter, & publicè annuntietis; ad Honorem Dei, & ipsius Beati Viri Memoriam solennem haberi. Datam Laterani, tertio Kalendas Maij, Pontificatus nostri Anno secundo. Ita, iuxta simpliciore ritum eius Temporis.

Non meminerunt huius Diplomatis Alphonsus de Castro, Felix Contelorius, & alij, qui hanc Quæstionem tangunt, aut delibant, an Summus Pontifex possit Legato committere Canonizationem Sanctorum, hoc est, committere, vt Legatus possit declarare, & definire, & proponere toti Ecclesiæ colendum N. vt Sanctum. Alphonsus à Castro de Iustâ Hæreticorum punition, lib. 1. cap. 6. col. 4. versu *Rursus in Papa*, tenet, non posse committere, quia certitudo, & infallibilitas, quæ ad talem actum requiritur est annexa Dignitati Papali, & ab illâ separari non potest; Christus enim rogauit, vt non deficiat fides Petri, non

autem rogauit pro alio. Secundò: Quia perpetuâ Consuetudine Ecclesiæ receptum est, vt etsi multa ad Canonizationem præuia, scilicet vitæ inquisitio, & testium examinatio aliis committatur; ipse tamen solus Pontifex Sententiam profert; illum declarans fuisse Sanctum, & velut talem Catalogo Sanctorum adscribit, nec vnquam ab ipsis Ecclesiæ primordiis, ad hoc vsquè seculum fuit auditum, vt Papa alicuius Sancti Canonizationem Legato suo committeret. Aragonius in 2. 2. S. Thomæ, *quæst. 1. art. 10. in Tract. de Concil. vers. 3. Conclusio, in fin. & ad primum argumentum fol. 80. ait*, quod non potest delegare Potestatem definiendi res Fidei, alteri, quàm Concilio Generali; Bannez ibidem, *quæst. 1. art. 10. dub. 4. vers. Quapropter*, docet, quod non potest delegare, aut committere Legatis Potestatem definiendi res Fidei.

Multifariam tamen potest hæc obiectio eludi. Inprimis, quod in prædictâ Commissione nequaquam commisit Clemens III. Episcopis, & Abbatibus substantiale Canonizationis Iudicium; sed circumspeditionem occasionis publicandi illam, & executionem suæ solennitatis, & hoc sub illâ conditione negatiuâ, si nihil fuisset, quod obstaret. Iam Clemens III. congruè informatus, Iudicium fecerat de Sanctitate Sancti Ottonis, & sufficientibus inquisitionibus, & informationibus Sanctum censuit, & Cælestem Ciuem; nihilominus quoniam in his rebus potest esse magis & minus, intrâ spheram sufficientiæ: nam & hodie maiores inquisitiones, & informationes fiunt pro sancto Canonizando, quàm olim, & tamen antiqui sancti verissimè Canonizati fuerunt, & pariter eorum Canonizatio immunis ab errore sicut modernorum. Voluit ad maiorem abundantiam Clemens, inquiri à prædictis Episcopis, non quod habuerit prædictus Otto excellentem Sanctitatem, & patrata Miracula (de hoc enim iam constabat Pontifici, & quidem sufficienter) sed an esset aliquod obstaculum publicandæ Canonizationis. Quod obstaculum poterat accidere, non solum ex defectu Miraculorum, & famæ Sanctitatis; sed etiam ob rerum statum, & illius Gentis conditionem, bella, aut infirmam Christianitatem, an fuisset opportuna occasio tantæ demonstrationis. Et quidem si rectè perpendantur verba Clementis, nequaquam commisit illis ipsam Canonizationem ab eisdem faciendam; sed annuntiationem Canonizationis, à Pontifice iam factam: non enim dixit, *Ipsam Canonizetis*; sed *Canonizatum annuntietis*.

Responderi etiam potest, non fuisse alienum ab Episcopis, ante Alexandrum III. & Leonem III. canonizare Sanctos, imò potius frequentissimè ipsi canonizare cœperunt; vt colligitur ex variis Canonibus, Conciliis, & grauibus Scripturis: postea tamen successu temporis Alexander III. hanc abstulit facultatem Episcopis, & soli Sedi Apostolicæ reseruauit Canonizationem. Quam facultatem, sicut Alexander eam abstulit Episcopis, alius Pontifex, eius successor, poterat restituere. Cumque posterior Alexandro fuerit Clemens III. possit saltem in illo casu particulari eam ipsis reddere, & ad antiquum ius Canonizationem Sancti Ottonis, aut remittere, aut committere. Modum huius Episcopalis Canonizationis refert Cardinalis Baronius, in notis ad Martyrologium, die 2. Aprilis, dicens: *Moris erat, vt cum aliquis Martyrio occubisset, Episcopus sub*

enius ditione id accidisset, rem gestam scriberet ad Primatem Episcopum, à quo maturè, adhibitis in consilium Collegis aliis Episcopis, an esset inter Martyres recipiendus, decernebatur. Hocque probat ex narratis à sancto Augustino, in Breuic. Coll. die 13. cap. 13. Et post multa subdit; verba quidem magnà attentione, ponderanda semel, atque iterum: *Possumus ex his inferre si de illis, qui pro Christo occidebantur, tamen de eorum Fide, & Charitate, (sine qua nihil prodest, etiamsi det quis corpus suum ita ut ardeat) tam exquisitam peruestigationem haberi moris fuit, sanè mirum videri non debet, Sanctam Dei Ecclesiam, veritatis Columnam, maius studium, multoque exactiorem diligentiam adhibere solitam in adscribendo ceteros Sanctorum numero, ut merito tanti ponderis negotium non Primati, vel Patriarche alicui; sed ipsi tantum Romano Pontifici pro summa, & à Christo Domino in Beatissimo Petro Apostolo tradita potestate sit creditum.* Sciendum quoque est, Episcopalem illam Canonizationem, completam olim per consuetudinem, & consensum populorum, & aliqua significatione scientiæ, & voluntatis Apostolicæ Sedis, sine quâ non esset de Fide Canonizatio, quamuis alioqui immunis omnino habenda esset ab omni errore. Quapropter, Ioannes Franciscus Pauinus in Relatione Canonizationis sancti Bonauenturæ, ad initium tom. 2. Opusculorum sancti Bonauenturæ, registratâ in exordio illius, quæ Relatio impressa, reperitur etiam separata, cuius principium est: *Ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque Domine; validissimis argumentis ex auctoritatibus Sacrorum Canonum, & grauissimorum Doctorum decerptis, quas Auctoritates in specie ibidem adducit, præsertim §. Adducuntur & plures,* probat ad solum Pontificem Romanum pertinere Sanctorum Canonizationem, idque non ab Episcopis, neque à Sedis Apostolicæ Legatis præstari posse, nisi accedat super his specialis, & expressa facultas eiusdem Sanctæ Sedis Apostolicæ. Idem latè probat Castellinus *lib. de cert. Glor. Sanct. cap. 1. & 2.* Vnde in hac Canonizatione, cum fuerit specialis commissio, & Facultas Clementis III. maior est addita Auctoritas illi Canonizationi, quàm habuerunt olim illæ, quas communiter faciebant Episcopi, sine facultate speciali Romanæ Sedis.

Poterit fortasse etiam ab aliquo excogitari, ad eludendam prædictam obiectionem, quòd sint aliqua, quæ possit Pontifex aliis committere, licèt respiciant vniuersalem Ecclesiam; quod confirmat illorum sententia, qui putant Sanctum Linum, & Cletum fuisse Coadiutores, seu Vicarios Sancti Petri, adhuc viuentis, quibus commisit Gubernationem Ecclesiæ, se absente, numeratòque esse inter Pontifices: quoniam eorum Gubernatio, licèt commissaria, expers fuisset erroris. Nec desinam memorare, quæ de his Coadiutoribus Pontificiis scripsit eruditus Hermannus Crombach in Martyrio sanctæ Ursulæ, tom. 2. lib. 1. cap. 22. vbi ait: *Vicarij Romanorum, Pontificum olim absolutè sunt Romani Pontifices appellati: id quatuor exemplis fiet apertius. Primò enim Linus, & Cletus à multis Theologis, Historicis, & Iuris Interpretibus tantùm putantur S. Petro superstite; sed absente Roma, Vicaria Potestate Pontificatum administrasse, & ipso Petro citius esse Martyrio coronati, sancto Clemente I. eidem subrogato: qui tamen hæctenus inserti Pontificum*

*albo, Pape Romani nominantur. Deinde, Felix Liberio Pontifice circa annum 355. per vim deportato, susceptus Vicarius eius, donec sibi restitueretur, fuit, eique reduci cessit, & hic Papa tamen appellatur. Sic Syluero circa annum 538. astu Theodora, Augusta relegato, cum Vigilus ei sufficeretur, Vicarius tantum illius habebatur, eique, renocato ab exilio, munus reliquit: defuncto deinde Syluero, sex dies dicitur vacasse Sedes antè, quam Vigilus Cleri suffragiis electus, legitimè Pontifex existimaretur, & tamen antea fuerat nomine Pontificis Maximi honoratus. Denique, sancto Martino, Romano Pontifice, cum Constans Imperator nimis à Clero violenter extortisset, ut eo superstite, nouus eligeretur, ne Hæreticus ab Imperatore substitueretur. Elegerunt, ait Baronius 9. Augusti, Eugenium, ut loco, Martini præset Ecclesiæ, Vicaria tamen, dum ille viueret, præfectura. Ad hos Pontifices addit Hermannus simul cum Philippo Bebio sanctum Syriacum, quem dicunt Coadiutorem fuisse sancti Pontiani Pontificis & Martyris, dum in exilium pulsus fuit, atque anno tribusque mensibus, Vicario tantum munere, viuo; sed relegato in Sardiniam sancto Pontiano, Pontificatum gubernasse, & post Martyrium sancti Syriaci 21. Octobris toleratum Pontianus creditur communiter à 19. Nouembris vsque superfuisset, & nihilominus sanctus Syriacus in sui Sepulchri Epitaphio Papa Romanus dicitur, his verbis: *Syriacus Papa Romanus, qui cum gaudio suscepit sanctas Virgines & cum eis Coloniam reuersus, Martyrium suscepit.* Quantum huic, vel simili sepulchrali sit inscriptioni, vel etiam Epitaphio tribuendum, docet nos Cardinalis Baronius, qui mille testibus aliis idoneis fidem eius anteponit; sed hic suas patitur difficultates.*

Verùm ista non sunt explorata omnia, nec accepta omnibus; nam hunc Sanctum Syriacum fuisse Pontificem, uegatur communiter, sicut & non conceditur fuisse Coadiutorem Sancti Pontiani. Deinde, Sanctos Linum, & Cletum fuisse solum Coadiutores, siue Vicarios Sancti Petri viuentis, & non successisse post eius mortem, non admittunt grauissimi Auctores, de quo videri possunt Bellarminus, & Baronius. Præterea, Eugenius Pontifex superuixit Sancto Martino, post cuius mortem, Pontificatum gessit. Fateor tamen, Beatum Felicem obiisse ante Liberium; verum tamen non idè sequitur Coadiutoris duntaxat munus gessisse; sed volunt etiam, Auctores, reuerà fuisse Pontificem: nam Liberio in exilium, ob causam Fidei, deportato, Romanus Clerus iurauit, nullum se alium, viuo Liberio, in Pontificem admissurum. Deinde, operâ Arianorum, ac præsertim Acacij, Cæsariensis Episcopi Felix Diaconus, Romanus Episcopus creatur in locum Liberi, qui propter hoc beneficium liberè cum eis communicabat, licèt ipse Arianus non esset. At, quamuis etiam Felix, Arianus fuisset, nihilid Sedi Apostolicæ ob esset: constat enim eo tempore, Felicem, Schismaticum Papam, non verum, & Legitimum Pontificem fuisse, cum duo simul esse non possint. Viuebat autem tunc, vt verus Pontifex, Liberius. Quocirca, nemo Catholicorum Romæ cum Felice eo tempore communicare volebat. Post biennium deinde, successit lapsus Liberij, & tunc Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia dignitate, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat: & ex eo tempore cepit Felix verus Pontifex

fex esse. Et licet Liberius hæreticus tunc non esset; habebatur tamen, propter pacem cum Arianis factam; hæreticus. Et ex eâ præsumptione meritò potuit ei Pontificatus abrogari: non enim homines tenentur, aut possunt corda scrutari, sed quem externis operibus hæreticum esse vident, simpliciter hæreticum esse iudicant, ac vt hæreticum damnant. Et hoc est, quod Hieronymus in *Chronic.* ait, permultos ex Romano Clero peierasse, & ad Felicem accessisse. Dicuntur enim peierasse, quia iuramentum non seruarunt, quod susceperunt, de non recipiendo alio Pontifice. Id tamen non inficior, si Coadiutor duntaxat Sanctus Felix fuisset; ea tamen, quæ sunt Pontificis propria gessisse: nam coacto Concilio declarauit, Imperatorem Constantium, & Episcopos Ursacium, & Valentem, cum quibus Liberius pacem fecerat, verè esse hæreticos.

Eugenium autem I. negari non potest, quin fuerit Vicarius pro Sancto Martino, in exilium misso: quippe ex Martini *Epistola* 18. colligitur, alium Romæ creatum fuisse Pontificem. Restituisse quidem diu visus est Clerus Romanus Calliopæ, ex Imperatoris mandato instanti, vt Martino subrogaretur Pontifex, asserens, contra ius, fasque, vt viuente Pontifice alius in eum locum substituat. Verùm ne cogeretur Romana Ecclesia subire periculum, vt nisi ipse Clerus eligeret, daretur inuitis ab imperatore Romanus Episcopus, qui eiusdem cum ipso esset hæresis propugnator: eam duram conditionem accipiunt inuiti, & Eugenium Romanum, præstanti virtute, & famâ in pauperes magnificentia; gratum Populo eligunt, loco Martini, qui tamen Vicariâ, dum ille viueret, Præfaturâ Ecclesiæ præflet. Quod anno 652. conuigisse, colligitur ex Anastasio. Ita Baronius, Scarouolcius, & Coriolanus. Qualem autem habuerit Potestatem iste Vicariatus Eugenij, vix declarant Theologi, imò vix illum nouerunt & idè, vt doctissimus Scholasticus, Franciscus Amicus, disp. 6. cum varios Casus referret, in quibus, viuente Pontifice, potest eligi alius, non habuit notitiam Eugeniani huius Vicariatus; eius verba sunt. *Præter peccatum Hæresis, dubitari potest, an propter defectum Scientia, Prudentia, aut Valetudinis, possit Pontifex inuitus deponi? Negant communiter omnes, præterquam in casu perpetua amentia, nam hac æquiualeat morti, per quam Iure Diuino cessat Pontificia Potestas, etiamsi postea ad se redeat, modo prudenter fuerit antea ab Ecclesia indicatum, illum fore perpetuum amentem. Ad maiorem tamen Cautelam deberet talis Pontifex, altero canonice electo, spontè renuntiare. Idem dicendum, si post diligens examen, probabiliter, prudenterque Pontifex indicatur mortuus, & postea inueniatur viuens, altero in prioris locum suscepto. Sed quid si Pontifex sit à Tyranno perpetuo carceri addictus: an possit tali casu Ecclesia alium Pastorem sibi eligere, cum primus nequeat Ecclesiam pascere? Sed negandum est, posse tali casu alium substitui, vt constat de multis Pontificibus Primitiue Ecclesiæ, quibus perpetuo exilio, vel carceri addictis, nunquam Ecclesia ausa est illis viuentibus, alium eligere. Postea obiicit sibi Historias Felicis, & Vigiliij, ex quibus se facile expedit, sed nequam meminit suscepti Eugenij pro Sancto Martino, cuius Historia sine controuersia est, & indubitatus eius Vicariatus. Iacobus Granados, tract. 6. disp. 2. sect. 4. censet, quod si Pontifex*

captius detineretur, sine spe redeundi ad suos, vt posset illos gubernare: fortassè quidem teneretur ipse renuntiare, vt Ecclesia alterum eligeret; sed si nollet, rectè docent Caietanus casu 1. & alij, non posse deponi, quia de eiusmodi Potestate Ecclesiæ collata non constat, & aliundè posset Ecclesia Deum orare, vt ipsi mederetur; sicut olim rogauit pro Petro, in carcerem detruso, exaudireturque sine dubio in re tanti momenti. Fortassè, si innotuisset Caietano, & Granado Historia Martini, & Eugenij, Quæstionem hanc magis declararent: nescimus enim, quòd Sanctus Martinus consensum suum dederit ad substituendam sibi Eugenium; sed potius inquit Spondanus, ad Annum 652. *Quod maiorem Viro Sancto dolorem incussit, fuit, cum subrogatum sibi Successorem se viuente, & pro Fide exultante, audisset.* Quare, minimè delegauit Eugenium; nec renunciauit Pontificatui: scimus autem, electum à Romano Clero eius Vicarium Eugenium. Vndè, inquirendum erat, quid in hoc Casu posset Coadiutor, siue Vicarius Pontificis, siue electus à Cardinalibus, siue delegatus ab ipso Pontifice, in carcere detento, vt deinceps nullum cum Catholicis posset habere commercium, ad Ecclesiæ res tractandas. Et quidem, licet ratione suæ Personæ, nullam infallibilitatem habuisset, huiusmodi electus, in substitutionem Pontificis, in carcere oppressi, suis tamen Decretis, dum essent necessaria, & vniuersalia, non desideraretur infallibilitas, quæ metienda esset iuxta necessitatem Ecclesiæ, ne vllus vniuersalis error in illam proferret.

Existimo quidem, quòd Pontifex cum causâ legitimâ potest designare Vicarium, & Coadiutorem, quod vtiquè fecisse, multi dicunt, Sanctum Petrum, & quamuis isti Coadiutori non communicaretur infallibilitas: sequeretur tamen in occurrentibus, & necessariis casibus, vbi mora magnum detrimentum afferret, eius Decreta non fore sine infallibilitate, propter Vniuersale Ecclesiæ bonum, ne dum aliquid præciperet in Ecclesiâ Vniuersali in materiâ Morum, totam cogeret errare Ecclesiam, eidem obtemperaturam. Sicut enim Doctores dicunt de falso Pontifice; putato tamen Legitimo fore de Fide, siquid definiret, & pronuntiaret tanquam de Fide, non propter infallibilitatem suæ personæ promissam; sed propter veracitatem Ecclesiæ Christi, ne falsis & incertis medijs Gubernatio sua Spiritualis stabili-retur essetque cõmunis Ecclesiæ sensus, obnoxius errori. Ob eamdem etiam Causam dicitur, quòd Pontifex occultè hæreticus, si malitiosè vellet definire aliquid in se falsum, non permetteretur à Deo. Eiusmodi etiam, quamvis Adiutor Pontificis non habeat Auctoritatem infallibilem in se; infallibilitèr tamen procederet in rebus pertinentibus ad vniuersalem Ecclesiam gubernandam, quas de præsentis statuere necessitas vrgeret. In definiendis autem Dogmatibus non erat cur se intromitteret.

Potest etiam afferri pro Pontificis potestate delegabili, quòd vices suas possit committere suis Legatis, & Concilio, vt aliquid definiant. Quod latè probat Petrus de Aragon, Augustinianus in 22. quæst. 1. art. 10. secutus Castro Lib. 1. de Iusta Hæreticorum punitione, cap. 6. & Sotum in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 4. ad secundum, dicens: *Plenarium Concilium legitime congregatum, cui Legati Summi Pontificis intersunt, habet Potestatem*

testatem definiendi res Fidei. Quæ Conclusio, meo iudicio, est ita certa, ut contrarium dicere sit error. Et probari potest, primò ex perpetuo vlu Conciliorum, quæ initio suorum Decretorum res Fidei definire dicunt, & anathematizantur quicumque contrarium dixerint, aut senserint: signum ergo est, quòd habent Potestatem definiendi. Et confirmatur ex cap. Quoniam 16. dist. vbi dicitur: Placuit Concilio, & huic Sanctæ Synodo, &c. Et Octaua Synodus Constantinopolitana, in condemnatione Photij, sic dicit: Photium inobedientem huic sanctæ Synodo, condemnamus, & anathematizamus. Idem etiam patet ex formâ, quam Episcopi habent in subscribendo in Conciliis, scilicet, *ego Episcopus definiens.* ergo habent Potestatem definiendi res Fidei. Item, si Concilia, de quibus loquimur, non haberent Potestatem definiendi res Fidei, sequeretur, quòd nullum esset discrimen inter Concilium Episcoporum, ritè congregatum, & Congregationem Laicorum hominum; consequens autem est falsum: ergo. sequela probatur. Nam prædicta Concilia per se non possunt definire res Fidei; sed tantum disputare, & consultare controuersias in Fide oblatas; sed hoc idem potest efficere Congregatio Laicorum hominum: ergo. Et confirmatur: si Episcopi conuenirent in illum locum propria Auctoritate, sine conuocatione, facta à summo Pontifice, possent de quæstionibus Fidei disputare & deliberare; ergo si congregatur Auctoritate Papæ, poterunt definire, alioqui ex conuocatione Papæ nulla Potestas accederet Concilio. Vltimò: si Concilio Nicæno statutum est, quòd Concilia Prouincialia non definiant res Fidei; sed tantum Generalia; ergo Generalia habent hanc Potestatem definiendi. Postea ait Aragonius: *Quæ definiuntur in huiusmodi Conciliis, etiam ante Pontificis confirmationem, pro veris habenda sunt.*

Quæ sententia Atagonij, Castri, & Soti confirmari videtur ex Concilio Ephesino, cui Cælestinus Papa, per eius Legatos commisit Definitionem Diuinæ Maternitatis, & postquam Concilium illam definiuit, & condemnauit Nestorium, eo ipso die, non expectatâ Confirmatione Papæ, vniuersus Populus gratulatus est Definitionem illam, cæperuntque omnes vnâ voce prædicare Synodum, & Deum glorificare, factaque multâ lætitiâ, luminaria per totam Ciuitatem fuisse accensa, atque aded & ipsas mulieres adolentes thymiamata, cum thuribus progredientes è tanta victoriâ Patres præcessisse. Testantur Cyrilli tunc temporis ad suos Alexandrinos scriptæ Literæ Epistolâ 34. Tom. 4. Oper. sed & per publicos præcones damnationem Nestorij, Ephesi promulgatam, & proclamatam fuisse, Candidianus Comes, in Conciliabulo postea testatus est.

Hinc prouenit est ratiocinari, quòd etiam posset Pontifex committere Concilio sanctum canonizandum, quod factus Felix Contelorius de Canonizatione Sanctorum, cap. 7. concludit huiusmodi. *Interueniente Romani Pontificis, Auctoritate, potest vniuersale Concilium Sanctos canonizare, quia huiusmodi Canonizatio fit Auctoritate Romana Ecclesie, iuxta Text. in cap. 1. de Reliquiis & Veneratione Sanctorum, Castellinus de Canonizat. quæst. 3. Quæro, quid de Concilio, Roch. eod. Tract. cap. 4. vers. Quod ad solum. Et comprobatur ex eo, quod Concilium legitime congregatum, Capite, scilicet summo Pontifice, & membris con-*

stans, errare non potest, etiam per modicum tempus, in Definitione Fidei, & Morum, ut late probat Aragon. 22. quæst. 1. art. 10. de Conciliis, vers. 2. Conclusio, fol. 80. & paulò inferius, docet esse de Fide, quòd Concilium non possit errare. Tum etiam addit Contelorius, quia Summus Pontifex potest delegare Concilio Generali Potestatem infallibiliter definiendi res Fidei. Nam quamvis infallibilis Potestas definiendi, includat assistentiam Spiritus sancti, ad gratias gratis datas pertinentem, quæ in alium transferri non potest; hæc tamen assistentia est in Concilio legitime congregato, non ex Delegatione Papæ; sed ex propria promissione Christi, ipsi Ecclesiæ factâ, & Summus Pontifex tantum illi communicat potestatem definiendi, quæ pertinet ad munus Iurisdictionis: ex quo inferitur, quòd quamvis illa potestas definiendi res Fidei, quæ à Papâ in Concilium deriuatur, non habeat infallibilitatem; (quia ipse non potest alteri assistentiam Spiritus sancti delegare) est tamen infallibilis, quatenus recipitur in tali subiecto, scilicet, Concilio legitime congregato, quod errare non potest propter assistentiam Spiritus sancti, quam ex Dei promissione habet. Itaque, cum in Concilio sint duo, scilicet, Potestas definiendi res Fidei, & assistentia Spiritus sancti, ex quibus simul sumptis prouenit infallibilitas rerum in Concilio definirarum. Primum horum videlicet, Potestatem definiendi, confert Summus Pontifex Legatis, quo tempore Concilium legitime congregat; aliud verò, scilicet assistentiam Spiritus sancti, nec Concilio Papa potest delegare; sed illam habet Concilium ex promissione Christi: vnde infallibiliter potest res Fidei definire. Hæc ex Aragonio dicto art. 10. de Concil. col. antepenult. fol. 88. An autem Concilium Generale, in quo Papa per suos Legatos assistit, possit errare, vide eundem Aragonium ibidem, fol. 85. Bannez in 22. Sancti Thomæ, quæst. 1. art. 10. dub. 4. Sotum in 4. dist. 20. art. 4. ad 2. Canonum de Locis Theologicis lib. 5. cap. 5. quæst. 2. Turcrematam de Potestate Eccles. à cap. 33. vsque ad cap. 58 Caietanum de Auctoritate Papæ, & Concil. cap. 11. & 16. Albertum Pighium lib. 6. Ecclesiastica Hierarchiæ. cap. 6.

Verum, contra dictam Sententiam, quoad non expectandam Confirmationem Pontificiam, nec necessariam esse, stat Praxis Ecclesiæ, in qua omnia Concilia legitima, non solum antecedenti; sed etiam consequenti Auctoritate Pontificis dependerunt, à quo fuerunt omnia Concilia Catholica confirmata. Quia, ut inquit Sotus, nulla Potestas est in Concilio, quæ non deriuetur à Summo Pontifice: cum Concilium esse non possit, nisi illud Pontifex congregari præcipiat, atque Legatos mittat; sed Potestas infallibilis definiendi, qualis est in Papâ, non potest alteri delegare: ergo Concilium non habet Potestatem definiendi, & sic potest errare. Consequentia cum maiori est nota, & minor probatur: Potestas infallibilis definiendi, includit in se assistentiam Spiritus sancti, quæ pertinet ad gratias gratis datas, consequentes personas, quæ in tertiam transferri non possunt, non esse autem ex alio capite in personis Conciliaribus colligitur ex eo quòd, ferè omnia Concilia, tam antiqua, quam moderna, quibus Summus Pontifex non interfuit, petierunt à Summo Pontifice confirmationem: ergo ipso facto huiusmodi Concilia continentur ea, quæ definiunt, esse infirmationem, atque ex consequenti errare possunt.

Tertio, sumi potest argumentum, quod celebrato Concilio Chalcedonensi, multi illi fidem adhibere noluerunt, quia dubitabant vtrum à Papâ confirmatum esset, necne: vt scribit Marcianus Imperator, in Epistolâ ad Leonem Papam, quæ inserta habetur primæ Actiõni Concilij Chalcedonensis; ad quem Leo Papa rescripsit, se iam illud confirmasse, & denuò confirmare, præcipitque Epistolam mitti ad vniuersos & singulos Episcopos, ne vltra dubitent. Signum ergo est; Ecclesiam vniuersalem eo tempore iudicauisse, Concilia errare posse, ante Pontificis confirmationem.

Quod autem accidit in Concilio Ephesino, celebratam fuisse eius definitionem, ante confirmationem subsequenter Pontificis, parum ad rem est: quoniam ipse Pontifex idem definierat antea, & certiore fecit Synodum Ephesinam suæ definitionis; quare, non erat opus expectare amplius. De hac præuâ Definitione Cœlestini Papæ, multa sunt Testimonia. Etenim in Epistolâ, quâ Ephesina ipsa Synodus Imperatoribus exponit quæcumque contra Nestorium gesserat, ita scribit: *Huius rei causa, ipsum à Sacerdotio, peruersaque doctrina Cathedra semouimus, canonicèque exautorauimus: Cœlestinum sanctissimum, Deoque dilectissimum, Urbis Romana Episcopum, dignis præconis extollentes, qui ante nostram sententiam hæretica illius dogmata condemnarat, nosque in ferenda contra Nestorium sententia, anteuertat.* Quin & ipsi Apostolicæ Sedis Legati Synodum ingressi, sacrum Patrum concessum affati sunt, his verbis: *Dudum ante Sanctissimus, Beatissimusque Pater noster Cœlestinus, Sedis Apostolica Episcopus ea per Epistolam ad Cyrillum piissimum Ecclesie Alexandria Episcopum, de præsentis hac causa, & controuersia perscripsit, definivitque que par fuit, quæ Literæ sacro vestro Cœtui haud dubiè iam pridem sunt exhibitæ. Idem nunc alios rursum ad corroborandam fidei Catholica doctrinam, ad vestram pietatem per Literas nos misit.* Et paulò post illos ad Synodum venisse, vt executores sententiæ contra Nestorium, quam à Cœlestino acceperant in mandatis, non modò ipsimet Legati, Arcadius, Proiectus, & Philippus; sed etiam Cyrillus Alexandrinus Synodo declararant: quoniam igitur Pontifex Legatis suis disertè tradiderat, quæ per Synodum cuperet definiti. Idcirco, in Epistolâ ad Ephesinam Synodum proficitur, cum plenâ se potestate misisse Legatos, qui suo nomine Concilij Acta confirmarent, & ad extremum hæc subiicit: *Que verò decreueritis, ea pro omnium Ecclesiarum tranquillitate habeantur definita, decretaque.* Tametsi Ephesij Patres, vt veterem Ecclesiæ consuetudinem retinerent, quidquid ab ipsis actum, decretumque fuerat: post modum per Synodicam Epistolam exposuere Cœlestino eiusque arbitrio referuarunt vltimam, aduersus Ioannem Antiochenum sententiam; addiderunt etiam, recipere se Romanæ Ecclesiæ Decreta, aduersus Cœlestinum, & Pelagium, quæ Synodo miserat Cœlestinus.

Itaque, propositiones ab ipso Cœlestino iam definitas, commisit Concilio repetitâ definitione, solemniter in vniuersam Ecclesiam publicandas. Huiusmodi instar, fortasè Clemens III. Canonizationem à se factam, commisit iteratâ determinatione, publicandam ab illo Concilio Episcoporum, & Abbatum, ad quod designauit illos sex Legatos, & Conciliares simul. Cum maximè

ipse Aragonius fateatur etiam potestatem definiendi posse communicari Conciliis à Pontifice Romano, quin ipsa Concilia illam habeant immediatè à Deo concessam.

§. III.

An similis commissio collata sit Laicis ad canonizandum.

Post hæc omnia examinandum est, an Laicis possit committere Pontifex Canonizationem alicuius sancti: nam Arnoldus Wionus, Auctor Ligni vitæ totius Religionis sancti Benedicti, part. 2. libr. 3. die 26. Iulij de sancto Simeone Monacho, & Heremita, hæc habet: *Connumeratus est in numerum Sanctorum à Benedicto Papa VIII. petente ac rogante Illustrissimo Duce, & Marchione Bonifacio Tedaldi filio.* Cuius Canonizationis Breue, per modum Epistolæ, directum eidem Bonifacio, ad integrum ibidem refert; quod libuit hic cum suâ inscriptione apposuisse, videlicet:

Incipit Epistola Benedicti Papæ de Canonizatione, & Constructione Ecclesiæ Sancti Simeonis Monachi.

Benedictus Episcopus seruus seruorum Dei, Bonifacio gratia Dei Marchioni inclito salutem charissimam cum Benedictione Apostolica. Requisistis iudicium nostrum sicut dignum fuerat, vtrum in honore Simeonis nuper sanctificati, quod opera probant, & innumera, ac diuina miracula testificantur, liceret vobis Ecclesiam construere, & eius venerabile corpus honorificè collocare ibidem. De quo respondemus: si ita coruscet miraculis, vt vester homo nobis asseruit, adificate Ecclesiam, collocate in ea eundem, iuxta quod altare consecrari rogat. In quo reliquiæ antiquorum Sanctorum recordantur cum sacratissimo corpore Domini nostri Iesu Christi; & sic demum diuina mysteria celebrantes, tractate eum Sanctum: Sanctus Sanctorum reddat vobis mercedem Sancti, sicut ipse dixit: qui recipit Prophetam in nomine Propheta, mercedem Propheta accipiet. Ipse inspector est rerum, & cordium, & ipse illi dignam compensationem remuneret, & vobis pro tanto desiderio suam indulgeat gratiam.

In his tamen verbis, non committitur Marchionis Bonifacio iudicium Canonizationis faciendæ; sed executio publicandæ: etenim eius iudicium requisitum fuit à Pontifice per ipsum Marchionem, illudque reddidit, pronuncians Canonizationem, propter innumera, ac diuina miracula serui Dei Simeonis. Illa autem verba; si ita coruscet miraculis; non sunt intelligenda conditionaliter; sed causaliter tantundem, ac si diceret, siquidem coruscet miraculis: de quibus miraculis sufficientem probationem habuit Benedictus per Legatum ipsius Marchionis, ad hoc missum, quod indicant illa verba; vt vester homo nobis asseruit. Tandem, prædictam Epistolam fuisse Bullam veræ Canonizationis, satis ostendit Martyrologium Romanum, in quo recitatur: *Treueri Sancti Simeonis Monachi, qui à Benedicto Papâ Nono in Sanctorum numerum relatus est.*



IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII
 E SOCIETATE IESV.

De Festo Translationis Sancti Benedicti,
 coaptato Certitudini Festivæ Con-
 ceptionis B. VIRGINIS.



VAMVIS in Opusculo de Sanctitate
 necessaria Mysterij, celebrati ab vniuersa
 Ecclesia cum Auctoritate Apostolica, satis
 astruxerimus, non sufficere ad similia Festa
 Sanctitatem duntaxat probabilem. Iuuat
 tamen occurrere nonnullis ausuris forsitan
 obiicere Festum Translationis Sancti Be-
 nedicti: cuius Corporis Translatio à Mo-
 nasterio Cassinensi in Floriacense, omnino
 controuersa fuit, & est. Nihilominus, eius
 Festiuitas in variis Breuiariis, & Martyro-
 logiis assignata, multisque Monasteriis celebrata est, eandemque Mat-
 thæus Lauretus, Tractatu de existentia Corporis Sancti Benedicti in Cas-
 sinensi Ecclesia, part. 2. capit. 11. contulit cum Festo CONCEPTIONIS im-
 maculatæ.

S. I.

*Festum Conceptionis à mul-
 tis Pontificibus præceptum:
 Translationis autem à nemi-
 ne; sed potius ex Martyrolo-
 giis abrasum.*

Immeritò tamen, & perperam, cum inter
 utramque magnum sit discrimen: nam Festum
 Conceptionis est vniuersale totius Ecclesiæ, quod
 nunquam habuit Translatio Sancti Benedicti, cuius
 festiuitatem refutabant omnes Citramontani
 Monachi: imò Auctoritate Pontificiâ Urbani II.

Ioann. Euseb. Op. Parth.

prohibita fuit, & ab aliis duobus Pontificibus;
 tum etiam à Missalibus, & Martyrologiis expun-
 cta. Præterea, Festum Conceptionis præceptum
 est celebrari in tota Ecclesiâ, à Pio V. Clemente
 VIII. & Urbano VIII. Festum autem Transla-
 tionis, à nullo Pontifice inuenitur præceptum,
 institutum, nec approbatum; sed potius prohibi-
 tum: de quo videri potest Matthæus Lauretus.
 Et hoc sufficit, vt satisfactum sit huic dubitati-
 oni. Quomodo enim potest sumi argumentum à
 Festo, quod reprobatur à tribus Pontificibus,
 ad Festum quod approbatum, & præceptum est
 ab totidem Pontificibus, & commendatum ab om-
 nibus post Sixtum IV. Illud autem prohi-
 buerunt: quia rei non certæ; sed ad
 summum probabilis; hoc tamen
 præceperunt, quia rei
 certæ, & plusquam
 probabilis.

§ II.

Clemens VII. tolerauit duntaxat Festum Translationis, sed nequaquam approbauit.

Quod si dicat aliquis, approbasse illud Clementem VII. cuius diploma impetrarunt Patres Benedictini Vallisoletani. Fallitur omnino. Nam illud Indultum, quod non fuit ipsius Pontificis immediate; sed Cardinalis Ægidij, ex commissione tamen Pontificis, nequaquam approbat Festum Translationis; sed tantum declarauit, posse Monachos Vallisoletanos, sine scrupulo manere in antiquâ suâ consuetudine, prout Cardinalis Ægidius testatur iis verbis: *Sanctitas sua provide attendens, huiusmodi negotium Orthodoxam Fidem non tangere, eidem Congregationi, ut in dictâ consuetudine suâ Festum Translationis Sancti huiusmodi celebrandi, remanere possint, ac Festum Translationis huiusmodi, prout hæctenus celebrarunt, absque omni conscientie scrupulo libere, & licite celebrare valeant, donec aliud per Sedem Apostolicam in contrarium fuerit decretum.* Prudenter quidem, & verè exemit suis scrupulis Vallisoletanos Fratres, verum nec consulit prædictam Festiuitatem celebrare; sed tantum permisit, negatiuè se habens: quod in aliis multis casibus præstituerunt Romani Pontifices, ut nuper accidit in Sardinia, circa celebrationem Festi Sancti Luciferi; multaque permisere iustis ex causis, quæ nequaquam approbabant. Itaque, satis significatur discrimen inter Festum Conceptionis immaculatæ, & Translationis Benedictinæ, ex respõso Clementis, quod hanc tantum permisit: illa autem etiam præcepta, & commendata sit à Summis Pontificibus.

Præterea, diuersissimam esse rationem Conceptionis, & Translationis, satis indicatur, cum de hac dicitur: *Attendens huiusmodi negotium Orthodoxam Fidem non tangere*; verè quidem: quia Translatio Sancti Benedicti, non est Mysterium Christi, nec Matris suæ; Conceptio autem immaculata, tangit res Fidei, & Mysterium est valde venerabile, concernens multa Orthodoxæ Fidei Mytheria, lapsum Generis Humani, Excellentiam Diuinæ Maternitatis, & alia huiusmodi. Undè Clemens VII. non iudicauit inconueniens tolerari Festum Translationis, quia non tangit Orthodoxam Fidem; quod non toleraret in Festo Conceptionis sine exacto examine, & satisfactione veritatis. Nec enim decebat, ut mysterium falsum coleretur in Ecclesia, licuit tamen, ut occasione Translationis Sancti Benedicti, quamuis falsæ, coleretur ipse Sanctus. Ideo Matthæus Laureus dicit: licet pars negatiua huius Translationis vera sit; potest tamen, non solum absque peccato; verum etiam cum merito eius Festum celebrari.

Pro quo notandum, duplicem posse haberi errorem, circa aliquam rem, scilicet, speculatiuum, & practicum. Error speculatiuus est, quando quis habet causam moraliter sufficientem ad credendum, aliquid esse verum; quod tamen à parte rei aliter se habet. Sicut quando Iacob congressus est cum Liâ, quam credidit esse Rachelem. Hic error est inuoluntarius, & qui

illum habet, patitur, cum ad illum non concurrat: & idè dicitur speculatiuus, quia est merè in intellectu. Error practicus est ille, quem quis facile vincere, & superare potest; sed negligit facere, quod debet, ad illum expellendum. Error iste est voluntarius, quia homo ad illum aliquatenus concurrat, estque illius causa. Error itaque speculatiuus non transit in mores, id est, non vitiat practicas actiones, cum malitia à voluntate nascatur: error verò practicus transit in mores, & vitiat humanas actiones; eo quod ad ipsum concurrat voluntas. Exemplis rem illustremus. Video cuiusdam fœminæ imaginem, puerulum gestantem in gremio, quam arbitror esse B. Virginis Mariæ, cum tamen cuiuspiam alterius sit: adoro illam, osculor, & amplector, non solum absque peccato, imò cum merito. Non enim refero honorem illum in mulierem illam, mihi penitus ignotam; sed in B. Virginem Mariam, quam per illam imaginem credo repræsentari. Similiter, si à personis Religiosis proponantur (ut sæpè fit in Ecclesiis) reliquiæ sub nomine alicuius Sancti, cuius reuera non sunt, imò fortè nullius Sancti sunt; atque ab astantibus adorentur, nullum peccatum committunt: quia non falsam reliquam; sed verum Sanctum adorare intendunt. Deniquè, qui adorat Hostiam non consecratam, quam tamen credit consecratam, (quamuis materialiter falsum sit quod adorat) non peccat; sed facit, quod debet. Eodem modo dici potest de celebritate Translationis Sancti Benedicti, qui simpliciter credunt, eam esse veram, nil peccant celebrando, quantumcumque falsum sit, quod celebrant: quia error ille est merè speculatiuus, & inuoluntarius; & sic non vitiat actionem illam. Sicut Iudex occidendo innocentem, falsò probatum nocentem, quamuis errat, credendo illum esse reum, nil peccat in actione eum condemnando: quia facit secundum allegata, & probata. Quando ergo Pontifices summi permittant celebrare Translationem Sancti Benedicti, aut Sancti Dionysij Arcopagitæ, vel concedant Indulgentias celebrantibus huiusmodi Festa; non statim cenendi sunt, approbare, seu determinare, veram, & certam esse talem Translationem; sed solum prouocare Fideles ad venerandum eo die Sanctum illum, siue fuerit translatus, siue non: permittentes eis celebrare, quod absque peccato, imò cum merito, ut dictum est, celebrare possunt. Sic orat Ecclesia, & Missas celebrat pro Fidelibus defunctis in particulari; quos tamen ignorat ubi sint, nec propterea determinat, illorum animas esse in Purgatorio.

Hæc intentio Pontificum satis est ad permittendum Fidelibus illud, quod ipsi sine peccato, imò cum merito facere possunt, quamuis interueniat error speculatiuus. Quæ tamen intentio non ita congrueret ad præcipiendam ex Motu proprio cultum rei, duntaxat probabilis; sed in se ipsa falsæ, & Festum Mytherij sacri: sed opus erat, iuxta voluntatem Christi, dirigentis suam Ecclesiam per media vera, ut certitudo eius rei supponeretur. Aliud est deuotio priuata Fidelium, aliud instructio generalis Ecclesiæ: illa respicit meritum, hæc veritatem, ideo illam permittere potest Pontifex, cum non desit meritum, licet intersit error; illam ordinare nequit, cum veritati non innitatur. Unde id discrimen est inter Translationem permissam celebrari, & Conceptionem præceptam coli, quod sufficiat

sufficiat ad illam probabilitas; verum ad hanc necessaria sit certitudo: illa est solum tolerantia, hæc inuitatio, consilium, eruditio, præceptum.

Illud etiam interuallum animaduerti potest ex indulto Clementis VII. inter Translationem Benedictinam, & Conceptionem immaculatam, quod de illâ satis dubitauerit; idcirco limitat depositionem scrupuli Congregationis Vallisoletanæ, dicens: *Donec aliud per Sedem Apostolicam in contrarium fuerit decretum.* Verum Pontifices dum limitant aliquid de Conceptione, potius dicunt, *donec decidatur*; non quidem in contrarium; sed in fauorem: quia in Translatione solum supponebatur probabilitas; in Conceptione verò certò loquebantur.

Hinc apparet magnum hoc discrimen, ab ipso Clemente animaduersum, confirmari, quod Festum Translationis non instituerit Sedes Apostolica: idcirco, ratione solius consuetudinis, non alicuius Pontificiæ Institutionis, aut Constitutionis excusat Clemens scrupulum illum Monachorum. Deinde, quia potius præsumit decernendum aliquandò à Sede Apostolicâ contra prædictam Translationem. Festum autem immaculatæ Conceptionis, omnes agnoscunt institutum in Ecclesiâ, laudatum, commendatum, & præceptum à Pontificibus non timentibus diminutionem suæ solennitatis; sed potius expectatur extrema huius Mysterij exaltatio.

§. III.

Aliquorum Celebratum nomina designant occasionem colendi aliquem Sanctum.

ILLA etiam est maxima differentia inter Festum Translationis, & Conceptionis: quoniam nonnulli celebratum tituli sunt actiones alienæ alicuius Sancti, vt sunt Translatio, Ordinatio, Consecratio, quæ actiones sunt aliorum, & Sanctos duntaxat passiuè afficiunt, obiecta huiusmodi Festiuitatum non semper sunt illæ actiones, sed ipse Sanctus, cuius cultus celebratur occasione illarum actionum. Quare, siue illæ actiones sint veræ, siue falsæ, non impediunt certam Sanctitatem eius Festi: nam cum obiectum, quod colitur sit ipse Sanctus, ac propterea certissimè sit res sancta, nihil attinet, quod occasio celebrandi illum sit vera, vel existimata. Totum hoc satis comprobatur Ordinatio Sancti Basilij, quæ habetur in Martyrologio Romano, die 14. Iunij, in quâ die Ecclesia celebrat ipsum Sanctum Basilium, nec vllò alio die de eo celebrat; sed in hoc duntaxat, absque vllò verbo ordinationis eius. Itaque, celebritas Sancti Basilij non fuit in die obitus eius, qui accidit primo die Ianuarij; sed in die ordinationis; ipsam tamen ordinationem in nullo officio celebrat. Vnde Martyrologium Romanum hoc aduertit primâ die Ianuarij, dicens: *Cæsarea in Cappadociâ depositio Sancti Basilij Episcopi, cuius celebritas decimo octauo Kalendas Iulij, quâ die ordinatus fuit Episcopus, potissimum recolitur.* Cum enim dies natalis Sancti Basilij occupata fuerit in celebrandâ Circumcisione Dominicâ, transtulit Ecclesia eius celebratam, occasione suæ Ordinationis, in decimam quartam diem Iunij. Vnde, quia tunc celebratur, & non die primâ Ianuarij, non in isto die Laudes eius

Ioann. Euseb. Op. Parth.

commemoratur; sed in die, Ordinationis: quoniam in hoc die, propter illas celebratur. Ideò, die quartâ decimâ Iunij sic recitatur in Martyrologio: *Cæsarea in Cappadociâ Ordinatio Sancti Basilij Episcopi, qui tempore Valentis Imperatoris, doctrinâ, & Sapientiâ insignis, omnibusque Virtutibus ornatus, mirabiliter effulsit, & Ecclesiam aduersus Arianos, & Macedonianos mirâ constantiâ defendit.* Similiter, & ordinatio Sancti Grægorij fuit occasio, vt die tertiâ Septembris idem sanctus, siue eius Natalis, hoc die celebraretur aliquandò; provt testatur Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium, die 3. Septembris iis verbis: *In hanc diem transferebatur etiam Natalis eius, cum Quadragesimali tempore de Sanctis agi vetitum esset, vt scribit Radulph. de obseru. Can. cap. 16.* Eodem modo Sanctus Ambrosius celebratur in die suæ Ordinationis, non autem ipsa ordinatio: vnde, sicut obseruat Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium 7. die Decembris, vocatur in Græcorum Menologio, Natalis Sancti Ambrosij.

Cum autem celebratur Auctoritate Pontificiâ Mysterium, aut Priuilegium, & Gratia singularis, propria alicuius Sancti; tunc Festiuitas habet hoc obiectum, ac proindè debet esse sanctum, vt accidit in Festo Conceptionis: quod in eo etiam discedit, maximè à Festo Translationis, quod hæc quatenus afficit passiuè sanctum Benedictum, nec peccato illum potuit denigrare, nec noua gratia decorare. Quare, etsi celebraretur obiectiuè, & immediatè nullum interuenit periculum colendi rem peccaminosam; sicut accideret in Conceptione B. Virginis, si non esset concepta in Gratia: nam tunc celebraretur Conceptio maculata, & peccaminosa; quare certitudo in Festo Conceptionis omninò erat requirenda, quamvis aliis Festiuitatibus sufficeret probabilitas.

§ IV.

Æquiuocatio magna in nomine Translationis, quod non est referendum ad Translationem Corporis Sancti; sed ad Translationem Festi.

QVOD autem prædicta nomina, Translatio, Ordinatio, & si qua sunt similia, quæ solent vsurpari ad designandum aliquam Festiuitatem, non semper sint obiectum eius; sed ipse Sanctus, cuius dicitur Translatio: constat exemplo eiusdem Sancti Benedicti. Nam Galestinus in Notis ad suum Martyrologium, in Annotatione ad diem 21. Martij, agens de Festo Sancti Benedicti asserit: *Diem Natalem eiusdem, celebrari à Græcis (vt ex eorum Menologio patet) pridie Idus Martij; aliis verò in locis quinto Idus Iulij, quo die celebratur Translatio: cum enim dies natalis eius in Quadragesimam cadat, quo tempore ex antiquo ritu de Sanctis fieri non solebat, ad certum illum mensis Iulij diem, celebritas eius dilata est: vt Radulphus Tungrensis scribit.* Sic Galestinus. Ex quibus apparet, quinto Idus Iulij in Ecclesiâ Mediolanensi, & aliis, celebrari non Festum Translationis; sed diem natalem Sancti Benedicti, etiam iuxta Galestini sententiam, qui in hoc sequitur Radulphum Tungrensem. Celebrant ergo Ecclesiæ istæ mensè Iulio, non Translationem Corporis; sed Translationem Festi Sancti Benedicti.

nedicti. Quod amplius explanabo cùm Mat-
thæo Laureto, ex Ritu Ambrosiano. Obseruat
(inquit Lauretus) Ecclesia Mediolanensis, siue
Ambrosiana statutum Consilij Laodicensis, in
cuius cap. 51. cauetur, ne Martyrum Natalitia in
Quadragesima celebrentur. Vbi quamuis de solis
Martyribus fiat mentio: de quorumcumque San-
ctorum Feflis Canonem illum loqui, Patres in-
tellexerunt. Vndè, in Concilio Toletano decimo
sanctum est, vt Feflum Annuntiationis B.
Virginis Mariæ, quod fere semper in Quadra-
gesimam incidit, in decimum quintum Kalenda-
rum Ianuariarum annuatim celebrandum trans-
ferretur, quod hætenus in Hispaniâ obseruatur.
In Ambrosiana verò Ecclesiâ Dominica proxima
ante Natale celebratur, vt docet Radulphus,
Decanus Tungrensis, in Libro de Canonum
obseruatione, propositione decimâ sextâ. Simi-
liter Fefla Sanctorum Gregorij, & Ambrosij,
antiquitus ad dies Ordinationis eorumdem tran-
slata fuerunt: Gregorij scilicet, ad diem tertium
Septembris; Ambrosij verò, ad diem septimum
Decembris, vbi etiam nunc celebratur. Et Sancti
Patris Benedicti Feflum, ad quintum Idus Iulij:
quo die illud celebrat etiam nunc Ecclesia Medio-
lanensis. Cum ergo aliqui asserunt, Ecclesiam
Mediolanensem celebrare Feflum Translationis
sancti Benedicti, intelligendi sunt de Translato-
ne Fefli, non de Translatione Corporis. Cum
enim mente Martio, quo tempore Ecclesia Am-
brosiana illud non celebret, sed ad quintum Idus
Iulij, quo die à quibusdam Feflum Translationis
iusdem celebrabatur, transtulerit: arbitrati sunt
quidam, Ecclesiam Mediolanensem celebrare
Feflum Translationis sancti Benedicti; cùm reuer-
rà transitum, seu natale eiusdem tunc celebret.
Vnicū namque festum S. Benedicti celebrat in an-
no; nec est dicendum, omisso natali eius Feflo,
Translationem solummodo celebrare. Hoc ita ef-
fe, docet aperte Radulphus; Postquam enim egit de
Translatione Fefli Annuntiationis, Gregorij, &
Ambrosij, hæc de Feflo Sancti Benedicti sub-
nectit: *Et Benedictus ad diem Translationis sue
de mense Iulio; sed postea Annuntiatione in Ro-
manâ Ecclesiâ ad locum suum redeunte, similiter
& alij apud nos redierunt. Et exindè retenta est
Translatio Sancti Benedicti.* Hæc ille. Vbi nota
verbum illud, *exindè*, quasi dicat: ex reditu
Fefli Sancti Benedicti ad locum suum de mense
Martio, ortum est, ac retentum Feflum Tran-
slationis eiusdem mense Iulio: ita vt duo Fefla
eiusdem Sancti ex tunc cœperint celebrari, vnum
mense Martio, cum Ecclesiâ Vniuersali, alterum
mense Iulio, à quibusdam Ecclesiis, ob deuotio-
nem tanti Patris: illud vocabant Feflum Transi-
tus, istud verò Translationis. Sicut & in Hispa-
niâ Feflum Annuntiationis, cum Ecclesiâ Vni-
uersali, celebratur die vigesimâ quintâ Martij,
atque sub nomine Expectationis B. Virginis Ma-
riæ, celebratur rursus die decimâ octauâ mensis
Decembris.

Probat præterea, quòd Ecclesia Mediola-
nensis celebret quinto Idus Iulij Transitum S.
Benedicti ex officio, quod eo die in prædictâ
Ecclesiâ recitatur, in quo nihil penitus de Tran-
slatione, sicut nec in Calendario, aut titulo of-
ficij ita prænotatur; sed tantum solemnitas S. Be-
nedicti. Ad Matutinum autem iuxta ritum reci-
tandi Officium ex præscripto Breuiarij Ambrosia-

ni, sequentem Lectionem, quæ est in ordine
tertia, de B. Benedicto legunt.

*Benedictus Nursia nobili Familia natus, Romæ
Liberalibus Artibus eruditus, Pietatis studio fla-
grans, rebus huius seculi contemptis, ad Lacum
Sublacum profectus, in speluncam altissimam se ab-
didit: vbi vni solum Monacho, cuius operâ ad vi-
ta necessitatem utebatur, notus, triennio religiosè
vixit, superatis diaboli insidiis. Fama eius Sancti-
tatis cum in omnes partes erupisset, inuitus Mona-
sterio, quod propè aberat, ab illius Monachis præ-
ficitur: quorum & obiurgatâ vinendi licentia, &
cognita conspiratione, maluit in solitudinem se re-
cipere, quam cum illis diutius esse. At verò cum
magnus numerus discipulorum ad eum quotidie con-
ueniret, Monasteria duodecim edificauit, sanctifi-
que institutis communis. Postea Cassinum migra-
uit: vbi indies magis diuina gratia auctus, cum
multa prophetico spiritu ventura prædixit, tum plu-
ra Miracula edidit. Scripsit autem luculenter,
sanctèque Regulam Monachorum: quam à Sancto
Gregorio I. Pontifice laudatam, & seruata, omnes
Occidentales Monachi amplexi sunt. Omni igitur
meritorum Laude clarus, demum ad præmium abiit
in Cælum.*

Lectione hæc desumpta est ex Breuiario Ambro-
siano, à Petro Galefino, Prothonotario Aposto-
lico. De mandato beatæ memoriæ Cardinalis S.
Caroli Borromei, Mediolanensis Archiepiscopi,
restaurato, impressoque anno millesimo quingen-
tesimo nonagesimo quarto. Vbi, vt apparet, ni-
hil penitus de Sancti Benedicti Translatione; sed
tantum de eius felici Transitu, quo migravit in
Cælum, agitur.

Simile quid accidit alijs Ecclesijs, ac Mediola-
nensi, sicut de Vallisoletanâ testatur Matthæus
Lauretus, part. 2. c. 7. allegans etiam testes eius-
dem Congregationis Monachos; verba eius sunt:
*Antiquum est in præfata Congregatione Feflum
Translationis Sancti Benedicti, quinto Idus Iulij
celebrare; sed recens, ac nouum in officio eius diei,
aliquid de Translatione Corporis eiusdem Sancti
Patris recitare. In antiquioribus namque eiusdem
Congregationis Breuiarijs, ita ordinatur officium,
eo die recitandum, vt nulla de Translatione San-
cti Patris nostri fiat mentio; sed omnia dicantur
sicut in die Natalis, seu Transitus eiusdem, excep-
tis oratione, quæ erat: Intercessio nos, quæ sumus Do-
mine: & Lectionibus primi, & secundi Nocturni,
quæ quamuis non essent eadem cum Lectionibus al-
terius Fefli; tamen ex secundo Libro Dialogorum
Beati Gregorij erant desumpta. Maiores enim no-
stri (sicut ego pluries ab eisdem ipsis audini) cen-
sebant, Feflum illud non esse Translationis Corpo-
ris Sancti Patris Benedicti, sed Translationis Fefli
Natalis eiusdem: quod vt plenius, atque festinius,
& cum Octauis celebrari posset, in diem iam
pridem fuerat translatum.*

S. V.

Confusio, & varietas circa Translationem Sancti Benedicti.

DEniquè, tanta est æquiocatio, tanta
confusio, & instabilis varietas in hoc
Feflo Translationis, & ipsa Translatione
vt exindè nullum argumentum sumi queat

ad alias Festiuitates : etenim de nomine Translationis in solâ Congregatione Vallisoletanâ, quidam putarunt celebrari Translationem Festi, non Corporis, vt nuper diximus. Postea verò anno 1598. impressum fuit quoddam huius Congregationis Breuiarium Salmanticæ, in quo appositæ fuerunt Lectiones de Translatione sancti Patris Benedicti : ex quibus constat, prædictos Patres ignorare, quam celebrarent Translationem: fatentur enim duas Translationes fuisse Corporis sancti ; primam ad Floriacense Monasterium, secundam ad Cassinense. Vnde dicunt in Lectionibus eius Festi : *Celebramus ergo hodie, Translationem illam quâ propter euersionem Monasterij Cassinensis, Corpus Beati Benedicti est ad Floriacense cum signis, & prodigijs pro ratione illorum temporum, Domino disponente, deportatum : vel certè Translationem posteriorem, qua proprio Cassinensi Sepulchro beata illa ossa sunt red-dita.*

Postea ann. 1598. edito nouo Breuiario, sine vllâ

dubitatione exponitur celebrari prima Translatio.


Circa ipsam Historiam Translationis, tanta confusio est, vt Cardinalis Baronius Tom. Anal. 8. ad annum Christi sexcentissimum sexagesimum quartum, de eâ ista pronuntiauerit: *Sciendum est, inquit, quod Aygulphi Acta docent, quibus & alij complures Scriptores adstipulantur, ipsum missum à Mummolo Abbate Floriacensi, Cassinum, ad auferendas inde Sacras Reliquias sancti Benedicti Abbatis. Addunt alij, & Scholastica Sororis eius à Cenomannis, vel Aurelianensibus fuisse sublatas. Id cum plerique tradant, haud consentiunt tempore, cum alij ad Martini Pape Pontificatum, alij ad Deodati tempora referant. At alij sunt innumeri, qui contradicunt : adeò, vt etiam Diplomata asserant Romanorum Pontificum, id testantia ; cuius probationis genere, nec caret pars aduersa. Sed refugit animus tam densum Controuersia huius spinetum adire : quod horret vel è longè spectare. Haftenus ille. Nec nostra speculatio vltra progredi debet.*





IOANNIS EVSEBII
 NIEREMBERGII,
 E SOCIETATE IESV.

DE
 CONCORDIA DEBITI PECCATI
 negati in Deipara cum gratia
 Redemptionis.



PROTHEMA.



D vestibulum huius operis, antequam illud aggrediar, siue ingrediar, supponendum velim sententiam, quæ negat B. Virgini participium in peccato Adami, siue necessitatem contrahendæ maculæ originalis, sed potius asserit caruisse debito illius, communissimam esse doctissimorum huius temporis, nec deesse illi patrocinium in antiquis Theologis, Sanctis Patribus, & Concilio Tridentino, & sacra Scriptura. eam amplectuntur Catharinus Tractat. de Conceptione Virginis, in prima Editione 1. part. cap. 1. pag. 10. §. Quartoigitur. In secunda Editione lib. 2. cap. 1. lib. de casu primi hominis, & peccato originali cap. 5. ad Roman. ad illa verba, *In quo omnes peccauerunt.* §. *nunquid autem.* pag. 5. Galatinus lib. 6. cap. 2. & 6. sed expressius cap. 10. Viguerius ad citata verba Pauli pag. 45. idque insinuat in suis institutionibus Theologicis cap. 18. §. 5. & 1. vbi ait Virginem mortuam, non in pœnam, sed ex conditione naturæ, Mayron 3. d. 3. q. 2. artic. 10 Sotus in illa verba ad Roman. 5. *in quo omnes peccauerunt.* Cansius lib. 2. de Deipara, cap. 6. Ludouicus Caruaralius in declamatione facta in Concilio Tridentino cap. 23. Iodocus lib. de puritate Conceptionis cap. 8. & 9. Mendez Dominicanus in Mariali. lib. 2. cap. 34. Ioannes Suarius concl. 23. Apocal. Granados de Conceptione, disp. 1. cap. 22. sect. 2. Perlinus integro volumine hac de re. Franciscus Turrianus in Epist. de peccato originali. Salmeron, in cap. 5. ad Roman. disp. 49. pag. 617. & pag. 619. col. 2. Angles in floribus 2. sententiarum, dist. 31. q. 5. de contractione peccati originalis, Appendic. 6. Loaysa in tract. de pura Concept. p. 3. Isambertus, in 3. part. q. 27. art. 1. & in 1. 2. q. 31. disput. 5. art. 1. vbi non solum hanc sententiam sequitur, sed nuncupat probabiliorem, sicut, & in 3. part. vocat nobiliorē, & conuenientiorē. Supponitque acceptam Doctoribus Parisiensibus, cum in

in eius Vniuersitatis gratiam illam quæstionem tractauerit: Franciscus à Cruce Dominicanus de purit. Concept. qui noua argumentatione hoc probat. Lezana in lib. Apolog. pro immaculata Virginis Conceptione, cap. 32. Salazar. cap. 41. Luzero tract. hæc de re, Fernandez in Genes. cap. 9. sect. 8. num. 1. Siluester Saauedra lib. de peccato originali, & de Deipara. vestig. 3. disput. 19. Ludouicus à Ponte, lib. 7 in Cant. exhort. 20. §. 3. Nouarin in vmbra Virgineâ, lib. 8. excursu 18. Alderete, tomo de Incarnat. Cui omnino adhæret Andreas Pintus tomo de Concept. in examine textus S. Thomæ ad quæst. 29. 3. partis. Ioannes Prudentius in 3. part. S. Thomæ tomo 1. Petrus Hurt. de incarnat. d. 13. sect. 4. Ambrosius Peñalosa toto opere de vindiciis, Ioannes Antonius Velasquez, lib. 3. dissert. 3. annot. 3. Vega in Theologia, part 5. Arriaga in 3. part. disp. 16. Antonius Escouar in Euang. tomo 3. lib. 4. obseruat. 7. Martinus Martinez, lib. 3. Hypotyposeon. cap. 3. pag 460. Estella in cap. 3. Lucæ. pag 184. qui omnes expresse excipiunt Beatam Virginem à Regula generali Pauli, *Omnes in Adam peccauerunt*, Sherlogus 2. tomo in Cantica, cap. 1. num. 8. ad illud, *Equitatus meo*. sect. 1. pag. 350. Cornelius Mussus Antistes Bisontinus in Epistolam ad Romanos, ad illa verba *in quo omnes peccauerunt*. Episcopus Oña, libello de peccato originali, & de præseruatione Virginis. Valdiuia, tract. de Concept. art. 8. Aluarus Picannus de Palacios Hispalensis, tract. etiam de Conceptione punct. 1. Hieronymus Gueuara 2. tomo in Math. annot. sect. 12. §. 2. & sect. 16. §. 6. n. 135. Cardinalis Lugo de incarnat. disput. 7. sect. 3. Iosephus Spucces in paneg. in Cant. 3. num. 7. Ludouicius Cardinalis serm. Dom. 2. aduent. Martinus Conuelt. in theatro excel. tomo 2. confociat. 28. p. 2. Martinus Perez ab Vnana de incarnat. disp. 33. sect. 6. n. 4. & d. 14. sect. 4. num. 4. tum etiam d. 15. sect. 4. num. 4. Ioannes Merinerus tract. de Concept. p. 1. rat. 3. Petrus Posnaniensis, in 2. sentent. Scoti dist. 30. quæst. 1. disp. 2. qui singulariter ait: *Dici potest, quod cum Adamus habuerit notitiam Christi futuri, etiam eam habuerit eius Matris futurae, & quod non solum Deus sed etiam ipse Adam noluit talem Matrem comprehendere quantum ad contractionem peccati in illo pacto, quod pepigit Deus cum ipso*. Mox disput. 3. latè idem probat, & mentem Scoti, pro carentiâ debiti explanat. Augustinus Bernal. de incarnat. disp. 10. sect. 3. num. 30. Angelus Vulpes, tomo 3. p. 2. disp. 14. art. 2. Felix, tract. de peccatis, cap. 1. diffic. 5. num. 3. Castillo, disput. 3. quæst. 1. n. 25. Iosephus Olzina, tract. de Concept. disput. 2. cap. 3. vbi ait: *Quæ sententia in Hispania æque peruagatur ac liberans Dei genitricem à crimine originali, pro ipsa ferè nullum est argumentum, disputatione præterita conformatum, quod validissime non depugnet*. Caramuel in Hercule Logico positionum Metaphysicarum, thesi. 8. & 11. quibus accedere possunt Valentia tomo 2. dist. 6. quæst. 11. part. 2. Salas, tomo 2. in 1. 2. quæst. 81. tract. 13. disp. 11. sect. 5. & 11. Cosmas Magallanus in cap. 2. epist. 1. ad Timot. Basilus Legion. in lib. variarum relect. 3. Iustinian, 1. ad Timot. cap. 2. num. 6. Pro eadem sententiâ citantur ex antiquis Albertus Magnus, Scotus, Aureolus, Heruzus, Tudeschius, Nicolaus de Lusa & alij, quibus præluxit Goffridus Cardinalis, & subsequutus est Vigerius etiam Cardinalis.

Cui sententiæ satis apud multos est Patrocinium Concilij Tridentini, sess. 5. de peccato originali; vbi postquam Synodus decretum de peccato originali protulerat, subiungit, non esse suæ intentionis, eo decreto Virginem Deiparam comprehendere. In quo Decreto non solum sermo instituitur de peccato originali, vt à posteris contracto; sed etiam de eius debito; ideo bis retulit verba illa Apostoli: *In quo omnes peccauerunt*; quæ de debito, & peccato in Adamo intelliguntur, & quidem verbis illis vniuersam decreti diuini, & pacti doctrinam fundat Tridentinum; atque aded Concilij mens fuit, non comprehendere Virginem Deiparam, neque in peccato Adami, neque ipsius debito. Verba enim Concilij sic se habent: *Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, &c.* Ergo sub illis noluit B. Virginem cohiberi: ergo noluit comprehendere illam, neque in peccato Adami, neque ipsius debito. Quod ex eo patet, quia si illis verbis comprehenderet Deiparam, profectò iam peccatum Adæ ipsi Deiparæ nocuisset, nam & peccasset in Adamo, & hic transfudisset in B. Virginem debitum contrahendi peccatum: quod rursus ampliùs confirmabitur.

Vnde quidam Doctor disputans aduersùs Ægidium Lusitanum, qui contrariæ opinionis voluit esse Antesignanus, sic ait: *Ægidius sua proterua iniuriam facit Concilio Tridentino, quod summa prudentia asseruit, non esse suæ intentionis includere in hoc decreto de peccato originali Virginem purissimam; quod nulla ratione assereres, si existimarent Patres*

de Fide esse illam Regulam nullam habere exceptionem: ergo dum declarant suae intentionis non esse, Sacram Deiparam includi in generali decreto, satis clare iudicant, illam Catholicam Pauli Doctrinam uniuersaliter constare, etiamsi excipiat, ut iure optimo excipitur sacra Virgo MARIA. Probandum ergo erat Aegidio, de Fide esse illam Regulam nullam habere exceptionem. Benè hæc dicta, & meliùs si abstinuisset dictorio, criminatus proteruix Aegidium; quo nomine poterat abstinuisse, ne hominem doctissimum offenderet aliis quam scholasticis argumentorum armis.

Non igitur sum veritus hanc pro denegato Virginis debito nobilium Auctorum assertionem producere, cum tot sint numero, ut mirer à nonnullis iudicari non oportere illam asserere, cum obstat negotio præcipuo decidendæ immaculatæ Conceptionis. Miror, inquam, quoniam iudicium Theologicum non debet esse eum secundâ intentione, ne hoc, vel illud accidat; sed cum simplice respectu, & collimatione ad veritatem tantummodò. Debet enim intendere ad substantiam veri, non ad circumstantiam vtilis. Aliud est silere, aliud pronuntiare contra quam iudicatur: aliud aliquando opportunum erit, hoc nunquam. Quare, qui de debito B. Virginis tractant, non erit cur illud non negent, ob respectum non diminuendi promotionem declarandæ Virginis immaculatè conceptæ, si Doctor Theologus ex vi sufficientium fundamentorum censeat caruisse debito. Verùm nescio ego, quid causæ sit, cur obstitit immaculatæ Conceptioni definiendæ alia gloria Virginis, à quâ non dependet causa Conceptionis, cum sine negatione debiti potuerit Deipara esse immaculatè concepta. Neque Ecclesia vllò modo inuidet gloriæ Matris Dei, abstinens se à declarandâ Puritate suæ Conceptionis, ob assertionem alterius gloriæ eiusdem Virginis, nixam in multitudine Auctorum; & non sine rationum fundamento, cum eam non affirmant prædicti Auctores, ut Conceptio definiatur, cum necessaria ad hoc non sit; sed quia veram sentiunt, & gloriosam Christo, & Matri eius. Sunt tamen qui affectant theologizare per rigorem censuræ, & seueritatem opinandi in rebus piis. Verùm neque in rigore censuræ, neque in affectu pietatis, stat Theologicum acumen; sed in veritati purâ, & inflexibili vestigatione, quæ aliquando dictabit rigorem, aliquando pietatem; neutrum tamen affectabit: & credo non ad eò affectant; sed connectunt utrumque, negantes debitum in Deiparâ; rationem sequuti, & pietatem amplexati. Nescio etiam, quo iure retardaretur immaculatæ Conceptionis declaratio, ob negationem debiti, & non acceleretur ob affirmantes peccatum in Virgine, qui effectum Litterarum Apostolicarum, prout dixit Alexander VI. in Motu proprio, qui incipit, *Illius qui;* (sic olim loquutus: *Quid hodie dixisset*) *Forſan ignorantes aut illas temerariis ausibus contemnentes, in sermonibus, & prædicationibus ad Populum, & alias publicè per diuersas Ciuitates, & terras varias opiniones, circa contenta in ipsis eisdem Litteris, contra earum tenorem in medium proponere, & quidam vnum; alij verò reliquum affirmare non erubescant: ex quibus in populo varia opiniones imprimuntur, & scandala non modica generantur.*

Miror etiam ab erudito Doctore excusari negantes debitum quoniam id fecerint ob nimium ardorem in defendendâ Puritate Dei Genitricis Originariâ, quasi flectentes in contrariam partem ramum incuruum; nimirum inquit: Quibus sic Philosophari visum est, non secus se gesserunt, ac nonnulli Patres, qui studio extremi alicuius erroris declinandi, ad eò sunt ab illo auersi, ut in contrarium extremum propendere sint visi. Dionysius Alexandrinus Sabellij impugnator præferuidus, dum paulò fortius infigit ictum, insimulatus est à Sancto Augustino quòd fuisset *fons Ariomaciae*. E contrario Gregorius Neocæsariensis, visus est parasse Sabellio venenum, dum nimis acriter insectatur Polytheismum; ut notauit Sanctus Basilius. Chrystomo dum nauiter laborat pro libertate, impactum est, quod gratiam præuenientem sustulisse videretur. Augustino autem dum pro gratiâ sollicitissimè agit, ab aliquibus ad pauca attendentibus, minor cautio circa iura libertatis est attributa, ut Sanctus Thomas agens contra Græcos annotauit. Contigit his omnibus, quod plantatori, qui recentis plantæ auersionem correcturus interdum paulò immoderatiùs illam contorquet, ad eò ut à medio aberraret, & in contrarium latus ramum abducat. Comparatio est sancti Basilij, impositum B. Dionysio Alexandrino probrum depellentis. Id ipsum ergo contigisse arbitror, iis qui originalis peccati debitum

renuunt in Virgine agnoscere. Dum enim toti sunt in expugnatione sententiæ non piæ, quæ venenum peccati originalis Virginis affricat, in alterum extremum inclinarunt, etiam peccati illius debitum, renuentes admittere. Hactenus ille.

Verum fallitur hic Doctor, quoniam Auctores negati debiti, nequaquam illud negant, ut Conceptionem immaculatam probent: nam dicunt non esse ad hoc necessarium; sed ut alterum Virgineæ Puritatis gradum, grandiusque privilegium commendent, nec obiter de illo loquuntur, nec illatiuè utcumque; sed ex instituto disputant, & affirmant tanquam distinctam quæstionem, non quidem inflectentes in contrariam partem; sed in directum producentes nouam veritatem Gloriæ Marianæ, quod passim accidit in Theologiâ. Sic in disputatione de necessitate Gratiæ, ad actus supernaturales producant insignes Theologi eandem necessitatem, ad actus merè morales, & naturales virtutis, atque ex Puritate Virginali in Conceptione Verbi protrahunt illam ad virginitatem in ipso Partu, & post Partum. Quod de fide est. Quare non deflectio, sed directio veritatis fuit.

§. I.

*Minus decorum in B. Virgine
debitum peccati.*

NEc mirum si post Concilium Tridentinum, & obseruatum redemptæ Virginis modum, honorificentissimum quidem Christo Domino, exaltantem Redemptionem eius intensiuè, & extensiuè in Deiparâ, confluant iam penè omnes Doctores negando Matri Dei debitum peccati, cum id videatur quoddam maculæ genus. A quibusdam enim seruitus appellatur, & meritò. Si enim Paulus ad Roman. 8. subiectionem illam, quâ homo morti naturali subiaceret, seruitutem corruptionis appellat, meliori ratione dicenda erit obligatio illa, quâ morti animæ homo, & primæ culpæ Adæ subiicitur. Captiuitas ab aliis rectè nuncupatur. Si enim propensio ad peccatum à Paulo ad Roman. 7. captiuitatis nomen fert; cum tamen illa propensio, seu fomes peccati, solum ad materiam, non ad formale peccati impellat, & adigat: ergo aptius debitum illud, seu obligatio ad contrahendam originariam culpam, quæ cogit, & inducit necessariò ad formale peccatum contrahendum, captiuitatis nomine donabitur. Aptè in hanc rem memorari potest dictum illud Petri Gregorij Iurisconsulti, in Syntagmat. Iuris vniuersi lib. 4. cap. 1. *Quidquid seruitutem aliquam patitur, non potest esse nobile, nobilitas enim aut in libertate consistit, aut fundatur.* Rursus huius debiti turpitudine ex obiecto perspicuè dignoscitur: non solum enim ex peccato prouenit; sed etiam ad peccatum tendit, & cogit. At omnis relatio, speciem ac naturam desumit ex termino, quem respicit; hæc autem obligatio, siue debitum peccati originalis, cum situm sit in morali quodam respectu, quoad peccatum refertur, illudque tanquam terminum respiciat, profecto illius naturam redolet: & licet peccatum non sit; peccatum tamen sapit. Videndum igitur utrùm huic seruituti, & captiuitati, ac maleolentiæ peccati, tantam Virginem adiciere, ac deuouere fas sit? Iniquum enim arbitratur Aristoteles in Problematis sect. 29. quæst. 13. liberum asseruisse eum, qui seruus est; longè tamen iniquius seruum sanxisse eum, qui liber est. Præcipuè cum dicat Albertus Magnus, Tractat. de Lau-

dibus beatæ Virginis: *Hoc dicimus quia Beata Virgo secundum omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuit nobilissima, & dignissima in summo.* Profecto si Deiparæ hoc debitum appingatur, multum eius Libertas, ac Nobilitas imminueretur, ac extenuaretur, cum illud seruitutem quamdam inuehat: adeoque non esset Nobilis, & Libera in summo, ut volebat Albertus. Hæc notant aliqui Doctores.

Alij verò dicunt, homines in Adamo peccasse, & debitum ad originale contrahendum ex primo peccato habuisse, necessariò secum afferte inchoatam captiuitatem, & seruitutem; ac proinde inchoatam Dei inimicitiam, & odium necessitate tantâ, ut hæc captiuitate inchoatâ, & seruitute, hoc est, nota eius, nullus liberari possit etiam DEI Potentiâ absolutâ, si semel in Adamo peccauit: quæ proculdubio ingens est infelicitas, & in hoc puncto maxime consideranda. Potest enim Deus eximere aliquem à lege, & pacto cum Adamo inito; potest à peccato quocumque suâ Gratiâ liberare, & eripere; potest etiam à proximâ necessitate contrahendi peccatum Originale, in aliquorum sententiâ; si in primo instanti Conceptionis gratiam infundat; potest etiam à debito illo remoto, seu necessitate illâ hominem liberare, quam contrahit, dum fœtus incipit formari, si aliquam corpoream sanctitatem infundat, quâ purificet carnem; at non potest illâ ratione à necessitate primâ liberare; ita ut illa nunquam fuerit, tamen possit remittere etiam infusâ præstantissimâ Gratiâ: nam etiam si ut potest remittat peccatum nostrum, ut fuimus in primo Parente, nullo modo potest efficere, quod illo peccante, non fuerimus miseri, captiui, inimici, rebelles; ut de se est manifestum. Deus autem efficere non potest, semel peccante Adamo, ut capite morali, quod nos in illo non peccauerimus. Inde infertur ex illo peccato seruitus, & captiuitas illa inchoata rebellio ad Deum, inimicitia aduersus numen supremum, & Dei odium aduersum homines propter violatam legem, & transgressionem præcepti, quam exaggerat multis Ægidius.

Nec omittenda sunt, quæ quidam pius, & eruditus Auctor considerauit. Mirum planè piæ sententiæ studiosos reperiri, qui defendant ad Virginis ampliorem iustitiam, & decorem nihil conferre, quod asseratur in Adamo

non peccasse. Annon stigmaticum, & probrosum, Deo perduelle caput habuisse? Annon à VIRGINE DEI MATRE oporteat non solum calumnia sed & omnino auertere timorem excidendi? Annon nescio quid notula tantæ Puritati DEI-Genitricis inferatur ex Debito? Audi Matthæum: *Iosias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis.* An Iosias transmigravit? Lyra respondet: *Iosias genuit Iechoniam, & fratres eius in transmigratione Babylonis, non quia adhuc esset transmigrationis, quando geniti sunt; sed quia imminerebat.* Imò licet immineret ei transmigrationis, nunquam de facto transmigrasse Iosiam, affirmat Strabus: *Iosias vir iustus, quod non filij eius, quos genuit, non in transmigratione, quia nunquam transmigravit, sed secundum predestinationem Dei ad transmigrandum.* Cur igitur Iosias absolute dicitur filios in transmigratione genuisse, si nunquam transmigraverit? Certè illud ipsum obnoxium fuisse transmigrationi imminente, quasi transmigrasse fuit. Vnde à Matthæo captivus, & servus habetur, qui sub ingruentiâ, ac captivitatibus comminatione fuit. Nunquam, nunquam MARIÆ Dominæ Generatio sub Adami captivitate fuit ex illo debito, quia iustus Iosias captivus appellatur; non quia verè servituti subiacuit; sed quia sub dependentiâ, seu debito captivitatis fuit, quamvis ab illa præservaretur, eamque de facto non incurreret. Hactenus Ille.

Alias alij considerationes addunt, & quidem aliqua dignum est quod cuiuscumque iustæ ignominie nota, seu macula non potest perfecte, & penitus deleri. Idè Imperatores Valentianus, Valens, & Gratianus scripserunt ad Senatum. *Indulgentia, Patres conscripti, quos liberat, notat; nec infamiam criminis tollit, sed pœna gratiam facit.* Dat. 14. Kal. Junij. Treneris. Gratiano A. 2. & Probo Coss. 371. Quod extat in L. 3. C. de Generali Abolit. Vnde apud Romanos libertis, & libertinis perseverabat nota aliqua pristina, aut paternæ servitutis; ut tradit Petrus Gregorius lib. 11. syntagmat. I. iuris Vniuersi, c. 1. ex Martiano Imperatore, L. & servorum, de statu hominum, lib. 1. tit. 5. *Libertis nota, & macula quedam manet inter ingenuos, utpotè ob receptum beneficium illis à quibus acceperint, nempe patronis, & eorum successoribus valde demeritis.* Deus enim efficere non potest, ut qui servus fuit peccati, illius servus non extiterit. Quod satis colligitur ex Diuo Thomâ 1. part. quæst. 25. art. 3. & 4. Quapropter Claudius Cæsar rogatus, ut cuiusdam absolueret ab infamiâ, quam propter delictum contraxerat perpetratum. Respondit, se ut Principem illum infamiâ liberare; beneficium tamen illud nihil prodesse, ut infamis nunquam fuisset; nullâ enim potestate fieri poterat, ut infamiam non contraxisset; ut narrat Suetonius in illius vitâ. Quare ad perfectam libertatem, & nobilitatem Deiparæ spectabat nec notatam in patre Adamo, nec ab eo factam dæmonis mancipium.

Aptè igitur Albertus Magnus in Mariali, cum asseruisset nobilitatem attendi in conditionis libertate, in officij dignitate, & vitæ sanctitate; & addidisset libertatem conditionis consistere in causâ, hæc asserit: *secundum libertatem in causâ, id est, in origine, Beatissima Virgo fuit nobilissima, utpotè Principis Filia.* Ad quod probandum adducit illud Cantorum: *Quam pulchri sunt gressus tui in calcamentis, Filia Principis, seu ut habent Hebræa, Filia liberi, aut liberalis, & con-*

cludit. *Et sic fuit liberrima in causâ.* Sentit ergo Albertus VIRGINEM Nobilissimam extitisse in suâ causâ, scilicet, in Adamo, qui Princeps liber non fuit, nec liberalis; sed primus servus peccati, qui patrimonium sanctitatis, & Gratiæ, ne contristaret delicias suas, temerè prodigit; & tandem Albertus ait quod supra notatur, *VIRGO secundum omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuit nobilissima, & dignissima in summo.* Quomodo verò in summo nobilissima esset, si in Adamo peccati & dæmonis esset ancilla, perpetuamque eius servitutis cicatricem servaret?

Multa præterea circa hanc Materiam possent expendi ex Rescripto sancti Gregorij Magni ad Rufum, & alios Episcopos, Epist. 22. cap. 3. quod refertur 1. q. 1. cap. 18. verba eius sunt. *Ventum est ad tertiam Questionem, quæ pro sui difficultate longiorem exigit disputationem. Cum nos dicamus ab Hæreticis ordinatos, vulneratum per illam manus impositionem habere caput; ubi vulnus infixum est, medicina est adhibenda, quæ possit recipere sanitatem. Quæ sanitas post vulnus secuta sine cicatrice esse non poterit, atque ubi pœnitentia remedium necessarium est, illic ordinationis honorem locum habere non posse decernimus. Nam si ut legitur, quod tetigerit immundus immundum erit, quomodo ei tribuetur, quod munditia, ac puritas consuevit accipere; sed è contrario asseritur, eum, qui honorem amisit, honorem dare non posse, nec illum aliquid accepisse; quia nihil in dante erat, quod ille possit accipere. Acquiescimus, & verum est certè, quia quod non habuit, dare non potuit. Damnationem vtrique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit, & qui particeps effectus est damnato, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum.* Et tandem ait: *Nostræ lex Ecclesia est, venientibus ab Hæreticis, qui tamen illi baptizati sunt; per manus impositionem laicam tantum tribuere communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare.* Hæc perpendere ad nostrum institutum poterant pij, & docti.

Tum etiam negari non potest beneficium haud exiguum, & gratiam singularissimam esse DEIPARÆ, quod in Adam non peccaret, quandoquidem omnes peccauerimus. Cum igitur omnes Iustus Dominus iustitias in Matre, seu Iustitiæ, Sanctitatisque superabundantiâ dilexerit. Si Gratia huiusmodi à debito illo præservatio est, quomammodò à Gratiâ Plena poterat exulare? Dominæ ergo absolute MARIÆ fuit nullius unquam captivitatibus aut periculo, aut timori obnoxia. Idè S. Athanasius dixit serm. de MARIÆ tom. 3. *Decet Te Matrem, Regeneratricem, Dominam, atque Heram cognominari, eo quod ex Te prodiit Rex Dominus ac Deus Noster. Quæ de causa factum est, ut Gratia Plena appellata sis, utpotè Quæ omni Gratia abundares.* Nec omni Gratiâ prædita videretur, si ab illo originalis culpæ debito non fuisset libera. Quapropter Chrysologus serm. 144. dixit: *Merito VIRGINI salva sunt omnia, Quæ omnium genuit Salvatorem.* Omnia quidem salva, quia à proximo Originalis labis debito fuit libera. Vnde S. Anselmus de Concept. c. 18. ait: *Decibat, ut illius Hominis Conceptio de MATRE Purissima fieret: nempe decens erat, ut ea Puritate niteret Virgo illa, quæ maior sub Deo nequit intelligi.* Maiorem ergo Puritatem excogitarem, si Virgo in Adamo deliquisset.

In Nostro Opusculo de obiecto Festi Conceptionis c. 30. plures exhibuimus Patres, & Rationes,

tiones, quibus eximitur sanctiss. Deipara à Debito, atque alij Auctores alias referunt.

§. II.

Argumenta alia pro carentia, Debiti

Instabimus nihilominus in huius Placiti comprobatione. Illud argumentum, quo vicit, & conuicit Scotus Doctores Parisienses, in fauorem negati in **MARIA** peccati originalis, similiter probat negatione debiti eius. Argumentum hoc fuit. *Debet & non repugnat, ergo est*: Quod genus argumentationis, dum agitur de Beata Virgine, efficacissimum probat Ioannes Caramuel in Marianis positionibus dicens: Adam habuit omnium scientiarum cognitionem infusam; ergo etiam Deipara. Salomon cum dormiebat philosophabatur; ergo etiam **MARIA**, cum dormire videbatur, vacabat philosophiæ diuinæ. Talis aut Talis habuit vsum rationis, primo suæ creationis instanti: Ergo & Angelorum Regina. Hæc est dialectica securissima, & efficacissima, quæ vltus est S. Augustinus tom. 6. lib. 3. contra Maximinum, Arianorum Episcopum, cap. 7. sic inquit: *Quid magnum est, quia non subtraxit quod dare potuit, non dando subtraxit. Vbi est, quod Deum inuidum non esse dixisti? An forte dare non potuit: ubi est Omnipotentia Dei Patris? Prorsus ad hunc articulum res colligitur, ut Deus Pater aequalem sibi gignere Filium, aut non potuerit, aut noluerit. Si non potuit infirmus: si noluit inuidus inuenitur. Sed virumque hoc falsum est. Patri ergo Dei Filius verus aequalis est.* Quoad B. Virginem eodem argumento vtuntur plurimi Doctores, & inter illos vberius, & frequentius S. Bernardinus Senens. serm. 61. de B. Virgine Maria. cap. 1. Viguerius institut. cap. 5. §. 3. Caietanus quæst. 27. art. 3. Suarius. disp. 4. sect. 7. Vasquez. disput. 119. cap. 3. & tandem Conradus Calmelet. qui in philosophia Deiparæ, thesi IX. sic inquit. Adam potuit, Salomon potuit, Sancta Catharina potuit. Considera illud ergo Vnde nascatur, quia nimirum est mater Dei, & ex hoc, illud fundamentum oritur; scilicet non est denegandum B. Virgini priuilegium, quod aliis sanctis concessum fuit. Cumque Angeli boni hanc habeant excellentiam, vt omni proflus cum peccato affinitatem non habuerint, carentes non solum peccato actuali, sed originali, & etiam debito eiusdem. Decebat in hac gloria matrem Dei non superari ab aliis creaturis. Recte Propterea Idiota. part. 2. Contemplat. 3. dixit: *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum. Non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia, aut humilitas Virginum. In summa nullo genere vacasti virtutum, Virgo plus quam beata. Quodcumque donum alicui sanctorum unquam datum fuit, non fuit negatum Tibi; sed omnium sanctorum priuilegia omnia habes in te congesta Nemo equalis est Tibi, nemo maior te nisi Deus.* Caterum non repugnantiam postea latè, & sæpe demonstrabimus.

Idem confirmatur ex Augustino. Cum docuit propter honorem Domini non esse intelligendam Matrem Dei, cum de peccatis agitur, ne scilicet minori gloria coruscaret, quam Angelici spiritus,

quibus nulla fuit peccati affinitas, & multo minus necessitas, & hoc propter honorem Domini sui filij. Valdè enim notanda sunt hæc verba Augustini & immensum indicant. Atque iam agitur, de peccatis cum de debito peccati agitur Consonat huic Augustini testimonio, quod additissimus Deiparæ Cardinalis Berullius dixit in discursu. de B. Virginis. *Virgo Deipara non comprehenditur in his controuersis, quibus agitur de peccato, nec in iis quidem quibus ferè, ac generaliter de gratia, nisi nominatim exprimat, ut pote que quasi infinite supra communem, ordinariamque gratiam eleuata fuerit.* Alia testimonia eiusdem Sancti Augustini postea dabimus recitata in officio Ecclesiastico Sixti IV.

Idem supponens S. Ioann. Damasc. in Mæneis die 12. Augusti, inquit: *Equidem videbaris & Virgo esse filia Adami collapsi: at reuera eras tu ipsa genitrix Dei, eundem restituentis integrum.* Vbi ex eo quod B. Virgo sit vera Mater Dei asserit reuera non fuisse filiam Adami collapsi, hoc est *Vi collapsi*, quia nimirum non fuit in pacto eius conclusa, nec peccauit in illo.

Eodem modo & sensu, S. Germanus Constantinopolitanus ait fragment. 13. extatque in Mæneis Græcis. *In visceribus S. Annæ. concipitur Maria Dei filia.* Quia nimirum non fuit filia Adami vt collapsi, sed cauit debito communis culpæ, Quod alibi vocauit, Sanctus Germanus affinitatem culpæ. Quapropter in sermone de Fasciis quem refert Surius in die 31. mensis Augusti, Beatissimam. *Virginem puritate omnibus antecellentem nulli penitus culpa affinem* appellat.

Quis non etiam agnosceret, in idem conspirasse Sanctum Anselmum in illa decantata sententia; decere Matrem Dei illam puritatem habere, quæ maior sub Deo excogitari nequeat? Quare & debito culpæ decuit carere, quo Angeli caruerunt. Quod licet supra tetigimus, postea iterum, amplius expendemus; quippe maiore recessu à culpa maior puritas clarescit.

Accedunt etiam multi Patres, qui pronuntiant Deiparam puriorem, quam Seraphim, & Cherubim, quod non esset cum debito peccati propter quod magis accederet ad peccatum, quam Angeli sancti. Hæc excellentia supra purissimos Angelos latis indicatur in libris & officiis ecclesiasticis. Nam præter liturgias S. Iacobi, & S. Chryostomi & in Cathemerino Græcorum; laudatur & recitatur in officio Sixtiano hoc S. Hilarij testimonium lectione quarta contentum: *Virgo Benedicta super omnes feminas que Angelos vincit puritate, quæ omnes sanctos superas pietate.* Ioannes Euchaita in Mæneis 30. Ian. oct. 5. Canonis tertij. *Immortalem, inquit, naturam immaculatissimam sanctitate mortalis præcurrens superauit, dum puella tenera, carne liberos Angelos nitoris intaminatissimi laude post se reliquit.* Quæ quis non videt vera esse non posse, si Maria ex ortu in culpa aut debito iacuit; cum Angeli creati sint in gratia? Sancto etiam Romano Diacono tribuitur sententia in Mæneis quæ Mariam agnoscit Angelos puritate transcendisse. Idiota quoque ait p. 2. contemplat. 3. *non defuit tibi puritas Angelorum.* Theodoretus, siue potius Pfellus in Cantic. 6. *Puritate Cherubim, & Seraphim antecellit.*

Idem supponere videtur Sanctus Sabbas in Mæneis die. 3. Ianuarij, ode 7. de sancta Synlectica; sic gratulatur Mariæ: *in te Primi Parentis substitit*

substitit lapsus. Significat non extensum lapsum Adami, ut comprehenderet Virginem, cum in ipso non peccauerit, nec eam attigisse damnum aliquod culpæ communis: sanctus Theodorus Neos orat. de Natiuit. Virginis idem, videtur indicare dicens, *Aue codex nouus, quem nulla prorsus attingit corruptio. Aue Aurum mundum spiritus igne probatum in rita fornace, nullamque habens nequitia labem. Aue lignum impuribile, quæ ad peccandum prona corruptionis vermem non admisisti. Aue illibata omni reprehensione sublimior,* Plane si haberet debitum esset lignum putribile & corruptioni expositum, imò exigens illam. Eodem sensu sanctus Amphilochius orat. 4. supponens, non minori puritate fuisse creatam Deiparam quàm Euam: *Qui enim antiquam illam Virginem sine probro condidit, & ipse secundam sine nota & crimine fabricatus est.* Eua autem caruit debito culpæ, quare, & eodem probro debuit carere, Beata Virgo.

Egregiè quidem sapiens Idiota p. 2. contemplat. 3. de B. Virgine vocauit illam *præbenedictam, combenedictam & postbenedictam.* Et in cõtèplatione parua ait c. 1. *ò Benedicta virgo Maria, Benedicta ante ortum, in ortu, & post ortum, ante saculum, in saculo, & post saculum.* Significans fuisse præbenedictam in præseruatione à debito peccati ante Conceptionem, combenedictam in præseruatione ab ipso peccato originali in Conceptione, post benedictam propter præseruationem ab actualibus, ut vndique fuerit B. Virgo circum munita diuinis benedictionibus; quod etiam supponunt varia officia Ecclesiastica, tum Ecclesiæ Græcæ tum Latinæ, quippe in officio Cõceptionis dixit. IV. comprobato etiam ab aliis Pontificibus, & Concilio Trident. in quadam lectione ait: *supra te ò Maria, Deus, & in te Deus, & iuxta te Deus, ut omnino nullis insidiis Diaboli violari possis.* Hic indicatur vndique à Deo cõsepta B. Maria, ne ad illam aditum haberet peccatum: Quare non habuit debitum, quod ianua, & necessitas est peccati originalis, & contrà; solum in Beata Virgine inuenit aditum, & viam filius Dei. In Euchologio Græcorum, sæpissimè vocatur B. Virgo *superbenedicta, siue, præbenedicta.* In officio supplicationis recentiori dicitur: *Vnde quaque sancta illibata super omnes Benedicta & in oratione cum vngitur infirmus oleo sacro, exaggerantissime appellatur Virgo, Panypereulogemena, ut ita nihil amplius significari posset, quasi diceret, super omnes eminentissimè Benedicta.*

Præclare hoc explicuit Nicolaus Cusanus S.R. E. Cardinalis tomo 2. operum illius, declarans illud Canticorum, *Sicut lilium inter spinas & c.* perspicuè nostram sententiam docens his verbis *Non indignit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam & posteros eius, ex voluptate carnis lata, cui nunquam subiicit, nec indignit liberatore à seruitute, in qua nunquam fuit. Præliberatore enim Virgo sancta habuit; caterè liberatorem, sola electa Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia deficere nequirit.*

Eandem sententiam supponunt Patres, qui in lege communi negant Virginem concludi, quia nimirum inclusa non fuit in pacto, vnde lex fuit orta. Sanctus Anselmus sermone de Conceptione, qui etiam recitatur in officio Cõceptionis approbato à Sixto IV. lectione. 1. quartæ diei sic habet: *Vas electionis cognominatus sanctus Paulus,*

omnes homines in Adam peccasse fatetur; vera vique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio; sed cum eminentiam gratia Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt ineffabili modo intueor, ita & te non lege nature aliorum, in tua Conceptione deuictam esse opinor.

Adfauet S. Augustinus in exposit. Symboli, & orat. Dominicæ: *conueniens, ait, erat ut lege peccati nostri, quæ per duorum concubitum, verificatur in prole, Dei Mater non reneretur obnoxia cui, ad stipulatur sanctus Ildephonsus lib. de Parturit. Et virginis. Deiparæ, vbi hæc habet: alioquin est quod legem nature requirunt in Maria vbi totum, quod in ea fuit possidet Spiritus sanctus.* Apparet idem supposuisse B. Laurentius Iustinianus tract. de casto connubio Verbi cap. 7. loquens de Protoplastis nostris, & Beata Virgine, sic inquit: *hæc est originalis pœna delicti, à qua nemo quamvis eximia polleat sanctitate liber extitit. Quotquot enim ipsa nati sunt propagine (exceptis dumtaxat mediatore Dei & hominum homine Christo Iesu, & ipsius Matre) sub hac peccati lege sunt conditi.*

Sanctus Cyprianus sermone de Natiuit. ait: *nec sustinebat iustitia ut illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* ac si diceret oportuisse voluntatem Deiparæ cum voluntate Adami non fuisse coniunctam aut colligatam, neque esse filiam ipsius quoad esse morale, sed euoad esse physicum; non ergo Beata virgo vnquam communicauit cum Adamo neque in lege peccati, neque crimine ab Adamo commisso. alias non communicaret solâ naturâ ut dicebat Cyprianus.

Quod plus mihi videtur, Ecclesia celebravit in officio Conceptionis commendato, & approbato à Sixto IV. Deiparam non includi in lege nature communi. Nam in responso primo lectionis, sic de B. Virgine, recitat: *Omnes moriemini quia in Adam peccastis; quid habes Ester eleuata in populis, ego sum frater tuus, noli metueri; non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Lex Affueri non comprehendit Reginam, nec Magnates, qui occiderunt tyrannum Smerdem, ut alibi notauit; quare, sicut Esther post comprehensam in lege non fuit exempta, sed ante legem latam, fuit exclusa ab obligatione illius, sic etiam B. Virgo ante legem peccati. Idem videtur sensisse Cardinalis Vigorius dum in suo Decachordo lib. 3. cap. 8. publicis monumentis consignauit, *sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam congruè filium suum nominare posse Iesum, & dicere illum Saluatorem suum, cum iste, dum hæc concepta est ab originali peccato seruauerit illam; pro humana igitur conditione corruisset, nisi Deus illam ruina, pro lege communi ei imminenti substraxisset.* His verbis notat legem peccati non comprehendisse Virginem, sed solum imminuisse: quod valde differens est; etenim si comprehenderetur in lege, no immineret ei, nec periculum habuisset comprehendendæ in illa, sed damnum comprehensæ. Similiter Cardinalis Nicolaus de Tudeschis in commentariis, primæ partis in 2. Decretalium librum de Feriis. conquestus his verbis expressit. *Credendum est Deum ab hac obligatione (contrahendi scilicet peccatum originale) absoluisse a principio B. Virginem, ex qua debebat carnem humanam assumere,*

& hæc opinio mihi placet tanquam pia, & satis rationabilis. Cum enim in ea non solum peccatum originale deleuerit, sed etiam omnem prauitatem, & concupiscentiam, adeo quod peccare non poterat, fortius credendum est quod à principio eam exemit ab illa obligatione originalis peccati. Hæc obligatio originalis peccati, quid aliud est, quam debitum illius à quo libera fuit beata Virgo? cumque, hoc dicat à principio: magis significat exemptionem à debito.

In eodem prædicto officio lectione 6. recitatur ex S. Bernardo, quod antea dixerant alij; præfertim beatus Petrus Damianus, serm. de assumptione. *Caro Virginis ex Adam sumpta, maculas Adæ non admisit.* Hic profecto excludendum est debitum peccati, quod dixit S. Thomas maculam originalis culpæ, 3. p. quæst. 17. art. 1. veniale tamen peccatum non reputauit maculam in anima, 12. p. q. 89. art. 1. Porro si fomes in Virgine ablegatur, quia macula censetur Adami, cum non sit necessitas peccati: quanto magis arcendum est ab illa debitum quod est macula & necessitas maioris maculæ, scilicet peccati. Magnum quidem argumentum carentiæ debiti in B. Virgine, est carentia fomitis, nam sicut debitum est causa, imò necessitas peccati originalis, fomes est effectus, & non tam indecens, nec tam vilis seruitus, quoniam non est necessitas peccati: ergo minus decet & idè plus auferendum esse à Deipara. Etenim ad honorem Dei spectat matrem suam esse liberam, non solum à culpa; sed affinitate culpæ, idcirco non solum caruit actuali culpa, sed concupiscentiis, & fomite peccati. Cum decessisset Virginem his affinitatibus actualis peccati caruisse; cur non etiam affinitate peccati originalis carere oportebat, cuius affinitas est debitum ipsius peccati, imò deteriore conditione? nam ex parte nostra connexionem necessariam habet debitum peccati cum peccato originali, quam non habent concupiscentiæ cum peccato actuali, at si hæc non decebant Dei matrem minus decebit illud. Tota igitur affinitas peccandi, expediebat à matre Dei auferri.

Prædictis accedere potest Gofridus Abbas coæuus sancti Bernardi qui serm. 3. dixit: *Christus de Virgine carnem in Virgine, non quidem de Adam peccatore, sed vnde Adam iustus, animam suscepit.* Vbi excluditur caro virginea ab iniuria iniusti Adami, & consequenter ab obligatione, & onere debiti, per præuarcationem sui peccati contracto, & in serm. 5. de resurrectione, ait: *Sicut enim carnem nostram, ita & animam nostram in B. & gloriosa Virgine MARIA suscepit: sed talem qualem habuit Adam ante peccatum, non qualem Adam peccando fecit, caro autem Adæ, & anima, imò tota species humana ante peccatum nullum habuit peccati debitum.*

Multa sunt in officio Sixtiano, quibus supponi videtur eximia puritas Virginis sine debito peccati: in quadam Antiphona secundarum vesperrarum dicitur. *Nihil est candoris, nihil est splendoris, nihil est numinis, quod non resplendeat in in Virgine gloriosa.* Aliquid autem candoris deesset si in illa desideraretur carentia debiti. Item in lectione prima, infra octauam. *Gladus puritatis, gladius innocentia, gladius Spiritus sancti procedens ex ore Dei, & agni profundè penetravit. Quia longè præuisam præseruauit.* Hæc præseruatio tam à longe, & profunditas tam penetrantis puritatis videtur non sine carentia debiti satis in Ioann. Euseb. Op. Parth.

telligi; aptissimèque intelligitur de præseruatione non solum à peccato; sed à debito eius. In alia lectione recitatur: *Si Ostium Paradisi, si porta per quam mundum intrare debeo, dignum profecto erit, ut compingamus illud tabulis cedrinis omni puritatis odore repletis; murus est igitur inexpugnabilis, ab insidiis, venenoque Diaboli, qui neque furentis iacula, neque eius venenosos timet affatus.* Hæc compactio, & præmunitio tabularum cedrinarum & inexpugnabilitas ab insidiis Diaboli, idoneè significat carentiam debiti, per quam inexpugnabilis facta est beatissima Virgo contra originalem culpam, & occlusa illi: Quare non habuit debitum, quod ianua, via & necessitas est peccati originalis; & contra, solum in beata Virgine inuenit aditum, & viam filius Dei, ut redempturus nos descenderet: iuxta illud Augustini recitatum in lectione 2. festi. Vbi dicitur: *Summa Dei sapientia nullam in massa humani generis inuenit viam per quam, ut disposuit, in mundum veniens eius subueniret luctuose perditioni, donec ad illam de qua loquimur Virginem ventum est.* In prima lectione dicitur: *Quidquid in MARIA gestum est totum puritas, totum veritas, totumque gratia fuit, & iterum: Ceteris præfatur gratia per partes. MARIA verò tota se infundit plenitudo.* Tum etiam: in lectione 4. ex S. Augustin. dicitur: *O Mater Domini; sicut in prima femina abundauit delictum, ita & in te superabundauit omnis plenitudo gratia, & ideo super omnes ignara delicti. Idem charitas fecisti, ut non solum MARIA non peccaret, sed neque peccatum cogitare posset, ut super cunctos reseruari ab omne labe peccati.* Considerandus quoque est Tertullianus, an ne eandem supponens carnem CHRISTI, & MARIAE siue potius vnam, utriusque denegauit debitum, dicens de præuarcantibus Protoplastis, lib. 2. Metricorum aduersus Marcionem.

*Arguit hos lignum nudos, Mors atra coëgit
Ex eadem massa simili ratione resecta,
Iam renouata redit flos carnis, & hospita pacis
Virgine desponsa Caro non ex semine nato
Artifici coniuncta suo, sine debito Mortis
Angelus hæc mandata Patris per sidera defert
Lucida, ut Angelica credantur nuncia fama
Virginis, ut Virgo, carnis caro debita soluat
Talibus ingressus sequitur vestigia Mortis.*

Aptè quoque Arnoldus Carnotensis in opere sex dierum exemit Deiparam etiam à debito cum loquutus de sententiæ Diuinæ damnationis in primos parentes, dixit de beata Virgine: *penitus aliena fuit ab huius conscriptionis Chirographo.*

Adiici possunt aliæ rationes, quod Virgini ablata sit potentia ad peccatum actiua propter priuilegium impeccabilitatis quia hoc decebat matrem Dei: cur non etiam eandem decebit carentia potentiæ proximè passiuæ, siue, potius necessitatis, quæ est turpior quam simplex potentia.

Alexander de Ales in commentat. in Apocal. cap. 8. tres puritates distinguit: vna est Christi, quia non potuit peccare cum Deus esset; altera Virginis, quæ potuit peccare, sed non voluit. Altera Adami, qui potuit & voluit peccare. Itaque puritatem Virginis in eo constituit, quod solum potuisset peccare, & nihil amplius haberet circa peccatum. Idem dicendum est de potentia passiuæ Virginis ad peccatum originale, quod solum potuerit remotè illud habere non autem quod deberet

deberet illud contrahere. Nam in hoc iam aliquid additur, quod diminuit puritatem eius, nec sua puritas fuisset maior quæ sub Deo intelligi potest: nam excederetur ab Angelis qui hoc debitum non habuerunt.

Itaque sicut potentia actiua ad peccandum in Virgine fuit omnino solitaria absque concupiscentiis, & fomite, & quocumque alio principio ad peccandum, sic etiam decebat, ut potentia eius passiuæ ad culpam originalem contrahendam fuisset etiam solitaria, absque alio principio, & connectione cum peccato, quale est debitum illius.

Item quoniam Virgo non crearetur si Adam non peccaret, non potuit habere debitum peccati illius quare non spectabat ad pactum eius. Tum etiam non decebat, Matrem Dei debere gratiam homini inferiori in sanctitate, nec Regina Angelorum subesse capiti quod esset purus homo, præterea priuilegia, & gratias Diuinæ maternitatis excedunt spheram gratiæ communicandæ, per hominem peccabilem. Hæc & alia oportuno loco latius expendimus, in variis concordia partibus. Consideratione quoque dignum est, quia id, quod conducit ad maiorem excellentiam Reparatoris, & Christi Redemptoris debemus concedere, saltem in illâ personâ, cui congruum sit fateri hoc: sed ad maiorem eius excellentiam Redemptionis spectat reparare omnem gratiam, quam Eua perdiderat, imò & maiorem ius meritis acquirere, & ad hanc gratiam spectat, non solum gratia habitualis; sed etiam iustitia originalis: quia utramque perdidit Eua per peccatum: Ergo cum Christus fuerit perfectissimus Redemptor, ad excellentiam suæ Redemptionis spectabat, saltem in aliquâ personâ, hanc totam gratiam perditam reparare; sed non in aliâ congruentius quàm in Virgine Matre, imò & omnium spiritualiter uiuentium Matre: quandoquidem neque in aliâ muliere fuit iustitia originalis, quàm in unicâ Matre Euâ omnium temporaliter uiuentium: Ergo debemus admittere in Virgine iustitiam originalem, in primo conceptionis instanti, sicut in Euâ admittimus in primo creationis suæ momento. Confirmatur ex plurium Patrum loquutionibus, Eua fuisse ædificatam in similitudinem **MARIE**; sed illa fuit cum iustitiâ originali ædificata: ergo & B. Virgo **MARIA**.

Tum etiam arguitur: quia impeccabilitas venialis inseparabilis est ab innocentia, & originali iustitiâ, etiam secundum doctrinam Thomistarum, quam assumunt ex D. Thomâ 1. 2. quæst. 89. art. 3. ubi ait: quod primi Parentes in statu innocentie non potuerunt peccare venialiter, prius quàm mortaliter. Sed B. Virgo habuit impeccabilitatem venialem per totam vitam, ut definiuit Concilium Tridentinum sess. 6. de iustification. Can. 23. Ergo inseparabilis fuit hæc impeccabilitas in Virgine à iustitiâ originali. Patet consequentia: quia inseparabilitas est relatio huius extremi, ad illud extremum cum quo semper est coniunctum. Sed vnum extremum est non peccare venialiter, & aliud habere iustitiam originalem: Ergo non peccare venialiter, in eorum Auctorum sententiâ, non debuit separari in Virgine à iustitiâ originali. Latè hoc argumentum explicat, & roborat Petrus Posnaniensis, in 2. sent. Scoti, part. 2. dist. 30. quæst. 1. disp. 3. supponens iustitiam originalem comprehendere carentiam debiti.

Afferuntur à pluribus etiam varia scripturæ lo-

ca ad comprobendam exclusionem Virginis à pacto Adami, & carentiam debiti, & satis est, quæ postea perpendemus ex cap. 3. Genes. de inimicitias inter serpentem, & mulierem, & ex libris sapientialibus, ubi commendatur Deipara, electa ante omnem creaturam, opportunè latè explicanda.

Itaque hæc carentia debiti in B. Virgine comprobari potest ex sacra Scriptura, Concilio Tridentino, Officiis Ecclesiasticis, Sanctis Patribus, atque etiam congruis rationibus, & mihi quidem, euidentibus; conaborque probare in vltimâ parte concordia, debito proximo, & absoluto, sicut cæteros filios Adæ obstringit, caruisse beatam Virginem omnino atque in persona sua nullum habuisse debitum, nec id permissurum optimum filium Dei in sua Matre & Regina cælorum, quod dignum se non reputauit Assuerus in Regina Esther quam non modò mortem, sed nec debitum mortis habuisse voluit.

Ex hac Historia Regis Assueri etiam potest sumi argumentum, pro carentia debiti in Beata Virgine, sumptum ab exemplo, & quanto plus inæquali, fortius est profecto, tanquam de minori ad maius. Cum enim ferè examinis accederet Esther ad Assuerum, timens executionem mortis communem omnibus sine veniâ stationem Regiam ingredientibus Rex illam solatus est; non quidem dicens, indulgeo, & condono tibi vitam, cuius iacturam per mortis pœnam amitteres nisi te præueniret indulgentia mea, sed dicens: *non enim pro te, sed pro omnibus, hæc lex constituta est*; quasi diceret: tam procul es à mortis supplicio, ut nec in illius pœnam, nec debitum incurristi, cum exempta fueris à lege, quæ nequaquam fuit pro te lata. Quod si Assuerus iudicauit non decuisse Maiestatem suam ut Regina incurrisset reatum mortis, quamuis ipsa mortem non pateretur per suæ indulgentiæ præuentionem; sed opportuisse, ut esset etiam extra debitum mortis & legem communem incurrendi eius pœnam? Quid existimandum est de omnipotente cælorum Rege erga matrem suam, nisi quod extulisset illam, non solum extra damnum mortis; sed extra debitum eius? cum maximè hæc mors spiritualis fuerit, quæ omnino dedecuit Matrem Redemptoris. Vnde aptè Clitoveus dixit: lib. de puritate Virginis cap. 8. & 9. *Quid mirum si ea obligatio contrahendi culpam in prima productione obstringat filios Adæ, eam tamen non detinet, quæ à Deo præordinata est, ut illud graue iugum aterna mortis debitum, à nobis remoueretur, non igitur pro ea sed pro omnibus cæteris hæc lex contrahendi ab origine culpam posita est.*

§. III.

Occurritur obiectionibus.

Magnum etiam argumentum erit, pro Mariana debiti carentia, solutio contrariorum argumentorum.

Obicit aduersus omnia præfata non nemo, quod prædicta exemptio Virginis, à debito peccati originalis non fuerit per perfectam Christi redemptionem, quæ respicit peccatum, & inimicitias cum Deo, à quibus per merita Christi liberamus, cum autem applicatio meritorum Christi iuxta multorum opinionem, fuerit ante omne peccatum

catum originale absolute futurum, imo ante ipsum peccatum Adami, cum nondum erat vel ipsum debitum contrahendi peccatum, & incurrendi in Dei inimicitias sequi videtur, quod Christus non liberauerit Deiparam ab inimicitias Dei, nec à peccato nec eius debito, cum nondum hoc debitum præuisum fuerit absolutum: neque videtur, vt beata Virgo dicatur proprie redempta per mortem Christi, satis fuisse, quod illa ex conditione naturæ habuerit debitum peccati in Adamo & incurrendi mortem peccati, si à lege non eximeretur: Etenim licet tale debitum satis fuerit, vt illa indigeret, eximi à lege, ne cum Adamo peccaret, non posset dici spiritualiter mortua. Vt de ea verificaretur propositio Pauli 1. Cor. 5. nec satis fuit quod possit inter eos nominari, qui erant peccatores, ad quos Christus missus est; nec vt possit pertinere ad eas oues, quæ peccauerunt, & perierunt, pro quarum liberatione Christus venit. Quare cum pro illo statu, aut debito nondum aut dari, aut fingi possit culpa, qua ante peccatum Adami fuerit mortua, nec inter peccatores posset enumerari, nec dici filia iræ & Deo inimica, & exosa, quia tale debitum ex se nulla est culpa, nulla animæ infectio, utique ad Christi redemptionem nullo modo pertinere potuit, cum talis exemptio à lege, licet suo modo præseruatiua fuerit à peccato, non tamen ita talis fuit quod fuerit remissiua eius.

Ad hoc respondetur, nequaquam nos esse loquutos de redemptione ereptiua, sed præseruatiua, ad quam non requiritur remissio peccati sed impeditio eius. Huius obiectum licet sint inimicitia & peccatum, non tamen hæc respicit, vt existentia siue præuisa absolute futura, sed potius vt non extitura, propter impedimenta præseruationis, sine qua tamen extitura essent. Iuxta hanc considerationem, quanto maturius, & citius applicata fuerint merita Christi Virgini ante præuisa maiora pericula filiorum Adæ, tanto nobilior eius redemptio, & perfectior præseruatio, quanto remotius, & vt ita dicam magis antelucanè præuenta, & præseruata est. Nec obstat hoc quominus dicatur excellentissime redempta per præseruationem ab ipsissimo peccato originali cuius periculum, licet tantum non esset, potuit esse & de facto accidit postea in cæteros filios Adæ: qui enim principiis obstat, à pluribus damnis præseruat, hoc est ab omnibus, quæ inde sequi potuerunt, quod explico hoc exemplo. Si quis lapsus à suo statu ex casu præcipitandus erat, & ex præcipitio necandus; quis dubitat quin ille qui præuenerit, ne caderet, præseruauerit hunc hominem non solum a casu, sed etiam à præcipitio, & morte? Sic etiam beatissima Virgo, cum præuenta fuerit ne includeretur in pacto Adami, præseruata fuit non solum à periculo peccandi in Adamo; sed etiam ab ipso peccato originali, quoniam per Christi merita satis antecedenter obstitit Deus ne illud contraheret, quod alioqui contractura esset, nascitura per generationem naturalem ex Adamo. Vnde verè dicitur, quod præseruatiuè fuerit redempta à culpa & inimicitias Dei, maximè cum hoc fuerit finis intentus à Deo in non includendo eam in pacto per Christi merita, in qua intentione illud respexit Deus, vt damnus peccati & inimicitiarum auerteret à matre sui filij: quare licet illi non fuisset formaliter remissa

Ioann. Euseb. Op. Parth.

vlla culpa; per equiualentiam tamen imò per eminentiam functa est fructu remissionis, nimirum amicitia Dei & hoc est proprium præseruationis, ipsaque natura redemptionis præseruatiuæ, quæ quanto longius ab ultimo damno applicata, magis habet eiusmodi redemptionis, ipsaque natura redemptionis præseruatiuæ, scilicet præseruationis in B. Virgine applicata est, quam primum fuit relatio aut respectus ad damnus ultimum peccati originalis.

Maioris claritatis gratia proponam aliquos gradus periculi ad peccandum qui possunt esse in creatura humana. Primus est ipsa potentia peccandi, quæ intrinseca est ratione sui in natura rationali. Secundus est, ultra potentiam ad peccatum, processuram talem naturam per communem generationem, ita vt posset subiici alteri tantum capiti morali à quo dependeat sua gratia, aut priuatio eius. Tertius, cum Deus potuit saltem per decretum conditionatum subiicere omnes homines vni omnium primo parenti, cum quo pacisceretur de danda aut neganda gratia suis. Quartus, cum præuidit lapsurum Adam, decreuitque Christum Redemptorem. Quintus, cum de facto fit ipsum pactum. Sextus, cum post præuaricationem pacti damnatus est Adam, & posterius eius pœna mortis corporalis, & spiritualis. Septimus, cum fit ipsa generatio personæ humanæ.

In his gradibus ille in quo Christus iam est prædestinatus absolute redemptor, præuisumque fuit discrimen ex peccato Adami, nimirum quartus gradus, est satis aptus ad redemptionem præseruatiuam ex peccato Adami, & in eo dicimus præseruatam Deiparam per Christum antequam posset peccare in Adam, & debitum ex eiusdem culpa habere vnde præseruata tempestiuè & omnino fuit à peccato Adami, & debito eius per suum filium. Quod si constituatur præseruatio Virginis in primo gradu, licet posset à Deo fieri, decernente talem creaturam immunem omnino esse ab omni genere peccati, impeccabilemque per suam gratiam creare volente, at hoc beneficium non esset Redemptio, cum non supponatur tunc prædestinatus Redemptor, & licet sufficeret ad id genus redemptionis, quod aliqui tribuunt Angelis, communiterque negatur à Doctoribus esse redemptionem, atque si esset latissime sumpta fuisset, non esset satis ad redemptionem ex peccato Adæ. Secundus gradus quamuis non nihil supra primum addat; verum tam parum est, vt ad redemptionem ex peccato Adæ nondum in singulari suâ personâ præuisi non sufficiat. Tertius aliquid amplius addit, sed quia nec tunc fuerit prædestinatus Christus ad redimendum genus humanum ob peccatum primi hominis non opportunè in illo statueretur præseruatiua redemptio à peccato Protoplasti, nisi propter spem suorum meritorum, vt in fine Partis secundæ dicitur. Quapropter vbi honorificentius, & planius Christo & Matri eius, constituitur Virginis redemptio præseruata est in quarto gradu.

Quod autem ad Redemptionem non sit necessarium damnus, aut periculum proximum, supponunt plurimi Doctores, & aptè explicat noster Granados tractat. 1. disput. 3. sect. 24. vbi proponit hoc exemplum. *Si Rex ferret legem qua integram aliquam prouinciam obligaret, vt sibi tributum persolueret, & hac ipsa lege, ali-*

quem singularem hominem exciperet, vere & proprie discretur exemptus à persoluendo tributo, quia cum iuxta legum stylum adstringendus quoque foret lege generali totius pronuncia, ob privilegium Regis adstrictus non est. Sic ergo res habuit in presenti. Virgo enim liberata aboriginali, & à debito proximo illud contrahendi, cum alioqui comprehendenda fuisset sub communi lege, nisi speciale privilegium Deus illi contulisset. Deinde probatur, quia medicina præservatiua non semper supparit hominem, cui applicatur, esse proxime obnoxium agridudini: quamvis enim sit admodum firma valetudine, sufficit potentia remota egrotandi, ut medicus dicatur illum præservasse, quando adhibuit medicinam, qua morbos prævenit, sic ergo res habuit in presenti.

Verum tanto abest, ut ratio Redemptionis obfit exclusioni Virginis à Pacto Adæ, & necessitate contrahendi peccatum, ut potius ex ratione ipsius perfectissimæ redemptionis Christi, Doctores plures asserant, negandum omnino esse Deiparæ debitum peccati, huiusmodi argumentantes. Christus Dominus est perfectissimus, & excellentissimus Redemptor, Ergo sacra Deipara in Adamo nunquam peccavit. Consequentia probatur quia si in aliqua persona potuit, & debuit ostendere excellentiam, & dignitatem suæ Redemptionis, illa fuit Sacra Deipara, & non alia; si ergo excellentia muneris talis ad illam etiam præservationem potuit extendi, nulla est efficax ratio propter quam negemus Virginem non peccasse in Adamo, aut afferamus in illo pacto, & lege communi fuisse inclusam. Extendi vero posse redemptionem Christi Domini ad illum præservandi modum, & ad meritum non inclusionis in lege communi probatur efficaciter, quia excellentissima redemptio, non potest non habere, propriissimam rationem Redemptionis, sed propriissima ratio Redemptionis, aut includit necessario, aut generaliter sumpta permittit præservationem à servitute & captivitate, ergo perfectissima & excellentissima Redemptio Christi Domini, quæ est excellentissima, affert secum libertatem à servitute, & captivitate, ergo illam affert secum Redemptio Christi Domini, unde excellentissima hæc redemptio exercita est in Beatissima Virgine Maria. Discursus quoad omnes consequentias est evidens, & nihilominus prima consequentia probatur, & explicatur, quia excellentissimum in aliquo genere non potest non participare propriissimam rationem generis illius. Cum ergo Redemptio generaliter sumpta dicat ordinem ad captivitatem, illam etiam dixit excellentissima Redemptio, hæc autem est præservatiua, & dilucide Redemptionem præservatiuam dari, præter sanctum Dionysium, & sanctum Augustinum supponit S. Thomas. 3. p. q. 52. art. 2. ad 1. atque etiam 2. 2. q. 8. art. 9. ad 4. hæc scribit. *Quod Mattheus ultimo posuit, Libera nos à malo; Lucas non posuit, ut sciat unusquisque ex eo se liberari à malo, quod non inferatur in temptationem.* Imo inter redemptiones omnes præservatiuam esse excellentissimam docuit idem Angelicus Doctor. ad caput. 8. sancti Dionysij, de diuinis nominibus, istis Verbis. *Sic igitur, quia ratio saluationis, in hoc consistit primo & principaliter, ut aliquis in bono conseruetur: non erit longè ab intentione Sacra scriptura, si quis saluationem Dei velit laudare, in quantum ipse Deus saluat omnia per propriam bonitatem, liberando à malo, quod est casus à propriis*

bonis. Quod amplius explicat, & exéplificat in sequentibus. Hinc fit redéptionem proprie, & rigoro- se sumptam, diuidi in præparatiuam à malo, quod imminet, aut potest accidere, & liberatiuam à malo & casu, quæ iam acciderunt, quibus videtur addenda Redemptio, quæ eminentissimo modo claudat vtranque non in sensum, quem voluit Ægydius, sed talis naturæ, ut illius excellentissimus Redemptor exercere possit vtranque rationem Redemptionis, & liberatiuæ, & præservatiuæ, & huius ordinis existimo esse Redemptionem Christi Domini, imò necessario videtur asserendum, liberat enim Saluator excellentissimus, non solum illos qui iam ceciderunt, & peccauerunt, eos à captivitate iam exercitâ extrahens; sed eos etiam qui non ceciderunt: sed cadere possunt: quæ res est de fide, cum præseruet à peccatis actualibus, idque per sanguinem crucis eius: in Christo enim Domino nulla alia est redemptio.

Sicut enim quia perfectissimus Redemptor est Christus Dominus tripliciter, idest omni modo redemit à peccatis actualibus tum mortalibus tum venialibus: Primò liberando à culpâ Commisissis. Secundò præservando à committendis. Tertio aufferendo etiam pericula, & occasiones, imò & potestatem committendorum, ut factum fuit cum Deipara ablato fomite peccati, & concessis aliis gratiis: Sic etiam expectat ad perfectissimam Redemptionem, ut huiusmodi etiam talis exhiberetur, circa peccatum originale: Quare non solum liberat Christus ab illo infantes baptizatos, sed etiam suam matrem præservauit ne illud contraheret; itaque ut per omnia esset integra, & adæquata perfectio & extensio suæ redemptionis, abstulisse etiam decuit à sua genitrice periculum, & communem obnoxietatem contrahendi illud.

Tandem concludo cum Gersono comprobans iterum perfectionem redemptionis præservatiuæ, qui in sua Iosephina, sic introducit Christum de MARIA Matre testificantem.

Et potui & volui: redimens perfectius ipsam, Preueniens casum, quam sit relucere iacentem.

Tota fuit pulchra, nulli unquam obnoxia culpa:

Absit, ut attritus ab ea serpens caput eius

Antea contrierit, peccati sub pede fado:

Absit, & ut fuerit mæbrum demonis unquam.

Hæc non solum de præservatione à culpa: sed etiam à debito eius intelligi possunt.

§. IV.

Satisfit aliis obiectis.

PREmunt adhuc aliqui Doctores huiusmodi; ut aliquis sit redemptus proprie per Christum requiritur, non quælibet Redemptio, sed quæ sit propria, & quæ supponat satisfactionem infinitam per merita mortis & sanguinis filij Dei, cumque hæc satisfactio non videatur exigi in eo qui nec contraxit peccatum originale, nec debitum peccati, dicunt non posse componi cum carentia debiti in Beata Virgine.

Verum ut prætermittam alias solutiones, quæ ex dictis possunt exhiberi, & distinctiones terminorum

norum, quibus vtuntur prædicti authores, libenter concedam illis quicquid expostulant, de necessitate satisfactionis infinitæ, vt sit redemptio Christi remissiuâ culpæ: etenim cenſeo præſeruationem Virginis à debito peccati Originalis, & conſequenter à ipſo peccato, imò quæcumque vnginis gratiam nixam eſſe in ſatisfactione mortis & sanguinis ſui filij, quam neceſſariò ſupponit. Quandoquidem gratia Virgini data neceſſario debet eſſe Redemptionis, & nixa, fundataque in ſatisfactione infinita. Nam eius electio ad illam fuit, vt eſſet medium Redemptionis humanæ, & cooperatrix atque corredemptrix, cum Christo primario, ſolum efficace, & vnice ſufficiente Redemptore: non enim ſolum ſelecta Virgo, vt ſua anima ſaluaretur, ſicut alia perſonæ, ſed etiam vt per eam genus humanam ſalutis viam inueniret, quod erat indignum gratia, & ſalute per peccatum Adæ. Hæc ratio mediæ Redemptionis nequit eſſe ſine gratia, quæ ſupponat ſatisfactionem infinitam, ac proinde ſit gratia Redemptionis ea, quæ collata eſt Virgini ad hoc, vt eſſet medium Redemptionis, ſcilicet, vt pareret Redemptorem, & intercederet pro redemptis, vt ſalui fiant. Itaque gratia matris Dei ſupponit omnes in Adam peccaſſe, omneſque in illo mortuos, & indigentiam Redemptoris, proinde neceſſaria eſt illi gratia Redemptionis cum ſatisfactione infinita. Et plane magnum quoad hoc diſcrimen eſt inter matrem Dei, & aliam creaturam humanam. Quoniam ſi alia perſona caruiſſet debito, ſicut ſupponimus de Matre Dei, & non fuiſſet creata, vt eſſet medium Redemptionis, ſed ſimpliciter, vt ſaluaretur, non eſſet quidem ſanctificatio eius per gratiam Redemptionis, quia nequaquam ſupponebat gratia illa neceſſariò aliquid, ad quod requiretetur ſatisfactio infinita. Verum in ſanctiſſima Dei Genitrice Redemptoris noſtri diuerſa eſt ratio, nam cum ſit creata & ſanctificata, vt eſſet medium Redemptionis noſtræ, gratia eius pertinet. Iam ad ſphæram Redemptoris, licet mater Dei non deſcendiſſet ab Adam, ſed creata fuiſſet ex limo terræ, ſed ad hoc, vt eſſet medium Redemptionis Adamici generis, Redemptoriſque mater ſpectabat ad eius ſanctificationem gratia Redemptionis, tanquam commune instrumentum ſaluandorum, & effectus prædeſtinationis tot filiorum Adæ qui redempti ſunt per filium Dei. Dignus quoque fuit Chriſtus, vt eius paſſio, & merita intercederent, vt concederentur aliqui Angelis honores, cum fuerint tanquam effectus prædeſtinationis multorum hominum, & media ad humanam ſalutem, vt Patronum eſſe Eccleſiæ S. Michaëli, & legatum diuinæ incarnationis S. Gabrieli.

At ſi dixerit aliquis, quòd quamvis ſanctificatio Matris Dei, vt medium Redemptionis requiret gratiam Redemptoris ſupponentis ſatisfactionem infinitam, hoc non eſſet ſatis, vt diceretur redempta in ſua perſona; licet fuiſſet particeps gratiæ Redemptionis. Quoniam ex ſuppoſitione debiti non peccauit in Adam, nec mortua in illo fuit. Verum hoc parum obeſt quoniam ad veram Redemptionem Chriſti, nõ eſt neceſſarium peccaſſe in Adam, nec mortuum in illo fuiſſe: quandoquidem Ea verè redempta fuit, licet non peccauit in Adam, nec in ipſo fuit mortua. Quòd ſi ruruſ dicatur, ſaltem in ſe fuiſſe mortuam per peccatum proprium, quod tamen de B. Virgine nequit dici, cum nullum com miſerit

Ioann. Enſeb. Op. Parth.

peccatum mortale. Reſpondeo: verum hoc eſſe, quoad illum modum Redemptioſis, qui dicitur liberatiuus: non autem quoad modum præſeruationis. Cumque B. Virginem præſeruatiuè dicamus immunem à debito & peccato, habet quicquid eſt neceſſarium, vt dicatur verè per præſeruationem redempta; abſque eo quòd ſit neceſſarium, vt fuerit in ſe mortua, imo nec in Adam; ſed ſufficit quòd poſſet mori, niſi præſeruetur. Nam hæc eſt natura huius Redemptionis præſeruatiuæ, quæ non tam reſpicit, damnum exiſtens, quam periculum futuri, aut poſſibilis, quæ non debuit deeſſe amplitudini, & plenitudini Redemptioſis Chriſti, qui ſuam matrem redemit honorificentiffimè, licet non fuerit mortua in ſe, nec in Adam, neque in alio humano indiuiduo: ſufficit, quod in genere & remotè mortem contractura eſſet niſi præueniretur, ſiquidem nata fuit per generationem humanam, quam iuxta conditionem, & ſpeciem ſuam comitatur mors peccati originalis, quamvis in indiuiduo perſonæ Virginis deſit communis lex, à qua præſeruata fuit, per merita Chriſti, quod ſufficit ad redemptionem præſeruantem.

Quòd ſi adhuc inſtet aliquis, benè quidem ſtare Virginem fuiſſe redemptam eo modo, ſed nihilominus non poteſt dici redempta per eam redemptionem Chriſti, quæ de facto eſt, & de qua loquitur Scriptura, & ſancti Patres ſupponentes mortem in perſona, & indiuiduo redempto. Sed facile huic obiectioni fiet ſatis cū multis Doctõribus, à quibus illa ſuppoſitio mortis intelligitur de Redemptione cõmuni, & generali, & liberatiua, non autè de Redemptione præſeruatua, ſpeciali, & priuilegiaria Matris Dei, quæ excipienda eſt à cõmuni lege, & propoſitionibus vniuerſalibus Scripturæ, cum ſit tanta cauſa excipiendi illam, vt poſtea dicemus. Caterum negare Chriſti Redemptioni, vt de facto eſt, extensionem eius ad modum redimendi præſeruatiuæ, videtur minus glorioſum illi, & reſtringi plenitudo eius Redemptionis, & gloria infinitæ ſuæ virtutis, præter Quam quòd S. Patres extenderunt in Chriſto Redemptionem, quæ de facto eſt ad præſeruationem peccatorum actualium mortalium, à quibus præſeruat iuſtos, quem modum Redemptionis Chriſti palam docuit Sanctus Auguſtinus, vt mox dicemus. Audeo affirmare, aut negandam eſſe Chriſto excellentiam Redemptionis ſimpliciter præſeruatiuæ, aut concedendam eſſe Virgini carentiam debiti. Diuidicet prudens quid glorioſius erit noſtro Redemptori? aut concedere illi Redemptionem Matris ſolum liberatiuam, & reſtrictam cum minore B. Virginis honorificentia, & puritate, aut concedere illi etiam Redemptionem præſeruatiuam, & cum maiore ſuæ Genitricis decore, & exaltatione puritatis. Ego plane iudico in hoc caſu geminari maiorem gloriam Chriſti, in alio vero reſtringi tum gloriam extenſæ ſuæ Redemptionis, tum honorem exaltatæ puritatis ſuæ matris, vt neſciam quid poſſet aliquem cogere, vt neget carentiam debiti in Beata Virgine, cum detrimento aliquo copioſæ, extenſæ, & nobilioris Redemptionis. Mirorque Patrem Suarez qui cum conceſſerit, etiam cum carentia debiti, poſſe Virginem eſſe redemptam per Chriſtum, negat tamen de facto poſſe dici redemptam eo genere Redemptionis, quæ de facto eſt requirens ſatisfactionem infinitam, quod nequaquam videtur Deiparæ decorum

decorum. Rigidumque videtur si possibilis sit modus, quo posset B. Virgo dici redempta à Christo etiam immunis à debito; illum negare ipsi, maximè cum eius gratia tanquam medijs, & instrumenti Redemptionis, requisisset ipsam gratiam Redemptoris, & satisfactionem infinitam, quod amplius adhuc comprobabimus.

Quippe talis sanctificatio decebat illam, propter eiusmodi gratiæ excellentiam, & priuilegia, quæ ob honorem Diuinæ maternitatis, debita illi sunt, si aliis concessa: Quippe cum Beatissima Virgo excellentior sit omnium personarum creaturarum, siue Angelorum, siue hominum, ea gratia donari debuit, quæ excellentioribus priuilegijs communicata sit alijs creaturis, cumque talis gratia communicata sit hominibus, vt reparabilis sit, itavt per Christi merita possint remitti, seruato Iustitiæ diuinæ rigore, non solum prima peccata; sed secunda, & sine termino repetita: nam septuagies septies, & quotiescumque homo peccauerit, habet virtutem gratiæ Christi remittendi peccata; cum nixa sit pretio sui sanguinis infinito, simili priuilegio debuit gaudere gratiæ Virginis, aut formaliter, aut virtualiter & eminenter. Et quidè vtrūque habet. Formaliter vtiq; nam si per impossibile Virgo peccaret, restitui posset ad amicitiam Dei, per eam ipsam Christi gratiā nixam meritis infinitæ satisfactionis. Virtualiter etiam, quinimo & eminentissimè gaudet Beatissima Virgo illo priuilegio, & maiore, possidens per Christum gratiam inamissibilem, quæ non modo tantundem est, sed plusquam gratia reparabilis, cum eminentiore modo contineat reparationem, in ipsa inamissibilitate; clauditque id quod seorsim exigeret satisfactionem infinitam; reparabilitas enim talem satisfactionem requirit, qualem ipsa reparatio exigit.

Præterea præseruatio iustorum à peccatis actualibus fit per veram, & propriam Christi Redemptionem quantumuis ad peccata actualia non præcesserit debitum, sed solum, quia sola ea gratia, per quam præseruatio fit, est reparabilis si amitteretur, quatenus nititur satisfactione infinita sanguinis, & mortis Christi. Simile propterea accidit in præseruatione Virginis à peccato Originali, quia quamuis in Virgine debitum illius non præcesserit; ea tamen gratia de facto est inamissibilis, depossibili, & de natura sua est reparabilis, ne hoc priuilegio careat Regina caelorum, quod concessum est miseris peccatoribus. Reparabilitas autem nequit esse nisi supponens satisfactionem infinitam. Quare idem dicendum est de præseruatione à peccato actualibus in sanctis, ac de præseruatione à peccato Originali in Virgine quatenus attinet ad redemptionem Christi. Nam ad vtrunque possumus dicere Christum fuisse liberatorem, & argumentari licet ex illo Augustini in Psalm. 85. *Liberabit ab aegritudine non in qua eras, sed in qua futurus eras*: & de his qui ad carcerem ducti non sunt, alijs ducendi, loquens idem Augustinus: *Inde inquit, se recte dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perducere. Unde idem, lib. 2. confess. cap. 1. Gratia tua depreco quæcunque non feci mala, & omnia mihi dimissa fateor, quæ te duce non feci. Ideo amplius te diligit, qui se videt peccatorum laqueis non implicari.* Atque hunc liberandi modum, & filio & matri fuisse magis gloriosum quis non videat? Quod si pro præseruatione peccatorum actualium, amplius teneatur iusti amare suum Redemptorem, iuxta S. Au-

gustinum, Beatissima quoque Virgo pro præseruatione peccati Originalis, quamuis non antecesserit debitum, amplius tenetur amare filium suum, & gratificari erga se nobilissimum redemptionis genus. Tum quoad modum redimendi anticipatè, tum quoad excellentiam pretij, per gratiam meritis passionis Dominicæ obtentis, quæ est lytrum, & pretium pro innumeris captiuitatibus, & satisfactio reciduarum peccaminosarum, cum multis alijs prærogatiuis, & necessarium videtur censendum priuilegiaria hac gratia, & redemptione nixa satisfactioni infinitæ, decoratam fuisse Matrem Redemptoris.

Alia priuilegia gratiæ Christi fatetur Suarez. lib. 7. de gratia cap. 5. ann. 5, & 7. & tomo 1. in 3. p. disp. 4. sect. 12. Quia nixa est infinitæ satisfactioni sanguinis filij Dei, quibus nequaquam est priuanda Dei genitrix. Cui inter alia maximè competeant hæc duo ab eodem Suarez, notata, maior satisfactio in operibus ex gratia Christi factis, & efficacior impetratio in orationibus. Quæ si alicui, congruunt omnino Matri Dei ratione officij corredemptionis, de quo postea latius tractabimus, sumentes inde argumentum ad negandum illi debitum culpæ.

Nec mirandum est diuersimode in aliquo se habuisse Christum erga B. Virginem circa influxum gratiæ Redemptionis, ac se habuit cum cæteris redemptis. Imo oportebat, imò decebat ita esse. Adam quoque principium, & caput generis humani diuersimodè se habuit in communicatione naturæ erga Euam, ac circa cæteros homines; cum cæteris hominibus eam communicauerit per ordinarium modum profeminationis naturalis, Eux autem per extraordinarium modum extructæ à se costæ. Sic Christus redemit reliquos per Redemptionem positiuè & penitus ereptiuam, atque actualiter, omninoque liberatiuam; sanctissimam autem Virginem redemit per præseruatiuam penitus Redemptionem, non solum illam præseruans à peccato, sed etiam à debito eius, ita, vt quidquid participant peccati Adami per generationem naturalem cæteri homines, nullatenus attingat Deiparam. Conguebat, vt obseruaretur collatio, & præfiguratio de Christo & Maria, per Adam, & Euam; vt sicut Adam non dedit vitam Eux tanquam coadiutrici in propagando genere humano, per generationem communem, sed per alium commendationem singularem, & priuilegiarium modum productionis; Sic Christus nec Matri suæ tanquam coadiutrici in redimendo genere humano daret vitam spiritualem, per regenerationem communem quæ est reuiuificatio, & transitio, à morte culpæ contractæ ad vitam gratiæ restituta, sed per alium priuilegiarium modum viuificationis, & excellentissimam sanctificationem.

Tandem, vt aliquid ex dictis concludam, repeto quod superius indigitauimus, atque subsumo quod concedit ipse P. Suarez. in 1. 2. disput. 9. quæ est de peccato originali, sectione. 4. dicens: *Poterat Deus statueri non redimere homines, per Christum incarnatum, in carne passibili, nec per eius passionem, sanguinem, & mortem, & tamen providere, vt per alia opera eiusdem Christi absque propria satisfactione quamuis cum proprio merito, & rigorosa iustitia, præseruaret Virginem ab omni peccato, etiam originali, qui etiam foret modus aliquis Redemptionis particularis Virginis, sed non fuit Redemptio, quæ nunc statuit, & de qua agimus.*

In his & aliis verbis Doctissimus P. Franciscus Suarez fatetur etiam cum carentia debiti posse B. Virginem redemptam fuisse à Christo : solum tamen negat redemptam eo genere Redemptionis, quæ de facto est per merita mortis eius, sequens & supponens satisfactionem infinitam. Cumque hæc satisfactio supponat in persona redempta peccatum, & mortem spiritualem, atque B. Virgo si debito careret, nequaquam posset dici mortua; ideo non indigebat Redemptione satisfactionis infinitæ, nec potest dici redempta à Christo per sanguinem suum quamvis alioqui in alio genere redemptionis per merita eius, quæ non esset necessaria cum morte consummari, potest dici, & esse redempta.

Verum si ob hoc solum negatur Deiparæ titulus Redemptionis, in paruo stat Controuersia; cum facilis exhibeatur ex prædictis modus, quo iungantur in B. Virgine nomen Redemptionis, & necessitas passionis Iui filij, qui proprio sanguine satisfecit pro genere humano mortuo, quamvis ipsa B. Virgo non fuisset mortua, neque comprehensa in morte communi filiorum Adæ. Nam cum hæc mors requiratur ad necessitatem satisfactionis infinitæ, si hæc necessitas talis satisfactionis possit, & quidem potest à unde dari, & exigi abique eo, quod mortua fuerit Deipara, non impedit hæc carentia mortis, & debiti ad Redemptionem mixtam satisfactioni infinitæ per sanguinem Christi, neque proinde ad redemptionem, quæ de facto est per merita filij Dei morte cõsummata & satisfacienda pro peccato generis humani. Quod autem gratia, per quam redempta fuit B. Virgo & præseruata, non solum à peccato sed à debito exigeret & supponeret satisfactionem sanguinis Christi pro peccatis, iam ex dictis potest constare, cum eo fine fuisset B. Virgo redempta per præseruationem, etiam à debito, vt esset medium, & instrumentum Redemptionis generis humani mortui per peccatum, vt digna Redemptoris Mater. Quare gratia eius intra spheram gratiæ redemptionis infinite satisfactoriæ concluditur, quod satis ex superioribus potest illustrari, maximè considerato modo & natura Redemptionis præseruatiuæ.

Idem explicabitur hoc exemplo. Siquis potentissimus Rex huiusmodi pactum fecisset, cum quodam ex nobilibus sui Regni, si fideliter custodieris hoc castrum, exaltabo te deinde in gubernationem totius Prouinciæ, & tuos filios maioribus nobilitatis priuilegijs decorabo. Quod si infidelis mihi extiteris, te, & illos ad metallum damnabo, seruosque penè efficiam, vel in aliam seruitutem tradam. Cum autem discrimen huius pacti agnosceret quidam Princeps qui Regem valde diligebat, & pariter illum Equitem, decreuit talia obsequia militaria præstare, vt placeret Regi, & tot manubias ex hostibus acquirere, vt posset illum hominem, & suos filios redimere, si fortè defecisset incurrens illam seruitutis pœnam, vt sic in amicitiam eiusdem Regis illos restitueret, volensque in illo opere iuari, à Primogenito filiorum illius nobilis, per victorias aliquas, quas obtinuit de hostibus, impetrauit à Rege, vt primogenitum illius hominis excluderet à pacto illo, ita vt licet Patris eius delinqueret, ingenus maneret, atque in omni euetu, sine vlla nota, aut debito seruitutis. Postea vero cum audisset, vt ille homo perduellis fuisset Regi, castrumque hostibus tradidisset, & consequenter suos liberos obno-

xios fecisset pœnæ seruitutis, tot, & tanta hostium spolia Princeps ille beneuolus obtulit Regi, procurante etiã & ad hoc subseruiente primogenito illius nobilis, vt placaret Regem, ita vt in tuam gratiã illos restitueret. Quis dubitabit in hoc euentu, quod benignissimus ille Princeps fuerit Redemptor totius illius familiæ per obsequia sua militaria, per quæ non solum redemit à seruitute filios ceteros, sed etiam primogenitum, dum præseruauit à debito seruitutis, alioqui incurrendæ, ingeniumque conseruauit. Hoc potest facile adaptari Redemptioni Christi, qui per sanguinem suum non solum redemit ceteros Adæ filios, sed primogenitam, quoad excellentias personam humanam, Virginem scilicet Mariam, quam per exclusionem à pacto præseruauit à debito, & excellentissimè redemit, non minus per sanguinem suum quam ceteros Adæ filios redemerit liberans à seruitute incurra, B. autem Virginem præseruans à debito incurra. Quemadmodum ille Princeps non minus redemit per obsequia militaria illud primogenitum, quam ceteros eiusdem fratres, nisi quod hos redemit præseruans ne incurreret adhuc illius debitum.

§. V.

Concedantur multa contrariis, alia explicantur,

Nec sunt contra prædictum dicendi modum multa, quæ obiciunt Suar. & alij authores qui mordicus negant carentiam debiti, nam cum eis in multis quæ opponunt conuenimus, & alia facile explicatione lauigabimus.

Explicans igitur Suarez modum quo B. Virgo fuerit sanctificata per veram, & propriam redemptionem Christi ait: Alter modus sanctificationis, qui habet pro termino à quo propriam priuationem gratiæ; quæ est culpa, inuenitur in filiis Adæ, quorum satisfactio est translatio à culpa ad gratiam, vt colligitur, ex Trident. sess. 6. & ita includit cum satisfactione remissionem culpæ, vt idem Concilium docet. Hæc verò culpa ordinariè præcedit tempore satisfactionem, & tunc includit proprie (& vt ita dicam) formaliter remissionem culpæ. Verumtamen fieri etiam potest, quin culpa præcedat in subiecto per aliquod momentum, vel durationem, sed solum ordine naturæ, seu ex conditione, & statu personæ, & tunc magis proprie dicitur præseruatio culpæ, quam remissio, verum in effectu etiam ista sanctificatio habet quodammodo culpam pro termino, non quæ præcesserit; sed quæ futura fuisset, nisi præueniens gratia impediuisset. Hactenus Suarez. In quibus eidem assentimur quatenus carentia debiti Mariani per Christum dici possit eminens remissio culpæ, quamuis formaliter non sit remissio. Verum in effectu etiam ista sanctificatio habeat quodammodo culpam pro termino, seu obiecto, non quæ præcesserit, sed quæ futura fuisset, plus, aut minus remotè, nisi præueniens gratia impediuisset. Cum quo satis apto sensu concordemus, nisi quod negemus Virginem à priuatione gratiæ sanctificatam fuisse liberatiue, sed omnino præseruatiue, nam hoc est genus redemptionis competens Deiparæ.

Addit postmodum Suarez in confirmationem superioris doctrinæ: *si B. Virgo non fuisset sancti-*

ficata, in Conceptione, nec gratiam in primo instanti habuisset, eo ipso non solum esset non grata, vel non sancta, sed etiam esset in peccato, & Deo iniusta, & ingrata. Ergo eius sanctificatio fuit remissiva, seu potius impeditiva peccati, & uia fuit sanctificatio redemptiva, seu qua fuerit effectus redemptionis & sanguinis Christi. Hæc ille. Verum in hac conditionali, seu suppositione, Dum B. Virgo fuisset per Christum exclusa à pacto, solum sequitur, quod caruisset positiva dignitate gratiæ habitualis; non quod esset in peccato Originali, quoniam illud ipsum, quod est non esse in peccato Originali haberet per merita Christi, qui non solum præseruauit illam à peccato Originali, sed anticipate etiam præseruauerat à debito incurrendi in illud, quod deberent aduerrere nonnulli ex contrariis, & recognoscere etiam posse præseruari à debito, sicut si Rex potentissimus cogitans tributum imponere ciuibus uellet non obligare aliquem ad solutionem, sed immunem seruare, poterat id præstare duobus modis, aut ante promulgationem legis declarando pro eo non ferri, nec includi in illa, aut post promulgatam legem obligantem omnibus, ei parcendo, & per priuilegium non exigendo solutionem, sed condonando. In hoc secundo casu hunc ciuem liberat solum à tributo; in primo autem, etiam à debito illius, nobiliorque gratia fuit. Sic fieri potest, ut sit præseruatio, duplicata à peccato, & etiam debito eius. Verum ad hoc non solent attendere Authores aduersarij, sed solum ad extinctionem debiti per infusionem gratiæ in primo instanti, quasi non esset possibilis præseruatio etiam eiusdem debiti, per non inclusionem in pacto, factam ex meritis Christi, quatenus est præseruatio, ut impeditur tandem in B. Virgine culpa, imò etiam necessitas illius. Quare potest dici eminens remissio illius. Quomodo autem potuerit fieri exclusio à pacto per merita Christi patientis opportuno loco cum multis Auctoribus explicamus, qui ingeniosissimos modos inuenerunt alleuerandi carentiam debiti in Deipara, per Christum Redemptorem. Idonea igitur non apparet suppositio Patris Suarez, Quoniam B. Virgo habitura esset gratiam Christi, & sanctificata foret in primo instanti per gratiam Christi, qui eam exclusit à pacto eximens à debito, & immunem, per consequens reddidit à peccati contractione.

Ex his possunt solui alia quæ obiiciuntur, quantum ad punctum Redemptionis, & modum iustificationis, redemptiæ à peccato, sed à nonnullis uidetur confundi hæc tractatio. Quoniam licet fateantur, esse duplex genus redemptionis; vnum exepitiue, alterum præseruatiue, dicantque Beatissimam Virginem præseruatam fuisse, eique tribuant redemptionem præseruationem, in id incidunt, ut tandem tribuant exepitiuam, non præseruatiuam, cum uelint fuisse redemptam à Christo per positiuam liberationem à culpa. Itaque non insistant in via præseruationis; sed transiliunt in viam liberationis; nos autem insistimus semper in via præseruationis, quæ secundum S. Augustinum sufficit ad Redemptionem, & est nobilior redemptionis genus & maioribus gratiis dignius, præseruatam fuisse Virginem non solum à culpa, sed à debito eius, & translatam ad gratiam, in sua sanctificatione à potentia, & periculo culpæ, qua remote fuisset.

§. VI.

Occurritur difficultatibus ex Scriptura.

Aliqui Auctores efficaciter putant argumentari aduersus carentiam debiti, hac ratiocinatione, quod Scripturæ generaliter statuunt, omnes in Adamo mortuos esse, & per Christum esse suscitatos. Si unus pro omnibus mortuus est, (Inquit Apostolus 2. Cor. 5.) ergo omnes mortui sunt, nihil autem suppetit firmum, ad limitandum hunc locum & similes, ita ut B. Virginem non comprehendant. Quod enim limitamus generales loquutiones, quibus omnes ordinaria via progeniti dicuntur concipi in peccato Originali; nec patimur iis locutionibus comprehendere B. Virginem; grauiissima causa cogit; ne sacrarium Spiritus sancti, mancipemus peccato mortali, Quale est originale. At debitum contrahendi hoc peccatum dum modò careat actu, nihil continet indignum Deipara. Quare dicunt nihil referre ad solida Virginis decora, quod dicatur non habuisse hoc debitum contrahendi peccatum originale. Nam illa duntaxat sunt remouenda à B. Virgine, quæ dedecent dignitatem Matris Dei, & pugnant cum maiore perfectione, & sanctitate, cuiusmodi est peccatum, & imperfectiones excludentes perfectionem. Atqui hoc debitum non est eiusmodi, neque enim pugnat cum gratia sanctificante; neque excludit perfectionem maiorem, vllamve simpliciter dictam perfectionem, quæ ad animæ bonum pertineat. Est quippe mera necessitas, subiaccendi peccato, consequens conditionem naturæ humanæ talibus circumstantiis spectatæ, hoc est prout dependetis à tali capite physico & morali: quæ conditio est aliquid mere indifferens, & probe cohæret cum gratia sanctificante. Nec enim infert de facto peccatum, tamen inferret, nisi prohiberetur per ante occupationem, & præseruationem. Igitur non plus probosum est Virgini habuisse hoc debitum, quam fatam esse & procreatam; ordinario modo ac proinde sine causa inter decora Virginis proponitur carentia debiti peccati Originalis, ab iis præsertim qui non abnuunt Virginem habuisse illius debiti debitum; quod vocant obnoxietatem ad peccatum originale. Cum enim in ea obnoxietate, & debito æque connotetur peccatum Originis, ac in ipso debito; tamen vno, immediate & proximè, in altero mediâtè, ac remote; quod parum defert; cum neutrobique contineatur peccatum formaliter: profectò si debitum peccati fordet, & deformitatem aliquam continet indignam Dei matre, non minorem continere censendum est debitum debiti, siue obnoxietas ad peccatum, quæ à prædictis aduersariis, Virgini absque scrupulo conceditur. Dummodò ergo Virginem incursum peccati originale eximamus, per immisiam ei diuinitus gratiam in puncto generationis; satis, superque prospectum erit eius honoribus, dimisso licet, imaginario decore, per exclusionem peccati Originalis.

Miror ab homine docto posse affirmari, æque exaltatam manere gloriam Virginis cum debito peccati Originalis, ac sine illo, & quod idem est, concepta semel sine peccato contracto, nequaquam accrescere aliquid suæ munditiæ, quod debito peccati etiam caruerit. Si debitum peccati est quod sonat, scilicet vera obligatio ad peccatum,

tum, nam si aliud volunt significari, de nomine disceptandum erit. Si autem debitum est verum debitum quæ est obligatio absoluta, & necessitas vrgens: Reuera magnum discrimen est ampliandæ supremæ puritati Matris Dei in carentiâ debiti, aut in obligatione contrahendi peccati. In primis quia hanc obligationem, aut necessitatem vocauit S. Thomas 3. p. *maculam peccati*. Addere autem Virgini aliquam maculam, vel subtrahere magnam necesse est circa puritatem, inferri differentiam, aut maioris gradus ampliatione, aut minoris restrictione. Deinde hoc debitum supponit aliquod ius Diaboli in personam illud habentem, quoniam debitum, quod est obligatio debitoris, idem est ius creditoris; quapropter si Virgo sanctissima habuit peccati debitum, habuit quidem in illam ius ipsum peccatum, siue per peccatum Diabolus; inter tribuendum autem Diabolo quodcumque genus conditionis, aut ius in B. Virginem, aut auferendum, interuallum est. Deinde si ad Virginis summam puritatem expectat fomitis ablatio, aut saltem ligatio, qui solum est inclinatio ad peccatum, non autem necessitas neque obligatio, quanto magis attinebit ad eius puritatem negatio debiti, cum debitum sit necessitas, & obligatio ad peccatum Originale. Accedit ad hæc quod negari minime potest maiorem Virginis puritatem esse, caruisse non solum peccato, sed etiam debito eius. Nam cum puritas sit recessus ab immunditia peccati, & maior recessus sit maior puritas, prout docuit sanctus Thomas, & sit euidentis, quod magis recesserit B. Virgo à peccato per carentiam debiti eius, sequitur esse causam sufficientem, vt ipsi negetur debitum, & necessitas peccati Originalis.

Neque etiam negari potest, quin hæc carentia debiti fuerit, gratia & beneficium singulare, in quo prælata fuerit sanctissima Virgo cæteris hominibus; inter habendam autem singulare hoc beneficium, aut carendam illo non potest non esse diuersitas magna. Quod vt magis explicemus, per comparisonem aliquam, hoc proponam exemplum. Si fuissent duæ personæ ex filiis Adæ, quæ per priuilegium carerent peccato Originali, sed cum hoc discrimine; quod vna habuisset debitum illius, & solum præseruata fuisset à peccato contrahendo. Altera, quæ non solum à peccato præseruata esset, sed etiam à debito illius, nunquam que obligata esset ad illud contrahendum. Nonne hæc vltima honorificentius fuisset præseruata, puriorque habita, quam illa quæ habuit debitum, & necessitatem peccati contrahendi? quod, si inter has duas personas, est discrimen maioris honoris, & puritatis in illa, quæ caruit debito, cur negandum est maiorem Virginis honorem esse carentiam debiti.

Miror profecto etiam Patrem Suarez, & alios quod dicant nihil honoris adici B. Virgini per carentiam debiti; cum ij ipsi supponant aliquam maculam, & seruitutem; ac proinde turpitudinem, in ipso debito, quam volunt extinguere positiuè per redemptionem liberatiuam, quæ remissiuua sit culpæ, in illiusque abolitione fundant Christi Redemptionem erga B. Virginem, quæ circa debitum nequaquam volunt esse præseruatiuam, sed liberatiuam, & positiuam. Vnde ipsimet videntur sibi contradicere, alioqui fateri tenerentur minorem Deiparæ honorem fuisse debitum peccati.

Præterea quæcumque superius proposuimus comprobaturi carentiam debiti, poterunt allegare sufficiens causa interpretandi Scripturas in fauorem eius, tum maximè cum sint Scripturæ, quæ eandem carentiam significent, atque optima regula interpretandi Scripturas est, quædam illius loca per alia eiusdem explicare.

§. VII.

Consideratur Concilium Tridentinum.

Sunt etiam aliqui, qui nihil fauisse Tridentinum carentiæ debiti præscribant, atque idcirco frustra ab aliquibus induci, vt det licentiam non solum ad eximendam Virginem, à peccato originali, sed etiam à debito eius, quia hoc nec est iuxta mentem, nec iusta verba eius, quia expresse ait: non esse intentionis suæ comprehendere immaculatam Virginem in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur. Constat autem non esse idem agere de peccato originali & agere de eius debito, de quo nihil omnino tractat Concilium, nisi quod in can. 2. attingit, quod Adam peccando sibi, suæque posteritati nocuit, transfundendo in descendentes non solum pœnas, sed etiam culpam, & ad hoc solum allegat locum Pauli, Roman. 5. in vltimis verbis colligendo ea ex transfusione peccati, quod amplius declarat remittendo ad Extrauagant. *Græue nimis*, Sixti IV. quæ etiam solum agit de immunitate peccati originalis, & non debiti. Hæc Suarez. Cui respondere posset aliquis, eo ipso quod Concilium remittat ad Extrauagantes Sixti IV. in quibus approbatur & commendatur officium Nogarolis; fuit propterea carentiæ debiti, quæ multipliciter indicatur, in dicto officio, & rememorari possunt testimonia supra producta.

Miror tamen, quod in alicuius mentem potuerit venire Concilium Tridentinum non egisse de debito, cum satis clarè explicauerit Dei matrem ab Adam, debitum, & obligationem peccati in suos posteros. Quid aliud fecit cum dixit: *Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini, asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem, & iustitiam, quam perdidit; sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse: &c. anathema sit.* In his verbis, loquitur Apostolus de debito, & obligatione contrahendi peccati originalis in quam præuaricatio Adami abiicit suos posteros, & per quam transfusum est in illos peccatum primi Parentis. Quod magis confirmatur ex eo, quod in sequentibus definitionibus, descendit Concilium ad tractandum de ipso peccato originali contracto in omnibus qui nascuntur, Adæ filij; sic definiens. *Si quis paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam; unde sit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit.* Cum igitur prædicta contineantur in decreto de peccato originali, & Concilium declarauerit non comprehendere Deiparam in illo decreto, necesse est, vt in neutro voluisset comprehendere illam, nec in peccato contracto, neque in debito

contra

contrahendi. Vnde quidam Doctor aptè dixit: duo secum importat peccatum originale: Primum quod omnes præfati posterius per filiationem, quorum ipse est caput obligentur debito peccati originalis incurrendi. Alterum quod animati & iam filij subeant reatum peccati eiusdem. His sic positis definit Concilium non esse suæ intentionis, comprehendere sub hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem MARIAM Dei Genitricem. Ex quâ definitione videtur sequi, siue Concilium intelligatur de debito; siue de reatu, quæ duo insunt peccato originali, ex intentione Concilij hæc duo remouenda esse à Sanctissima Virgine. Concilium ergo sequitur D. Augustinum, qui propter honorem Domini, cum de peccatis agitur nullam vult institui questionem de sanctissima Dei Matre. Rationem addit Diuus Augustinus, vt scilicet ex omni parte vinceret peccatum. Si enim Concilium iudicasset illam obnoxiam peccato, & illius incurrendi debitum habuisse, non posset illam excipere, quia potius oppositum asserere deberet, suæ intentionis esse illam comprehendere. Cum ergo Concilium definiat, omnes Adami posteros esse debitores peccati & statim subiciat, suæ intentionis non esse, Virginem immaculatam, (atque idè crediderim hoc titulo à Concilio insignitam) eo decreto includere, quocumque modo pactum, & legem disponamus, semper id relinquatur, SS. Virginem immaculatam pactum non intrasse; atque adè non solum à culpâ, sed etiam à debito immunem esse. Videtur ergo ex mente Concilij excepta B. Virgo à lege generali, quod est conforme menti Diui Augustini, qui serm. 3. de assumptione, exceptit illam à lege communi. *Non immerito, inquit, à quibusdam legibus generalibus vera existimatione excipitur, quam tanta seruauit gratia, & attollit dignitatis prerogatiua.* Et Paulò antè. *Promeruit hoc singularis Sanctitas eius, & gratia.* Si Assuerus Esther. 5. suam coniugem voluit excipi à lege, an non Magnus Deus suam charissimam matrem nollet exceptam esse à lege communi reorum? Quare non nisi alto consilio vocauit Concilium Matrem Dei immaculatam Virginem: & in hoc sequitur Consilium Toletanum vndecimum in professione fidei, ubi & vocat Matrem Dei *Immaculatam*: Et dicit solam filij personam, *pro liberatione generis humani hominem verum sine peccato, de sancta, & Immaculata MARIA Virgine, credimus assumpsisse.* Sic & sexta Synodus Constantinopolitana Actio 8. loquitur: *Confitemur Iesum Christum incarnatum esse de Spiritu sancto, & sancta, immaculataque Domina nostra Dei Genitrice semperque Virgine MARIA.* Et Nicæna Synod. II. act. 6. vocat incontaminatam Deiparam semper Virginem. A Concilio ergo Tridentino, & aliis Conciliis, cum sanctissima Virgo dicatur immaculata, & incontaminata, quo pacto talis erit, si fuerit scelerate Originali contaminata, maculataque? Dicamus ergo cum aliis Patribus Sanctissimam, & Immaculatam Virginem fuisse exceptam à regula communi, nec fuisse comprehensam in pacto Adami, quo omnes posterius obligati tenebantur.

Deinde, quamuis Concilium nihil declarasset, nec directè loqueretur de debito, cum suam declarationem circa peccatum originale inferat ex loco sancti Pauli, *Omnes in (Adami peccauerunt, bis repetito, ibique) Apostolus loquitur de de-*

bito, & addat Concilium suæ intentionis esse, non comprehendere Virginem in illo decreto; videtur loqui de vtroque, tum de peccato Originali, tum de debito, de quo loquitur Paulus, saltem quidem non potest dici comprehendisse Virginem in illo loco Apostoli; sic etiam nec poterit dici comprehendisse illam in debito; imò potius noluisse comprehendere. Quoniam sicut sua intentio non fuit comprehendere in effectu, videtur etiam non comprehendisse in causa. Quod autem sancti Pauli sententia loquatur de debito, egregiè perdocti Francisci à Cruce, ex Prædicatorum familia, ratio explicat, quia verificaretur, etsi omnes post Adami peccatum sine eo concepti essent. Poterat namque Deus à nexu in Adamo totam absoluere naturam, tuncque omnes sine peccato conceptos, & in Adamo peccasse esset dicendum, quia vt sit verum; omnes in Adam peccauerunt, sat est, vt in protoparente tota natura fuerit infecta. Quod verificatur eo præcise, quod Adam fuit lapsus, quanquam post lapsum totum liberaretur genus; concipi enim sine peccato, est quid personale personæ existenti competens.

Omnes namque in Adam peccasse, non est formaliter aliquem in persona deliquisse; sed in origine totam naturam infectam fuisse, & idè omnes participantes naturam, participare peccatum. Nam eo modo, quo in Adam sunt, peccasse dicuntur; quod non tollit posse, sine peccato concipi, sicut nec esse: cum posse in origine à peccato redimi non opponatur successiue ad id quod est peccasse in illo.

Quod manifestum sic facio. Omnis propositio de præterito, eo est vera, quia in aliquo tempore præsentis fuit vera: ergo est verum omnes in Adam peccauerunt: quia in aliquo præsentis fuit verum, *Nunc omnes in Adam peccant.* Quod contigit tunc temporis quo committens erat peccatum; at tunc nemo filiorum eius existerat, & tantum erant in ipso, vt in origine: ergo de omnibus, vt in origine, verificatur propositio in rigore sumpta; aliter de non existentibus prædicari posset esse peccatores, cum eo tempore, quo non erant, peccare affirmaretur, quod improbabile iudico; quia peccatum cum sit valde accidentale homini inest ei existenti. Doctor Sanctus, 3. p. q. 27. art. 2. nec iungitur in propositione, nisi secundum regulam accidentalium suppositionis, *Quæ est acceptio termini pro aliquo de quo verificatur secundum existentiam temporis importatam per verbum; propter indifferentiam prædicati cum subiecto.* Quare vt sit vera propositio de præsentis necesse est quod vtrumque extremum existat, & pro eodem supponat, si affirmatiua est; quod si fuerit de præterito idem requirit in aliquo transacto præsentis: ergo in sensu rigoroso litteræ, concedenda est absolutè prædicta Apostoli propositio, ex eaque nihil aduersus intentum sequi dicendum, cum quo tamen stat omnes contraxisse originalem culpam, & contrahere, eo quod in Adamo peccauerint; quia ex hoc necessariò sequitur illud, si in Adamo non sunt redempti, vt non esse secundum fidem, ex Concil. Trident. sess. 5. can. 2. est tenendum, non comprehensa Beata MARIA Virgine ex eius mente.

§ VIII.

Satisfit authoritatibus Sancti Zosimi, & Sancti Augustini.

Post hæc omnia contrariorum potissimum fundamentum, ad negandam debiti carentiam in B. Virgine, repetitur ex S. Augustino epist. 157. dicente conformiter ad Zosimum summum Pontificem, quem ibi refert: *Nullus enim, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captiuus.* At Beatissima Virgo consequuta est libertatem ex merito Christi Domini fuitque ab illo redempta; ergo debuit esse serua, & captiua peccati; sed non fuit talis quoad actum peccati & seruitutis; ergo quoad debitum: sicque quamuis non contraxerat de facto peccatum Originale, habuit tamen debitum contrahendi illud, & sic fuit inclusa in pacto inito cum Adam, dicitur esse filia eius, & peccasse in illo.

Ad quam obiectionem Respondent præsignes Doctores Parisienses, & alij Doctissimi, quod S. Zosimus, & sanctus Augustinus procedunt tantum de ea redemptione, qua communi lege omnes redempti sumus per Christum. Cum enim ibi loquatur de peccato Originali, & eius transfusione à parentibus in suos paruulos sicut in aliis locis eiusdem Augustini in sua disput. de peccato originali non comprehendit Beatissimam Virginem, ita etiam nec hac speciali redemptione, quæ de facto supponit peccatum fuisse in illo, qui redemptus est, præsertim cum ibi etiam agat de peccato originali.

Præterea cum sanctus Augustinus expresse agnouerit in commentariis super psalmum octuagesimum quintum, liberationem & Redemptionem præseruatiam, nequaquam dici potest requisisse ad Virginis Redemptionem, taliter veram captiuitatem, vt actu & à parte rei fuerit captiua, in ipsoque captiuitatis termino posita, sed solum in potentia aliqua, & periculo captiuitatis. Vnde quod dixerit sanctus Augustinus, *vere fuerit ante captiuus*; in B. Virgine sumenda est illa veritas obiectiue non subiectiue, ita vt quicumque fuerit redemptus à Christo, debuerit esse, aut in damno, aut in periculo veræ captiuitatis, qualis est peccatum, & ideo Christus dicitur redemptor peccatorum actualium, à quibus præseruat iustos, ne illa committant, quamuis nullam de facto captiuitatem illorum peccatorum fuerint experti, sed solum habuerunt periculum incurrendi in illa. Itaque illud *vere* non est absolute intelligendum pro actualiter, & de facto in subiecto reali, & actuali captiuitate obstricto, sed in obiecto ita vt captiuitas, à qua liberatur, incurta, siue incurrenda, fuerit vere captiuitas. Considerandum quoque est, aduerbium illud *verè*, non tam applicuisse sanctum Augustinum, ad nomen *captiuus*, quam ad nomen *peccatum*, vt insinuaret qualitatem, seu formam abstractam illius captiuitatis, à qua liberat Christus, siue præseruatia fuerit, siue ereptiua, esse veram captiuitatem per peccatum, quia est essentialiter captiuitas, quasi diceret seruitutem ratione peccati, esse veram captiuitatem, & obiectum veræ liberationis siue Redemptionis, quia est illa seruitus, quam verissimam captiuitatem facit

peccatum. Idem sanctus Augustinus non dixit *vere captiuus*. Sed *vere per peccatum captiuus* itaque præcipue respexit Augustinus ad qualitatem veræ captiuitatis potius quam ad actualitatem eius, hoc est attendit magis ad captiuitatem, quæ esset magis obiectum Redemptionis veræ, quam ad illam contractam, de facto in subiecto.

Denique si aliter sumeretur illud *vere* strictim applicitum ad nomen *captiuus*, ita vt veritas captiuitatis comprehendat actualitatem eius contractæ realiter in subiecto, vt persona sit de facto captiua, idem argumentum ex verbis Augustini aduersus immaculatam Conceptionem Virginis fieri potest, ac aduersus carentiam debiti, quoniam persona Virginis nunquam fuit vere, & realiter captiua, quasi de facto fuerit posita in captiuitate, quam reuera, & actu exercito contraxisset, quod minime illi accidit, sed fuit obnoxia solum veræ captiuitati, in quam incurreret, nisi præseruaretur. Hanc autem obnoxietatem, plus minus vel propinquam semper habuit, siue immaculata solum concepta, siue carens etiam debito. Verum actualitatem realiter veræ captiuitatis, in neutro euentu experta est, quippe quæ nunquam fuit cum nota illa seruitutis, quamuis fuisset in potentia, & periculo, vnde nunquam fuit vere captiua, eo sensu quo sunt cæteri filij Adæ, qui generantur verè captiui de facto per contractionem peccati Originalis. quare argumentum sumptum ex autoritate S. Augustini non habet specialem vim aduersus debiti carentiam, quam non etiam habeat aduersus carentiam peccati Originalis.

Consimili ad vtrumque gressu procedit pulchra ratiocinatio Cardinalis Parmarij in pulcherrimo quodam sermone de Conceptione: vbi inter alia hæc eloquitur doctissima, & elegantissima Purpura.

Exodi 1. v. 17. Leuit. 20. v. 9. Prou. 20. Matth. 15. Marci. 7. Filius Patri, vel Matri si maledicat, nefaria res censetur. At vero quisquis Originali inquinamento contaminatus est, est filius iræ, Ephes. 2. v. 2. Peccator in condemnationem, Rom. 5. Et Matth. 25. Iudex condemnandos vocat maledictos. S. Gregorius, ait à Iob cap. 3. & à Ieremia cap. 20. maledictam vocari noctem in quâ conceptus est homo, idem quia ibi est peccatum Originale. Heu quis ausit credere, quod filius, quo melior filius nunquam fuit, irato aliquando oculo matrem aspexerit, vel maledicto subiectam viderit? vt ne Pomponio illo Attico quasi inferior videatur, qui iuratus affirmavit, se cum Matre nonagenariâ nunquam in gratiam rediisse, quia nunquam aliquid dignum veniâ intercessisset. Ad hæc filij etiâ propriis periculis parentum honori consultum volunt, ac vitæ. Aeneas Anchisen è Toiano incendio effert per flammam, & mille sequentia tela. Simon Patri sepulcrum voluntariis vinculis emit. Quid tale pro Matris suæ honore Christus, qui id solâ voluntate citrà sudorem potuit, vt illa originali fæditate nunquam sorderet? Id si non fecit, quomodo illam honorauit? In luto illam reliquit, vt postea elueret? In dæmonis captiuitate, in Dei maledictione, in statu, quo damnationem æternam commerebatur, illam prius esse passus est, vt illam postea adornaret: & prius hostibus suis ludibrio esse permissam, sibi postea dilectam deligeret? Si forte integrum esset mortalibus, matrem sibi suo eligere arbitrato vti Deo integerrimum fuit? Ecquid putas?

putas? Eſſetne quiſpiam filiorum, qui talem ſibi Matrem eligeret, quæ prius infami quapiam notâ, fuerit indecenter infamis? Certè inter homines immortaliter infamis haberetur, qui Matrem, qui ſponſam citrà ſudorem omnem, à Tartarorum, ſeu Ethnicorum captiuitate ſecuram ſeruare poſſet, neque tamen ſeruaret? Quanto id minùs decet de Deo cogitare?

Matrem ſuam, pluribus corporis, animique dotibus ornauit Deus, corpus illi ſemper Virgo, partus citrà dolorem, facta eſt mater Dei. Anima nullo vnquam peccato inquinata, & admirabilibus beneficiis cumulata. Si penes MARIAM fuiſſet alterutrum eligere; maluiſſet hiſ donis omnibus carere potuiſſe, quam, vel vno noctu oculi in Diuinæ iræ, & maledictionis ſtatum incidere. Si cum Mathatia, vel Suſannâ eligenda ſit, vel gratiæ Dei per peccatum, vel famæ, ac vitæ iactura; ſine peccato: imò infernus ipſe, iuxta Anſelmi, Chryſoſtomique ſententiam: infamia, mors, infernus, præ peccato eſt eligendus. Nec dignus eſt amari à Deo, qui aliquid pluris æſtimat, quàm gratiam Dei. Si itaque Mater Dei maluiſſet illis animi, corporiſque dotibus potiùs carere, quàm exitialis illius labis notâ inquinari? quis credat, quòd ille Deus, qui Adam, & Euam, qui Angelos abiq; vllò inquinamento creauit, id negauerit matri luæ, quam hoc deſideraturam ſciebat, ſi illi delectio offerretur? Hactenus Cardinalis Pazmanius.

In prædictis verbis, & rationibus quatenus ſupponitur Virgo ſecuram fuiſſe à captiuitate Diaboli, nec magis inquinatam, quàm fuerunt Angeli in ſua creatione, negatur Virgini debitum peccati, quâ notâ, & nãuo puritatis caruerunt Angeli creati omninò ſine vllâ ſpecie inquinamenti.

§. IX.

Mens Sancti Zoſimi ex Pelagio colligitur.

VERùm vt mentem S. Zoſimi penitiùs confeſſamur, oportebit cum Wadingo altiùs petere Pontificiæ definitionis originem, cauſamque propter quam, & tempus, in quo ſuam hanc ſcripſerit Pontifex epistolam, eſſe conſideranda, vt quid hiſ verbis voluerit, genuino percipiatur. Sub hoc Pontifice, & eius prædeceſſore, Innocentio, ſuum virus ſparſere Pelagius & Cæleſtius, cùm Romæ, vbi diù vixerunt, tum in Africa, in quam peſtifera illorum doctrina ſerpendo perualerat. Inter cæteras ſuas Hæreſes, cùm illam docuiſſent, quod paruulorum neminem obſtringat Originale peccatum, quodque peccatum Adæ ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum, & quod infantes, qui naſcuntur in eo ſtatu ſint, in quo Adam fuit ante præuaricationem. Tamen aperte infantibus lauacrum regenerationis, & peccatorum remiſſionis, non audebant negare, quia hoc, inquit, Auguſt. lib. 2. contrà vtrumque, c. 1. *Chriſtiana aures ferre non poterant.* Et Cæleſtius in libello, quem Romæ edidit, infantes dixit: *Debere baptizari in remiſſionem peccatorum, ſecundùm Regulam vniuerſalis Eccleſiæ, & ſecundùm Euangelij ſententiam.* Pelagius etiam in libro fidei ſuæ, quem ex Africâ Romam cum ipſis

litteris Episcoporum Concilij tranſmiſit; dixitque: *Baptiſma vnum tenemus, quod iſdem Sacramenti verbis infantibus, quibus etiam in maioribus dicimus eſſe celebrandum.* Ad quæ verba coram & palam ab ipſo Pelagio repetita; ſed dicunt lætatos fuiſſe, (vt refert Auguſt. ait: cap. 1.) Albinus Pinianus, & Melina, ad quos ſuos dirigit contra Pelagium, & Cæleſtium libros, putantes iam conſequenter & neceſſariò eos admiſiſſe originale in infantibus reatum. Nec mirum, quia vt idem Auguſtinus ait: cap. 1. *Quis poſt iſta verba putaret, eis de hac re vllam mouendam eſſe quaſtionem, aut cùm faceret non calumnioſiſſimus videretur?* Et quis ſuſpicaretur non merito, & iuſtè conqueſtum Pelagium litteris Romam miſſis ad Innocentium, ſed Zoſimo ſucceſſori porrectis. *Sed videlicet ab omnibus infamari, quod negat paruulis Baptiſmi Sacramentum, & abſque Redemptione Chriſti aliquibus calorum reſignia promittat.*

Quàm fraudulenter autem, & ſimulatoriè hæc admitterint vaſer magiſter, & callidus diſcipulus, vt Africanos Patres deciperent, & Pontifici ſi poſſent, imponerent, & quibus latebris ambiguitatis, falſitati præparauerint refugia, offundendo Caliginem veritati, ſolertia, & ſancta Episcoporum Catholicorum ſolicitudine detexit. Etenim in eodem libello ſuprà citato inuentus eſt Cæleſtius ſemet poſteà explicatſe? quid ſenſerit per Baptiſmum paruulorum in remiſſionem peccatorum, per hæc verba: *In remiſſionem autem peccatorum baptizandos infantes non idcirco diximus, vt peccatum ex traduce firmare videamur quod longè à Catholico ſenſu alienum eſt, qui à peccatum non cum homine naſcitur, quod poſtmodum exercetur ab homine quia non natura delictum, ſed voluntatis eſſe demonſtratur.* Et illud ergo conſiderari congruum, ne diuerſa baptiſmatis genera facere videamur; & hoc præmunire neceſſarium eſt, ne per Myſterij occaſionem ad Creatoris iniuriam, malum antequam fiat ab homine, tradi dicatur homini per naturam. Et Pelagius in lib. de libero Arbitrio; poſt Paſteſtinum Concilium Conſcripto. *Omnes, inquit, bonum, ac malum, quo vel laudabiles, vel vituperabiles ſumus, non nobiſcum oritur; ſed agitur à nobis: capaces enim viriſque rei non pleni naſcimur; ſed vs ſine virtute, ita & ſine vitio procreamur.* Atque antè actionem propria voluntatis, id ſolum in homine eſt, quod Deus condidit. Et cum antè damnaret in Synodo Paſteſtinâ, eos, qui tenebant, in illo ſtatu eſſe recentes ab ortu paruulos, in quo Adam fuit antè præuaricationem, poſteà conſtituit, id eum anatematiſſe, vt Catholica Synodus falleretur, ne nouus ipſe Hæreticus damnaretur: nam poſteà diſcipulis, ſibi obiecta damnatſe, ipſe reſpondit, *Quia, inquit, intellexit, non tantum primo homini; ſed etiam humano generi primum illud obſuiſſe peccatum, non propagine; ſed exemplo, id eſt, non quod ex illo traxerint aliquod vitium, qui ex illo propagati ſunt; ſed quod cum primum peccantem imitati ſunt omnes, qui poſteà peccauerunt.* Ex quibus locis euidenter inferitur eos intellexiſſe Baptiſmum quem miniſtrandum infantibus in remiſſionem peccatorum dicebant, nullum in eis delere peccatum, quos peccatum nullum habere docebant; ſed ad ingreſſum Cælorum, & ad alios fines eis eſſe conferendū, vt egregiè hiſ carminibus expreſſit D. Proſper, libro de ingratis ad initium, Pelagium docuiſſe.

Tam diues vero hoc donum baptismatis esse, Et tam multa homini conferri fœdere in isto, Vt paruis etiam, vitio que carentibus omni Congruat, vt qui sunt geniti benè, sint meliores.

Natura que bonum adiecto illustretur honore. Nullum autem ex cunctis exortem muneris huius.

Iudicio genitum esse Dei: sed quemque mereri Libertate suâ, vt capiat promissa vocantis Que sint auersis indebita, debita rectis.

Hæc ergo variorum istorum Hæreticorum perniciosâ dogmata voluit Zosimus euertere, & scriptis literis per orbem catholicum perferendis vt refert August. cap. 21. execrandas has assertiones atexit & refellendo damnauit. Has autem ipsas esse literas, quarum fragmentum Augustinus refert Epistolâ illa ad optatum, licet aliundè non extent, mihi certè persuadeo. Ipsam enim hanc horum versutiam, & fraudulentas euasiones ponderatis, & ad stateram libratis, verbis confodit. *Fidelis, inquit, Dominus in verbis suis, iniquè Baptismus re, ac verbis, idest opere confessione, & remissione vera peccatorum in omni sexu, atate, conditione generis humani, eandemque plenitudinem tenet. Nullus enim, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captiuus: sicut scriptum est. Si vos filius liberauerit, verè liber eritis: per ipsum enim renascimur spiritualiter, per ipsum crucifigimur mundo: Ipsius mortis, mortis ab Adam omnibus nobis introducta, atque transmissa vniuersa anima illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum antequam per baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.*

Aduerte, Quæso, quàm distinctè, quàm clarè his verbis fraudulentias illas euertit. Non nasci eo modo infantes, quo fuit Adam antè præuocationem, sed etiam propagine contra Pelagij & Cælestij Hæreses, definit formalibus, & præmeditatis illis verbis *mortis ab Adam omnibus nobis introducta, atque transmissa Vniuersa anima illud propagatione contractum Chirographum rumpitur, in quo nullus omnino natorum, antequam per Baptismum liberetur, non tenetur obnoxius.* Baptiza-

ri etiam paruulos non solum iisdem verbis, quibus maiores, vt illi admittunt, sed etiam eadem re & effectu, in veram scilicet remissionem peccatorum anterioribus Verbis. *Fidelis, inquit Dominus in verbis suis* (quia scilicet non mentitur in institutione formæ Sacramenti) *eius qui Baptismus, re, ac verbis idest opere, & confessione, ac remissione vera peccatorum in omni sexu, atate, conditione generis humani eandem plenitudinem tenet; & rationem subiungens argumentatur ad hominem, qui à admittebant paruulos per Christum in Baptismo redimi, & liberari dicens. Nullus enim, nisi qui peccati seruus est, liber efficitur, nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit antè captiuus.*

Ex quibus adeò diffusè, sed non inutiliter spero, nec iniuncundè deductis, euidenter elicitur, sermonem his verbis sancto fuisse Pontifici de liberatione, & Redemptione per Baptismi sacramentum, per quod sanè nullus redimitur, nec liberatur, nisi qui fuit antè captiuus, per contagium quod ex Adam nascendo contraxit, id que ipsum intelligendum esse de lege communi, & ordinariâ; nam & qui sanctificaretur in vtero veluti Ieremias, & Ioannes Baptista, & postea baptizaretur, & Apostoli, a què illi, qui in exordio nascentis Ecclesiæ à iudaismo, vel Gentilismo conuertebantur ad fidem, quorum aliqui poterant accedere absquè aliquo peccato actuali, eodem, quo nos baptismo baptizabantur, & tamen non ita ad remissionem existentium peccatorum, nec vt tunc redimerentur à captiuitate, vel seruitute, sed ad alios fines. Loci huius genuinum hunc sensum attingit Didacus à Payuâ his verbis: *Nemo nostrum infictatur verè nos per Baptismum à peccato liberari, quòd persuadere Zosimus voluit, atque ex singulari, atque in splenti beneficio tribuuntur, non sunt ex communi lege existimanda; nec proinde contra peculiarem, & singularissimum modum redimendi per præseruationem à peccato, quidquam hic locus de Redemptione, vel liberatione communi per Baptismum definit quod aptè considerauit Wadingus. Et quidem mens sanctorum Patrum exploranda est circa subiectam materiam errorum, quos intendunt confutare.*




IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII
 E SOCIETATE IESV.

D E

CONCORDIA DEBITI CVLPÆ,
 negati in Deipara, cum gratia
 Redemptionis.



VAMVIS aliquibus Scholasticis arduum videatur, negare debitum Originalis culpæ in Deipara, vt locum darent Redemptioni eiusdem per Christum, conabor penitus ostendere, quàm rationabilis sit hæc negatio debiti, quàm facilis, quàm necessaria, ita, vt sit impossibile hoc debitum in Matre Dei: quod multis modis, & secundùm multiplices Scholasticorum sententias nauabo illustrare; imò, quòd in omnium sententiis sit ita dicendum, negandùmque reale debitum in Deipara, neque illi possit quisquam contradicere, nisi quæstionem agitet de nomine, potius quam de re. Probabo primùm, Virginem per merita Christi non fuisse inclusam in Pacto cum Adam. Secundò, ostendam, quomodo, licet per merita Christi præuisa absolute futura non fuerit extra pactum Adami, nihilominus in eo inclusa nequaquam fuit: & tamen potuit esse, & fuit Redempta. Tertiò explanabo, quòd licet fuerit inclusa in pacto per Deum, exclusa tamen opportune fuisset per Christum. Tandem, quartò faciam perspicuum, quòd licet inclusa fuerit, & non exclusa, caruit adhuc reali debito. Atque iuxta hæc quatuor probanda, in quatuor Partes diuidam hoc opusculum: cuius quartam partem nollem à Lectoribus prætermitti; & ne omissionis periculum sit, si defessi ad illam accedant, poterit eius Lectio præmitti, ne prætermittatur.



PARS PRIMA.

*De Beatissima Virgine per merita Christi non inclusa
 in pacto cum Adamo.*



VM Puritas, secundùm S. Thomam, sit recessus à peccato, videretur decere omnimodam Puritatem Matris Dei, non solum carere peccato originali; sed & debito eius, alioqui, non esset summè pura inter creaturas, & super illas: cum multæ sint, quæ non solum peccato caruerunt; sed etiam debito eius, quales sunt omnes spiritus cælestes. Quanta autem

fit ista Gloria Virginis, potest colligi ex eo, quod de Ieremiâ dixit Origenes, quem propter donum anticipatæ Sanctificationis in utero, prætulit aliis Sanctis antiquis, Homil. 1. in Ieremiam, in illud cap. 1. *Priusquam Te formarem in utero, sanctificavi Te, &c. Hoc enim, ait: nunquam ad vllum Prophetarum dictum inuenimus. Abraham Propheta nuncupatus est in eo, quod dicitur, Propheta est, & orauit pro te; & tamen non dixit ad eum Deus: priusquam exires de vulua, sanctificavi te; sed postea in extremo iam tempore sanctificatus est Abraham, quando egressus est de terra sua, & de cognatione sua, & de domo Patris sui. Ex Reprômisione natus est Isaac, & tamen nec ad eum reperimus hunc esse dictum sermonem. Sed quid necesse est per singulos turre-re? Ieremias inter cunctos præcipuum consecutus est donum, dicente Domino: priusquam exires de vulua, sanctificavi te. Hanc Origenis sententiam sic expendit quidam Doctor. Magna itaque, & suspicienda dona; Abrahæ Fides, Moysis Clementia, Dauidis Mansuetudo: Eliæ Zelus; sed præcipuum ob beneficium exultat Ieremias: quoniam licet in peccato conceptus, non tamen natus, quia Matris in utero sanctificatus. Quod si anticipari manditiem originalis noxæ (hoc enim præ reliquis vutibus solum affecutus Ieremias vtque ad Ioannem) tale esse videatur Origeni donum, quod inter concessa veteris Legis Patribus caput extollat. Quale fuisse arbitramur MARIANÆ puritatis Beneficium, cui omnis via destructa est ad peccandum, nec satis fuit omni naxuo caruisse: sed omni etiam culpæ liberanda est debito: concludamus cum his cum quibus allocutus est Sanctus Bonauentura MARIAM Sanctissimam: *Quali perfundebaris exultatione, ô Regina, dum hac considerabas? Quam tibi suauiter accelerat, dum letabunda perpendebas, nihil vnquam in te fuisse, quod Filio non consonaret? O Candoris Miraculum! O Lucis singulare indultum!* Hæc ille.*

Quod si sola priuatio antecedentis sordis per acceleratam & vteralem mundationem tantam Gloriam dedit Ieremiæ; quid faciet totalis negatio maculæ in Beatissimâ Virgine, nunquam vllam experta sordem: quippè in Ieremiâ iam fuit aliquandiu immunditia peccati originarij. At in Beata Virgine nunquam. Philosophi dicunt, à non esse ad esse discrimen esse infinitum: hinc possumus cognoscere excessum Gloriæ Virginæ in quâ non fuit peccatum: in Ieremiâ autem fuit. Sed satis erat breuis eius duratio in Prophetâ, vt gloriosissimum eidem fuerit. Prætereà, Virgo non tantum negata fuit peccato, quod actualiter contraxisset; sed alienata etiam à debito illius contrahendi. Vnde, amplius distabat ab illâ esse peccati. Cæterum, præter eam distantiam immensam, quæ est de non esse ad esse in rebus physicis, considerandum est in peccato aliam vel immensitatem sui effectus: quod colligi potest ex comparatione Sancti Michaëlis, & Luciferi, quantum huic nocuit existens peccatum per vnum instans, & quantum illi profuit non habuisse illud vel per vnum momentum Differentia fuit, æterna felicitas, aut æterna miseria.

§. I.

Mater Redemptoris Nostri non potuit ingredi in Pacto Adami, nec subesse debito peccati.

S. Anselm. lib. de Concept. c. 8. S. Thom. in dist. 17. & 44 art. 3. ad 3.

AD probandum igitur carentiam debiti peccaminosi in Sanctissimâ Virgine, commemorare est opus illud celebre Sancti Anselmi dictum; quod etiam repetit Sanctus Bernardinus Senensis, Sanctus Vincentius Ferrerius, & innumeri alij Doctores Scholastici, & expositiui; nimirum, decere tantâ Puritate nitere Matrem Dei, qua sub Deo maior excogitari non posset; verissima profectò sententia: nam cum hæc decencia spectet ad Deum, spectet etiam ad eius Prouidentiam gratia, & conseruatio Puritatis Virginæ, vnde, recessus eius à sordo peccati, quasi infinitus erit, & qui sub Deo maior esse non

Ioann. Esch. Op. Parth.

possit, cum omnino infallibilis sit Prouidentia Diuinæ Protectionis, & impossibilis suæ gloriæ actio, aut permissio non decora: quare, splendor omnimodæ Puritatis in Dei Matre, qui magnoperè decet Diuinam Sanctitatem, tutissimus & ineluctabilis est. Pertinebat enim ad Deum discernere, siue absolutè, siue sub conditione, Matrem Christi, siqua foret, longè omnino à peccato & debito eius esse, nec aliud permittere, concedendo illi omnimodam Sanctitatem creatam, aut per meram suam gratiam, aut per Merita sui Filij, siue passibilis, siue impassibilis, si huiusmodi Incarnatio fieret; nequaquam autem per merita Adami, hominis puri. Tum quia non decebat, vt quæ esset in tantâ dignitate, qualis est Maternitas Diuina, accepisset gratiam per eum, qui inferiorem sanctitatem haberet: tum quia existente, seu persistente Adam, hominum capite, non fuisset nasciturus Christus, ac proinde nec vlla Dei Mater foret. Quod videtur esse Ecclesiasticus sensus, cum in Ecclesiâ concinatur, alloquente Virginem: *Peccatores non abhorres, sine quibus nunquam foret.* Nec enim tunc genus

humanum

humanum dno Capita habiturum erat, nec decebat Filium Dei collegam habere Humani Principatus, purum hominem. Quod si dicas, posse esse duo Capita, cum subordinatione vnus ad aliud; contra est: quia subordinatum iam non esset caput. Quod si istes, posse sic componi; vt essent duo Principes Humani generis ad diuersa munia; vnus Christus, perquem gratia concederetur: alter Adam, in cuius voluntate esset communicatio illius gratiæ in omne genus humanum. Respondetur, quod maximè derogaret hoc auctoritati Christi, si communicatio suæ gratiæ dependeret non à se; sed ab homine puo, & peccabili; deindè, quod homines deberent immediate gratiam homini peccabili, & non Christo, siquidem non immediate à voluntate Christi acceperunt gratiam; sed propter bonam voluntatem, & obedientiam alterius. Non igitur debuit B. Virgo recipere gratiam ex Adamo, nec decens fuit omnium Reginam, Adamo subiici tanquam capiti. Ad hoc magis comprobandum, suppono, certum, Deiparam Priuilegia omnia nactam fuisse ex Maternitatis Dignitate, quæ Donum fuit Dei, nullo interueniente supposito creato. Cum ergo non fuerit euecta B. Virgo ad Dei Maternitatem per Adamum, & ab hac Dignitate, tanquam à Radice omnem gratiam hauserit, nequaquam Adamus caput B. Virginis, quoad esse morale, constitui potest. Quod hoc syllogismo constare potest. Quidquid gratiæ reapse obtinuit Virgo, in dignitatem Maternitatis Dei refunditur; atqui, hæc dignitas non ei obuinit ab Adamo, nec per ipsum: ergo neque pacto cum Adamo potuit ingredi, in ordine ad gratiæ transfusionem. Ipsa enim B. Virgo est debetrix gratiæ dignitati Maternitatis Dei; non verò Adamo. Dignitas ergo Maternitatis Dei fuit radix, & origo gratiæ omnis in Deipara, propter quam Deus ipsi originalem iustitiam, & innocentiam statum nobiliori modo contulit, quoad intrinseca, quam Adamo, ante Præcepti transgressionem.

Imò gratia hæc B. Virgini maternitatis titulo concessa, altioris est ordinis, & hierarchiæ: quomodò enim sanctificatio cum impeccabilitate, quæ decuit matrem Dei, posset oriri ex homine peccabili. Excelsiorem quidem Gratiam, & sanctificationis modum Deipara habuit, quamvis qui concessus fuit Angelis & primis parentibus in paradiso. Vnde, valde sublimioris gradus, est eius gratia, quam illa, quæ esset in statu innocentiam: quia dignitas matris Dei fuit omnium donorum, seclulâ vnione hypostaticâ excellentissimum, vt ritè expendit Sanctus Bernardus Serm. 61. de B. Virgine, c. 12. illis verbis: *Et quidem, quod Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex naturâ suâ conueniat, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale; imò impossibile est, quod non generet Deum propter suam fecunditatem Sed quod femina conciperet, & pareret Deum; est, & fuit Miraculum Miraculorum; oportuit enim feminam eleuari ad quandam quasi equalitatem diuinam, per quandam infinitatem perfectionum, & gratiarum quam creatura nunquam experta est. Vnde, vt credo, ad illam abyssum imperferntabilem omnium Charismatum Spiritus sancti, quo in B. Virgine descenderunt in horâ Conceptionis intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* Ex quibus rectè deduces, gratiam huic tantæ Virgini collatam in instanti sui Conceptus,

sublimioris esse ordinis gratiâ innocentiam, quæ collata fuit primis parentibus pro illo fœlici statu. Sicut enim Christus, adhuc si sermo sit de gratiâ accidentali, altiorem multò gratiam obtinuit, illâ, quæ in innocentiam statu reperiretur; quia Christi Beatitudo pertinet ad sublimiorem chorû quàm sit reliquorum omnium, siue hominum siue Angelorû. Ita similiter, Beatitudo Deiparæ spectat ad altiorem hierarchiam, quam sit omnium, siue hominum, siue Angelorum Beatitudo. Ergo gratia B. Virginis sublimioris est ordinis, quam sit hominum, & Angelorum gratia, siue illa excellentia sit in gradu specifico, siue indiuiduali: ergo gratia Virgini Matri concessa multò excellentior fuit, quàm illa, quæ ipsi conferretur ab Adamo, si in Innocentiam statu permanisset. Gradus gloriæ, ad quem Deipara euecta est, solum spectauit ad Beatitudinem Hierarchiæ Dei hominis: ergo per illum, & in illo gratiam nacta fuit; non verò per Adamum; cum gratia semper Gloriæ mensuræ respondere solet. Ergo Deipara haud quaquam inclusa fuit in aliquâ parte Pacti initi cum Adamo, neque hic extitit ipsius caput morale, licet ab illo physicè descenderit. Christus itaque solus fuit B. Virginis caput morale, & ab illo, & per illum, ipsiusque meritorum intuitu adepta fuit gratiam sublimiorem omni gratia innocentiam, quæ fuisset in Adamo, eiusque posteris, imò & illâ, quæ Angelis fuit communicata.

Hinc sequitur: Matrem Dei nequaquam fuisse inclusam in Pacto Adami, nec potuisse includi, cum per Adamum nõ esset habitura gratiam; quare, nec per eum posset ab illâ priuari: ex quo etiam infertur, omni prorsus debito caruisse, imò ex vi præsentis decreti aliud esse non posse.

Quod si dicas; benè hoc esse cum formalitate diuinæ Maternitatis, scilicet, Matris Dei, vt talis; sed non quoad entitatem physicam humanitatis: etepim, quoad hanc potuit habere debitum, & includi in pacto, antequam eligeretur Mater Dei. Ad hoc tamen respondeo, quod idem dici posset de physicâ entitate humanitatis Christi, quod similiter posset includi in pacto, antequam eligeretur ad vnionem hypostaticam, & contraheret debitum peccati originalis, nisi nasceretur ex Virgine: vnde dicendum videtur, ante pactû Adami deter minatas esse à sanctissimâ Trinitate duas humanitates, quæ cum fieret incarnatio, eligerentur, vna ad vnionem hypostaticam, alia ad Maternitatem Diuinam; & semper habituræ essent sanctitatem.

§. II.

Ratione etiam Redemptionis non habuit Deipara debuum culpa.

PRæterea, propter excellentiam Redemptionis Christi, non debuit, nec decuit; imò nec potuit Beatissima Virgo debitum habere culpæ originalis: quia iuxta Patres (vt postea videbimus) prædestinatus fuit Christus Dominus redemptor Mundi, ante pactum cû Adamo; imò, ante decretum absolutum creandi cœteras mundi naturas, ac proinde simul cum Christo prædestinata fuit eius Mater, vt sancti Patres, & nobilissimi Theologi affirmant. Nam vt rectè 2. p. tom. 2. q. 27. disp. 1. sect. 3. Mater à Filio non fuit disincta, etiam

etiam in electione diuinâ; quod videtur insinuasse Andreas Cretensis, Serm. de Assumpt. dicens de B. Virgine, *Hæc est declaratio profundorum diuine incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogitatus est ante secula, pluribus congruis Natura, & Gratiâ rationibus.* Idipsum probat ibidem Suarez. Quocirca, doctus, & deuotus Arnestus Pragensis primus Archiepiscopus l. de prærogatiuis Virginitatis c. 125. ait: *est quedam electio excellentissima, que soli Mariæ conuenit, que eligitur ad maternam dignitatem; de qua Psal. 13. elegit eam in habitationem sibi.* *Hæc electio vicinior est, atque propinquior que cogitari possit, illi summa, atque beatissima electioni illius beati hominis electi, & assumpti, in quo habitauit plenitudo diuinitatis corporali:* et S. Epiphanius contra Ariomanitas hæresi 69. *Quandoquidem, ait, ipsa Sapientia edificauit sibi Domum, forsassis à persona humanæ ipsius nature pie dici poterit, ut presentia ipsius in carne, de ipsius Deitate dicat: Dominus creauit me, id est, edificauit me in utero MARIÆ, principium viarum suarum in opera sua. Principium enim viarum descensus Christi in Mundum, est corpus ex MARIÆ quod est assumptum in opere Iustitiæ, & Salutis ipsius.* Quod etiam noster Cornelius notauit in caput Prouerbiorum octauum. Cæterum, Virginitas electio, siue cõditionaliter, siue absolute futura, talis fuit, vt eã sepe diuina possideret Gratiâ, dum crearetur: confirmatur ex sensu multorum sanctorum, & Doctorum Ecclesiasticorum, imò ipsius Ecclesiæ, quæ de Beatâ Virgine in eius Festiuitatibus intelligit illud Prouerb. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum. Antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, nondum erunt abyssi, & ego iam concepta erã.* Unde ab Alberto Magno super *Missus est*, & S. Antonino 4. p. tit. 15. c. 14. §. 3. dicitur Beatissima MARIÆ *Primogenita ante omnem creaturam.* Similiter & Petrus Ieremias, qui etiã olim in Dominicanâ Familiâ, Doctrinâ, & Sãctitate floruit, qui luculenter testificatus est immaculatã Conceptionem; explicans prædictum locum de Puritate Deiparæ, serm. de Beatâ Annâ, ait: *Inuitio, id est, ante initium. & postea Ab æterno ordinata sum; scilicet, in Cõsistorio Sãctissime Trinitatis: nondum erant Abyssi, id est, creature, & Ego iam concepta eram, scilicet, in Mente Diuina.*

Hoc ipsum ratione potest confirmari, nõ solum propter coniunctionem Matris, & Filij; sed propter summum gradum Maternitatis Diuinæ, per quam constituitur B. Virgo excellentior Persona omnium personarum creaturarum, quæ, vt loquuntur multi Doctores, constituit post Deum quasi altiorẽ Hierarchiam, seu Gradum supremum super omnes Angelorum, & Hominum ordines. Sicut enim Christus fuit Primogenitus omnis creaturæ, priusque prædestinatus ante Decretum condendi alias mundi naturas, spirituales, & corporeas; vt ex Scripturâ, & sanctis Doctoribus postea probabitur, Primatuique prædestinationis eius fuit: quia opus Incarnationis, fuit excellentius omnium operum Diuinæ omnipotentia; atque; idcirco debuit primum omnium decerni. Sic etiã, quoniam Mater Dei est excellentius opus inter puras creaturas, attingitque in suã Dignitate genus quoddam infinitatis, excedens; quasi immensè reliquas dignitates, & ordines cælestium Spirituum. Idem decuit etiam post Christum esse Primogenitam creaturarum, & ante omnes reliquas creaturas decretam; quæ maximè decuit ad perfectionem vniuersi.

Vltra hæc Beatissima Virgo spectat ad ordinem Redẽptionis, quasi cõpletum adiutorium illius; nam eã elegit Deus vt Adiutricẽ sui Filij in opere Redemptio-

Ioann. Euseb. Op. Parth.

Redẽptionis Humanæ: quare, decretã Redemtionem per Filiũ Dei, decerneda quoque; erat Adiutrix, & Cor-Redemptrix illius. Cũ autem præuisa fuerit Redemptio ante præuisum absolute futurum Pactum Adami, nequaquam potuit Virgo lædi à præuaticatione illius, cũ præuenta fuerit per consortium prædestinati antea Redemptoris.

Tũ etiam, colligunt ex sancto Paulo graues Doctores, Christum Dominum triplici ex capite immunem fuisse à labe originariã, ac debito illam contrahendi Primò: quia erat verus Dei Filius, ratione vnionis hypostaticæ, quã constituitur Christus etiã vt Homo Filius Dei Naturalis. Secundò: quia ex Matre Virgine progenitus, nullo virili semine, nõ potuit debito originariæ culpæ subiaccere. Tertio: quia fuit à Deo in Mundi Redẽptorem prædestinatus, qui solus titulus, seclusi s aliis, sufficeret, vt debito peccati cõtrahendi liber euaderet, cuius rei ratio efficax est; quippè vniuersorum Redẽptor, oportebat vt ipsius peccati turpi captiuitate, ac seruitute nõ teneretur: talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex sanctus, impollutus, excellentior cælis. Atqui B. Virgo extitit cum Christo Cor-Redemptrix. Ergo procul etiam à peccato, & debito eius.

Quod autem B. Virgo fuerit Corredemptrix data in Adiutorium Redemtionis; sic ex mente antiquorum Patrum, explicat Richardus de sancto Laurentio, lib. 1. de Laudibus MARIÆ: *Fuit Dominus cum MARIÆ, & ipsa cum Domino in eodem labore, & in eodem opere nostra Redemtionis. Mater Misericordie Patrem Misericordiarum adiuuit in opere nostra Salutis: vnde, prædictum erat de prima Muliere. Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adiutorium simile sibi. Illa enim literalis Ena viro suo non fuit in adiutorium; sed in destructorium magis: Hæc autem in Adiutorium: quia in manu Femina tradidit Dominus Sisaram, & vna Mulier Habraea fecit confusionem in Domo Nabuchodonosor.* Huc fleuit idem Richardus lib. 2. locum illum Michæ 6. *Nunquid dabo Primogenitum meum pro scelere meo fructum ventris mei pro peccato anima mea.* Per hæc verba: *Charitate sua, qua vulnerabatur, unigenitum suum dedit pro sceleribus nostris, & Fructum ventris sui pro peccatis animarum nostrarum: tunc impletum est illud, quod de prima Muliere dixerat Deus in figura MARIÆ, quasi loquens de secundo Adam. Non est bonum hominem esse solum: Faciamus ei Adiutorium simile sibi. Nolebat siquidem Deus Pater, si liceat ita loqui, solius Filij morte saluari Genus Humanum, & diabolus condemnari; sed disposuerat in manu Femina tradere Sisaram.* Idem lib. 2. p. 1. *Ipsa enim est causa salutis Generis Humani, & quedam ratio, & complementum post filium suum omnium, quæ facta sunt, & quæ futura sunt.* Consentaneè Sanctus Bernardus serm. de verb. Apocal. ait: *Bonum non erat hominem esse solum; sed congruum magis, vt adesset nostre Reparationi sexus uterque* Exaggeranter loquutus est pius Arnestus Pragensis in suo Mariali cap. 87. *Attende, quàm noua, & quàm mirabilia sunt opera Dei, quomodo ipse innotat signa, & immutat mirabilia. In principio, quippè creauit calum, & terram, Genes. 1. & ornauit, & creauit in ea hominem ad imaginem, & similitudinem suam: & quia non erat bonum esse hominem solum, creauit & ex ipso adiutorium simile sibi, Eccl. 17. hic enim omnino, mutato ordine, creauit Deus nouum super terram, quia formauit hominem id est, Mariam de limo terra,*

Richard. de
Sanct. Laur.

S. Bernardus,

Et spiravit in faciem suam spiraculum vitæ, & facta est, Virgo in animam viventem, viriliter agens & mundi renouationem solerter procurant. Sed quia non erat bonum feminam esse solam, fecit ei Deus adiutorium simile sibi, factus quippe est ei Deus suus in adiutorium spei suæ, quæ vixque erat de hominis redemptione, & mundi renouatione. Fit igitur noua Virgo, & nouus homo, & omnis ornatus eorum. Loquitur hoc modo dumtaxat, vt significaret Deiparam cooperatam fuisse ad Redemptionem cum suo filio; quem tamen non negat primarium, & per se solum sufficientem Redemptorem omnium, & præcipuè suæ ipsius Matris. Magni ponderis verba sunt ad præfens institutum illa Arnoldi Carnotensis, tract. de Laudibus MARIÆ, vbi sic fatur: *Diuidunt coram Patre in terse Mater & Filius pietatis officia, & miris allegationibus muniunt Redemptionis Humana Negotium, & condunt inter se reconciliationis Nostra inuolabile Testamentum: MARIA CHRISTO se spiritu immolat, & pro Mundi salute obsecrat, Filius impetrat, Pater condonat.* Idem inculcat in tract. 6. de verbis Domini in Cruce: *Cooperabatur plurimum secundum modum suum ad propitiandum Deum ille Matris affectus, cum tam propria, quam Matris vota Charitas CHRISTI perferret ad Patrem, cum quod Mater peteret, Filius approbaret, Pater donaret.*

Arnold Carnotens.

S. Ildehonf.

In eandem rem faciunt verba sancti Ildehonfi, lib. de Virginitate MARIÆ, cap. 12. vbi VIRGINEM alloquens, subiicit: *Concedas etiam mihi adherere Deo, & tibi; illi sicut Redemptori meo, Tibi sicut operi Redemptionis meæ. Quod enim in mea Redemptione est operatus, in Tua Persona veritate formauit.* Ibi audis MARIAM, non solum suam Redemptionem in se ipsâ perfecisse; sed etiam omnium Hominum Redemptionem compleuisse, vt scilicet CHRISTI Redemptio, quæ quoad sufficientiam affatim perfecta est, quoad efficaciam singulatim in vnoquoque fungatur effectu.

S. Anast. Sinaït.

Sanctus Anastasius Sinaïta lib. 9. Hexam. de Ecclesia loquens, sic præcipuè commendat MARIAM: *Adhætor Iudæum, & Græcum, seu Gentilem, vt querat, & possideat illam Adiutricem, quam Deus fecit, ad ferendam opem toti Generi Hominum: Adiutricem non carnis, & voluptatis non seminis, & sanguinis Adiutricem, & coniugem, & quæ nequaquam fuit insidiatrix; sed salutaris; sed conseruatricem; sed illuminans; sed beneuola, peccata purgans, non faciens: in Regnum Dei introducens, non ex eo expellens: Adiutricem quæ parit filios vitæ & heredes vitæ æternæ: Adiutricem, quæ Magos fecit Apostolos & facit Publicanos, Euangelistas, redditque meretrices Virgines honestiores.* Sanctus Irenæus lib. 3. contra Valentinum, cap. 57. *Vniuerso Generi Humano causa salutis facta est.* Et iterum: *Quid est, quod sine MARIÆ consensu non perficitur Mysterium Incarnationis? Quia nempè vult illam Deus omnium Bonorum esse Principium.* Sanctus Andreas Cretensis serm. de Assumpt. ait de B. Virgine: *sola præter Naturam ad Naturam renouandam eligitur. Sola seruiit Opifici vniuersæ Naturæ.*

S. Irenæus.

S. Andr. Cretens.

S. Antoninus

Idem Sanctus Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 14. verba illa: *Cum eo eram cuncta componens.* B. Virgini aptat cum Ecclesiâ, subditque: *scilicet recreando quæ per culpam destructa erant.* Ipsa Deipara Sanctam Birgittam lib. Reuelat. cap. 35. sic allo cuta est: *Dolor CHRISTI, erat dolor meus, quia cor eius erat cormentum, & sicut Adam & Eua*

S. Birgit.

vendiderunt Mundum pro vno Pomo; sic Filius meus & Ego redemimus Mundum quasi vno corde Tum etiâ dicebat de Christo sanctus Ambrosius S. Ambrosius lib. 10. in Lucam: *Pluris putat, quod victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli Pietatis officia diuidebat, quam quod Regnum cœlestè donabat.* Reseruauit sibi Christus integrum satisfaciendæ Iustitiæ munus; at Pietatis, & Gratiæ officia cum Matre diuisit. Imò, nouus Adam Christus in B. Virgine sibi simile in Redemptionis opus inuenit; quia Verbum Diuinum ex MARIÆ vtero traxit, quod Patri æquiualeter satisfaciatur, pro Humani Generis alieno ære.

Sanctus Germanus Constantipolitanus vocat S. Germanus MARIAM, *Rem antiquarum Renouationem* B. Laurent. Iustin. Idiota Beatus Laurentius Iustinianus de casto conuubio. *Ipsa inquit est Renouatio eorum, quæ erant inueterata.* Sapiens Idiota de Laudibus Virginis, cap. 4. *Qui ad hoc Te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per Te reformaretur.* Sophronius epistol. de Assumpt. *instaurantur ab ea omnia, quæ venerantur, & adorant super se Christum Regem Dominum natum ex eadem Virgine.* Præclarè Sanctus Bernardinus Senensis, tom. 1. serm. 51. cap. 4. *S. Bernard. Senens. Omnia circa nos viriisque Parentis IESU-CHRISTI Pietatis Dignatio. O inestimabilis Dei, & Virginis Dilectio Charitatis! qui, vt seruum redimerent, communem Filium tradiderunt propter nimiam charitatem, quæ Deus, & Virgo nos miseros peccatores dilexerunt.*

Multis autem de causis prædicatur sanctissima Virgo confors, & Adiutorium Redemptionis, nimirum, quia Christum concepit, ei corpus subministrans, tanquam Materiâ, siue Aurum, quod suo infinito valore actionum, nempe Theandricarum sigillans, infinitum valorem Deo Patri reddidit in omnium Hominum Redemptione. Idem Amadæus Amad. Lau- Lausanensis Homil. 6. de Laudibus MARIÆ. *Val-lata, inquit, Sanctorum liliis Redemptoris Mater, aptissime hunc illi congruentem poterit proferre sermonem. Gaudium meum, & corona mea omnes vos estis acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea.* Aptè S. Damascenus Homil. de Assumpt. S. Damascenus. *Neque enim ait: mi ipsius causa progenita es, quocirca à Deo vitam habebis, ob quem in vitam produisti, vt Orbis vniuersi saluti Administrâ Te præberem.*

Præterea, idcirco potest dici Deipara cōfors & Adiutrix Redemptionis, quoniâ Humano Generi reparando libens ac libens cooperata fuerit, consensu suo explicito per verbū *Fiat*. Vndè, S. Bernardinus tom. 2. serm. 48. ponderans verbum illud *Fiat* B. Virginis. *Vide, inquit, quanta potestatis desiderium fuerat apud Deū, quia quidquid per plurima, fiat, à Domino factum est, ipso dicente Genes. 1. fiat Lux &c Nūc in B. Virginis unico verbo fiat redditur reformatū. fiat inquam, mihi in corde per Fidem; in ore per Confessione; in ventre per Incarnatione.* Idem, Incarnationis Mysterium in MARIAM somno sopitâ haud quaquâ peragitur; sed Gabriel ad MARIAM vigilem, & excubantem mittitur: non sic olim Eua à costâ Adam fabricatur in totius Humani Generis parentem; sed ex Adamo sopori immerso, altoque somno dedito profiliit, ne Adamo in Eua parētis nostræ formatione, quidquam Genus Humanum deberet, à quo dormiente, nec cōsentiente, solum patiente, Eua fuit in lucē edita, vt soli Deo obtantum Beneficium deuinciremur: *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adâ, cum quæ obdormisset, tulit vnā de costis eius.* Genes. 2. Non sic autem ex MARIAM Virgine CHRISTVS Dominus, qui in Humani Generis Redemptorem præstrue

S. Bernardin

præstruebatur; sed ex MARIA vigilante, ac Spontè consentiente, Incarnationis Mysterium perficitur, ita, vt quemadmodum Christus carnis suæ debitor extiterit MARIÆ; sic nos tantæ Virgini, tanquam Reparatrici, ac Corredemptrici Nostræ tanti beneficii debito obærat, gratias rependeremus. Aptissimè dixit Guillelmus ad cap. I. Cant. *Incarnandus Dei Filius ex Virgine, premisit ad eam unum ex familiaribus suis, vt ad auriculam eius reuelaret, & arcano, quod absconditum fuerat à seculis reuerato, consensum, & cooperationem eius flagitaret. Quippè volebat Omnipotens sue Incarnationis Miraculum operari in ipsa, non cooperante ipsa, nec carnem volebat sumere ex ipsa, non dante ipsa. Itaque, non tantum ex ipsa, carnem suscipere volebat; sed etiam ab ipsa. Non sic olim; non sic, quando immisit saporè in Adam, vt de corpore nescientis tolleret, vnde ille mulierem formaret. Et post alia, quæ ibi interferit, addit ex ore Gabrielis: Tu venienti Virginitati Dei occurre, & quoniam hilariter dantem diligit Deus, prompta & hilari Fide da illi de carne tuâ victimam reconciliationis Humana.*

Deinde, meitò appellari potest Corredemptrix B. Virgo, quia seipsam pro nobis obtulit morti, simul & Filium suum, prout docet Arnoldus Carnot. tractatu de illis verbis. *Mulier, hic est Filius tuus.* In quæ verba subdit hæc pius Abbas: *Ipsa sine strepitu seipsam mactans in altari interiori, & ligna, & flammæ, & latices conferebat. Optabat MARIA ad sanguinem animæ & sue carnis addere sanguinem, & eleuatis in cruce manibus celebrare cum Filio sacrificium vespertinum, & cum Domino Iesu corporali morte Redemptionis nostræ consummare Mysterium.* Ratio igitur eximia, quæ suaderi potest B. Virginem esse veluti Corredemptricem Humani Generis petitur ex verbis Arnoldi, quia scilicet, seipsam pro Humani Generis salute morti ac cruce, ardentissimo desiderio, ac voto addixit. Quod innuunt Ambrosij verba lib. 10. in Luc. *MARIA ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Filij vulnera, quia spectabat non pignoris mortem; sed mundi salutem, aut fortasse quia cognouerat per Filij mortem, Mundi Redemptionem, Aula Regalis putabat se, & sua morte publico muneri aliquid addituram.* Et rursus citatus Arnoldus de Laudibus MARIÆ: *Hoc stupendum est, quod consummata à dispensatione Incarnationis expiraturus Iesus Matrem tanto affectu honorat, Victor suppliciorum, & quasi sui immemor ad Matrem de Cruce conuertitur, & colloquitur intimans, quanti apud Deum meriti esset, & gratia, quam solam in illo puncto respiceret, cum iam capite vulnerato, fossis manibus, & pedibus, in ultimis esset. Movebat enim eum Matris affectio, & omnino tunc erat vna CHRISTI & MARIÆ voluntas, vnumque holocaustum, ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verum breui est sermone colligendum, quo initio, quo progressu ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta peruenit, vt cum Christo communem in salute mundi affectum obtineat.*

Nec silentio prætereundus est sanctus Bonaventura in 1. sentent. dist. 48. quæst. 2. *Mater, inquit, per omnia conformis Patri, & Filio in hoc miro modo debet laudari, & amari, quod adeò compassa est, vt si fieri potuisset, omnia tormenta quæ Christus pertulit, ipsa libentiùs sustinisset, & nihilominus placuit ei, quod Vnigenitus eius*

pro salute Generis Humani offerretur. Verè ergò fuit foris, & pia, duleis pariter, & senera, sibi parca, & nobis largissima. His Patribus adiciendus est S. Antoninus, qui egregiè ostendit Deum Virgini opus regenerationis communicasse secundum quadruplex genus causæ: efficientis videlicet, materialis, formalis, & finalis; & propterea non tantum Christi, sed etiam Hominum Matrem dici. Eius verba sunt: *Et in genere quidem causæ efficientis post Deum, sub Deo, & cum Deo, quia ipsa illum nobis genuit, qui nos omnes recreauit, seu regenerauit per passionem, virtutem gratiæ conferentem in Sacramentis; & vt suum Filium gigneret de congruo meruit. Causa materialis fuit Virgo huius recreationis nostræ, quia Spiritus sanctus de purissimis eius sanguinibus consensu mediante accepit, quod in corpus formauit Christi, per quod Redemptio nostra, & recreatio facta fuit. Causa vero formalis, quia sua conuersatione celesti speculum est omnibus se conuertendi ad Deum. Causa denique finalis, quia totum opus Redemptionis post Deum in Christi Filij eius, vt Homo, honorem, & gloriam est ordinatum, & propterea seniores testimonia Patrum in idem conspirantia, statim dabimus.*

Sed hæc omnia Sanctorum dicta nequaquam adæquant Deiparam Christo; sed solummodo associant, & Administram faciunt, sicut Adami Euam, quæ ipsi tamen æqualis non fuit in Principatu Hominum: nam apud omnes in confesso est B. Virginem nullâ ratione fuisse primariam, & veluti principalem nostræ salutis, ac sufficientem per se solam ad Redemptionem. Hæc enim solum pertinent ad Christum; ad Virginem autem, quod Adiutorium eidem fuerit data, ac propterea Corredemptrix cum illo ob rationes prædictas, non in eodem gradu; sed in secundo, & sufficienti; vt propterea immunis esset à peccato, & eius debito. Christus autem, quia summus, & principalis, & sufficiens per se Redemptor, immunis fuit à peccato, etiam propter vniouinem hypostaticam, & propter Conceptionem, & Natiuitatem suam ex Virgine.

§. III.

Nequit B. Virgo comprehendi in pacto Adami cum eius Mater moralis fuerit, totiusque Generis Humani.

Libet adhuc prædicta explanare, aliæque ratiocinatione, potius quam ratione illustrare, atque diuersa Patrum addere testimonia, quæ & superioribus contestentur, cum eorundem sint paralleli, comitenturque huic ratiocinandi methodo: idè in antecedentibus ea omisi, vt hic non præterireni. Tot enim sunt in eundem sensum concurrentia, vt oporteret diuidi, ne simul coacta fastidiendi fuissent occasio. Venio ad rem. Sanctissima Deipara licet non possit appellari, nec sit caput Ecclesiæ, potest tamen appellari Mater membrorum illius mystica, & moralis; vt quæ verè & naturaliter sit physica Mater Saluatoris, & capitis moralis, Christi scilicet Domini: vt hac ratione fideles non solum habeant Patrem, sed etiam Matrem spirituales, sicut etiam habent in Adamo & Euâ Patrem, & Matrem corporeos & materiales. Quod videtur sensisse S. Bernardus, cum dixit sermone de verbis Apocalypsis: *Sic nimirum prudentissimus*

dentissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit; sed vitilium omnino refecit, ut videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, Eua transferret in MARIAM, & quidem sufficere poterat CHRISTVS; siquidem, & nunc nostra sufficientia ex Deo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum, congruum magis, ut adesset nostra reparationi sexus uterque, cuius corruptioni neuter defuisset. Cum verò idem respectu eiusdem non possit esse Filia, & Mater secundum eandem considerationem, tamen possit secundum diuersam, ut constat in CHRISTO Domino, & MARIAM Sanctissimam, inde est quòd si semel persuasum fuerit MARIAM Sanctissimam esse Matrem moralem, & mysticam primi Parentis Adami, necessariò consequatur Adamum esse illius spirituales, & mysticam filium, ac proinde non posse esse caput morale illius. Vnde vltimò concludendum erit, neque in Adamo peccasse, neque illam habuisse necessitatem incurrendi originale peccatum. Alias enim eadem omninò persona respectu eiusdem esset Mater & Filia; quod fieri non potest, cum Mater & Filia opponantur relatiuè, & idem respectu eiusdem in eodem genere causæ, non possit esse causa, & effectus, ut constat ex Metaphysica.

Vnde colligi oportet sacram Deiparam aliquo modo influere in vniuersalem Redemptionem, Filij fuisse administram, Principium mysticum, & Matrem omnium viuientium per Christi fidem. Quod explicari amplius potest. Eua etenim solum serpenti credidit, & viro suo dedit pomum, & ipse comedit, & hoc solum fuit sufficiens, ut Eua diceretur, & esset in exercitio principium morale, seu Mater moralis hominum omnium, qui ex illius peccato morti remanserunt obnoxij. Virgo Beata carnem & sanguinem dedit Filio Dei, in cruce animam suam, & Filij vitam obtulit Patri pro Generis Humani salute, cooperabatur suo modo, ad propitiandum Deum, & in salutem ardebat humanam. Cur ergo ex illà actione Eua Mater moralis hominum, & causa meritoria mortis illorum, MARIA verò sanctissima, si non meritorium principium (hoc etenim Christi Domini proprium) saltem Mater moralis, & mysticum principium non fuerit Adamo. Sed inferat nullus ex hac morali Maternitate MARIAM sanctissimam esse caput Ecclesiæ, solum enim Mater purissima Filij capitis fuit Administra: ad veram enim rationem capitis Ecclesiæ requiritur, quòd persona, quæ est caput ex se, & à se, & sine alterius ope, aut adiutorio influat gratiam, & dona supernaturalia in homines, quod nec habuit, nec potuit habere Virgo sanctissima, quæ est creatura, & non vnita vnione hypostaticà Personæ Diuinæ.

Patrum autem testimonia, quæ dicta confirmant, præter iam memorata sunt plura, in quibus Deiparæ tribuunt patrociniū Adæ, & Eux, & totius Generis Humani, tanquam Aduocata, & Mediatrix Adami, & Eux, & totius eorum Profapix; atque ut loquuntur aliqui Doctores, tanquam Mater moralis Adami, Humanique Generis. S. Ioannes Damascenus in Mæneis die 12. Augusti, inquit: *Equidem videbaris, ô Virgo, esse Filia Adami collapsi, at reuera eras tu ipsa Genitrix Dei, eundem restituentis in integrum.* Sanctus Ephræm Syrus de Laudibus Virginis, ita MARIAM Sanctissimam alloquitur: *Aue Primo-genitoris Adami resurre-*

ctio. Aue Mundi Mediatrix gloriosissima. Aue Pax, & Salus Mundi. Aue vniuersi Terrarum Orbis Conciliatrix. Quod amplius explicat, dicens: *Tu Captiuorum Redemptio, & omnium Salus.* Sanctus Gregorius Thaumaturgus, Oration. 1. de Annunciatione, comparans leuitatem Eux in credendo cum Prudentiâ Immaculatæ Parentis, & illius ponderans culpam, ait: *In Sancta Virgine eius lapsus reparatus est; neque enim Sanctissima Virgo donum admisit antequam, qui illud mitteret, & quodnam donum esset, & quis foret addidisset.* Idem Sermon. 2. *Aue Gratia Plena, per te Gaudium dispensatur omni Creatura, Genusque Humanum antiquam recuperat dignitatem.* Hesy chius Presbyter Hierosolymitanus, inquit de Beata Virgine sic: *Praclarum nostra Natura ornamentum, Gloria Luti nostri, qua Eua me erexit in altum, noua deiecit.* Sanctus Epiphanius, Oratione de Laudibus Virginis: *Angeli incusabant Eua, nunc verè MARIAM gloria prosequuntur, qua mulierum infirmitatem verè gloriosam reddidit.* Idem Sanctus Bernardus dixit: *Eua translata in MARIAM.* Sancto Zeno Veronensis Sermone de Fide, spe, & charitate, *Eua in MARIAM redintegrata.* Sergius Hieropolita de Natali Virginis vocauit Deiparam, *Renouationem Eue.* Sanctus Irenæus libro 5. capite 19. *Vti Virginis Eua Virgo MARIAM fieret Aduocata, & quemadmodum astrictum est Morte Genus Humanum per Virginem, soluetur per Virginem.* Sophronius Sermone de Assumptione: *Quidquid infusum est maledictionis per Eua, totum abstulit benedictio MARIÆ.* Procopius Græcus in 3. Genes. Gabriel Orationem inchoauit per Aue, & causam letitia subdit, cum ait, *Dominus tecum: Eua peccando tristitiam à Serpente traxit, quam in peccatores transfudit.* MARIAM Gaudium & letitiam toti mortalium Generi obnuntiauit, humanique Generis maledictionem, in quam deuenerat, fugauit. Sanctus Cyprianus libro de Testimon. aduersus Iudæos cap. 19. *Mater Domini nostri IESV-CHRISTI in illa muliere repromissa est. Hac inimicitias opposita est serpentis; ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem, non certè pono dicit, ne ad Eua pertinere videretur; verbum promissionis est, quod transmittitur in futura, id est, suscitabo mulierem, qua repudiata facilitate credendi, non solum te non audiat, sed ipso etiam Gabriele deferente verbum, rationem & promissionis exigat bonitate; deinde, quomodo erit istud, quoniam virum non cognosco.*

Diuus Augustinus; libro de quinque Hæresibus capite 6. & Sermone 7. in Natali Domini nostri: *Eua Mater Generis pœnam intulit Mundo, Genitrix Domini nostri salutem, & femina suggestit, & viro, auctrix peccati maledicta, auctrix meriti Benedicta; illa occidendo obfuit, ista viuificando profuit; percussit illa, at ista sanauit, pro obedientia enim obedientia commutatur, & fides pro perfidia compensatur.*

compensatur. S. Chrysoſtomus, qui Homil. de interdictione Arboris ad Adamum, hæc aureo protulit calamo: *Mors per Adam, vita per Christum: Euam serpens seduxit MARIA Gabrieli consensit, sed seductio Eua attulit mortem, consensus MARIE peperit seculo Saluatorem; restauratur per MARIAM, quod per Euam perierat; per Christum redimitur, quod per Euam fuerat captiuatum; per Gabrielem promittitur, quod per Diabolum fuerat desperatum. Denique peccatum deletur per Christum, quod per Adam fuerat ante contractum. Redditur per MARIAM vita, quæ per Euam fuerat interempta.* S. Cyrillus in homiliâ, habitâ in Concilio Ephesino, seu Ephesi ad Nestorium: *Salua Virgo, per quam sancta Trinitas in vniuerso Orbe glorificatur, per quam demones fugantur, per quam tentator Diabolus de cælo decidit, per quam prolapsus plasma in cælum denuo subuehitur, per quam sanctum Baptisma obtigit credentibus.* S. Cæsarius Nazianzenus, Dialog. 3. ait: *Pro loco Virginis; nimirum Eue, perpetuam Virginem sanctam Matrem suam suscitauit, pro illius pœnâ: Huic salutem per proprium seruum Gabrielem misit; in hac sanans, quæ illa diliguerat.* Tertullianus, lib. de Carna Christi, cap. 17. in *Virginem adhuc Euam irrepserat verbum edificatorium mortis, in Virgine aque introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ, ut quod per eiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem: Crediderat Eua serpenti, credidit MARIA Gabrieli.* Idiota, lib. de Virgine MARIA cap. 1. *Inter omnia opera æterni opificis post operationem illam, qua natura nostra vitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ô Beatissima Virgo MARIA.* Et statim: *Edificauit ergo te Angelis Reginam, Hominibus Medicinam, creatura inferiori libertatem, &c.* S. Germanus, orat. de Zonâ Virginis: *Nullus enim est qui saluus fiat, nisi per te Virgo Sanctissima, nemo est qui liberetur à malis, nisi per te Virgo Purissima; nemo est cui donum concedatur, nisi per Te ô castissima; nemo est cui misereatur gratia, nisi per Te ô Honestissima.* S. Fulgentius: *Facta est MARIA scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines mereantur ascendere in Cælum.* Richardus Victorinus, cap. 26. in Cantic. *Omnium salutem desiderauit, quasuit, & obtinuit; imò & Salus omnium per ipsam facta; unde & Mundi Salus dicta est.* S. Bonauentura in specul. Virginis, cap. 8. *Coruus infidelis, quoniam emissus non rediit, Columba verò fidelis, sicut & Eua infidelissima Mediatrix perditionis; MARIA fidelissima Mediatrix salutis fuit.* Et cap. 9. *Specul. Ipsa quoque non solum in Plenitudine Sanctorum detinetur; sed etiam in plenitudine Sanctos detinet, ne eorum plenitudo minuat: detinet nimirum virtutes, ne fugiant; detinet merita ne pereant; detinet demones ne noceant; detinet Filium ne peccatores puniat. Ante MARIAM non fuit, qui sic Dominum detinere auderet. His consentaneus cecinit Sedulius:*

*Ac velut è spinis mollis Rosa surgit acutis
Nil, quod ladat habens, matremque obscurat
honore.*

*Sic Eua de stirpe Sacra Veniente MARIA,
Virginis antiqua facinus noua Virgo piaret.*

Vnde S. Augustinus docuit esse MARIAM omnium hominum, nisi solius Christi, Matrem spiritu, hoc est Mysticam & Moralem. Sic lib.

de Sanct. Virginit. cap. 6. asserit. *Fuit, Mater spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Saluator, à quo illa magis spiritualiter nata est; sed planè Mater membrorum eius, quod nos sumus: quia cooperata est charitate, ut omnes Fideles in Ecclesiâ nascerentur, qui illius capitis membra sunt, corpore verò Mater ipsius capitis.* Consonat Augustino S. Epiphanius contra hæreses c. 3. dicens: *Vt omnis hominum generatio ex primâ illâ, quæ primænam nobilitatem vitiauit, inobedientia infelicitè exorta est: sic vera, vita, quæ Deo, secundum spiritum viuimus, per alteram Matrem MARIAM, verè obedientem, nobis perditis, quasi restituitur, dum hæc ipsum vitæ fontem, & auctorem Christum nobis exhibet. Vetus Eua fetus suos, priusquam parere, extinxit, nouerca potius, quàm mater appellanda: sed noua hæc Eua non morientium; sed reuiuiscientium Mater exiit.* Cumque Adam fuerit vnus ex reuiuiscientibus, & membris Christi, sequitur Adami matrem spiritualem fuisse B. Virginem, secundum S. Augustinum, & Epiphanius, quibus adde Richardum à S. Laur. de Laud. B. Virginis lib. 6. MARIA, dicens, *& si carnaliter genuit vnicum Filium, in eo tamen spiritualiter Mater effecta est magne multitudinis filiorum, quorum primogenitus Christus; unde signanter dictum est Luc. 2. Peperit Filium suum Primogenitum.* Pergit idem Auctor, & rem exemplis confirmat: *sicut enim Eua dicta est Mater omnium viuentium vitæ naturæ. Sic MARIA Mater omnium viuentium vitæ gratiæ. Ipsa etiam propter hoc figurata est per Sarâm, quæ licet non nisi vnicum filium carnaliter peperit Abrahæ, tamen mater dicta est totius populi Israëliti. Vnde Isa. 55. dicitur Iudeis: Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Sarâm, quæ peperit eos.* S. Anselmus de excellentia Virginis: cap. 11. sic loquitur *Beata Dei genitrix MARIA, suis meritis cuncta reparando mater est, & domina rerum: Deus enim est Dominus omnium singula in sua natura propria iussione cõstituendo; & MARIA est domina rerum, singula congenita dignitati per illam quam meruit gratiam restituendo.* Addit S. Augustinus Virginem nunc eniti Christi corpus mysticum, cum illud de cælo edit; ex quo fit, ut quamdiù in hac vita manet istud Christi corpus, quodammodò illud in ventre suo, ac visceribus spiritualiter gester. Ergo sicut fetus, quamdiù est in matris vultu, & vtero eo solo alimento innutritur, quod Mater ore suo accipit, & stomacho decoxit, sic etiam corpus istud Christi mysticum, quod ex Fidelibus omnibus coalescit, nihil gratiæ, aut alimenti spiritualis percipit, quod MARIA ore suo, id est, oratione, ac precibus non obtinuerit, & stomacho, id est, charitate suâ non decoxerit, & distribuerit. Itaque non solum ex eo, quod Mater Christi est MARIA; sed etiam ex eo, quod Mater, & parens Nostra existit (quæ nos tandem cælo, ac Beatitudini edit) non ineptè deducimus, omnia bona ab illâ in nos proficisci. Aptè S. Hieronymus per metaphoram colli, explicuit spiritualem MARIAM in genus humanum influxum post Christum, per Christum, & à Christo capite.

§. IV.

Ex Patribus probatur non potuisse Virginem ingredi in Pacto Adami, quoniam Christus, & Eius Mater fuerunt predestinati ante Decretum absolutum creandi alias naturas.

HÆc eadē negatio inclusa Virginis in Pacto, confirmatur ex Patribus, qui dicunt Christum Redemptorem decretum simul cum Mater. Eius, iuxta dicta superius, ante præuisum absolute peccatum Adami, imò & Pactum cum illo; & quod plus est, ante decretum absolutum illius creandi.

Sanctus Cyrillus Alexandrinus, l. 5. Thesauri, toto cap. 8. dilucide probat Christum fuisse decretum ante omnem aliam creaturam, explicans illa verba Prouerbiorum, *Ante secunda fundauit Me.* Vbi inter alia ait: *Prædidit Deus peccatum Hominem, & in mortem casurum: prædidit etiam conferentia Generi eius, quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret. Ideò, quasi radices huius spei in Filio suo nobis deposuit, per quem ad adoptionem nos uocauit, & omni Benedictione Spirituali nondum factos muniuit, ut quando præuocatione in mortem caderemus ex prisca illa radice in vitam rursus resurgeremus, & ueluti iam benedicti, non omnino semperque iacere possemus. Profundatur igitur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superedificamur; idque ante initium Mundi in presentia Dei, ut cum ordine diuino Benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem uite pollicitatio, & seruitutem diaboli adoptionis libertas; possit Natura Humana superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per Gratiam Christi, (qui fundauit eam bonis in bonis) dignitatem recurrere, talisque fieri, qualem Deus ex charitate per Filium suum futuram constituit. Sed similitudine, quomodo ante secula Dei sapientia fundata sit paternis consiliis, sic intelligimus. Architectus Virginis sapiens Aedes adificaturus Regias, dubitat uerisimile nequid procedente tempore altior Aedium structura patiatur, & ideò fundamentum iacit firmissimum, & radices operum robustissimas construit, ut si quid superiora patiantur, possint rursus reparari fundamento seruato. Eodem modo Creator noster Christum nostra salutis Fundamentum etiam ante initium Mundi fundauit, ut si præuocatione caderemus, in ipso rursus renouaremur. Quantum igitur ad præscientiam, & consilium, & propositum Patris, & omnis Deitatis, Christus ante secula fundatus est, & tempore congruo natus ex uirgine, in quo reparati sumus, qui ante initium Mundi Salutis nostra Fundamentum ipsum habebamus.*

His uerbis supponit post præuisionem peccati Adami, quamuis non absolute futuri, decretum esse absolutum Christum, quod necessariò exprimitur in illis uerbis: *Cum ordine diuino Benedictio maledictionem antecesserit ordinem diuinum uocat dispositionem, non successum temporalem. At tigitur in dispositione diuinâ, Benedictionem, suam est per Redemptorem Christum antecessisse maledictionem, quæ est per peccatum Adæ paulò antea dixerat: Sciebat mortales nos futuros propter peccata, ac ideò ex Misericordia sua ante secula constituit, ut Ver-*

bum suum Homo, & Initium uiarum, & Fundamentum fieret, renouaretque Hominem in se ipso, factus Primogenitus in multis fratribus. Confirmatur hoc ex Epistolâ ad Roman. 8. & ad Colofenses 1. ubi dicitur Christus, Primogenitus omnis creatura. Quod de Christo, ut Homine intelligit Conciliū Ephesinum, & Sardicense, S. Hieronymus, Sanctus Chrysostomus, sanctus Anselmus, S. Thomas, & alij plures, de quo postea agemus.

Sanctus Irenæus, l. 3. aduersus Hæreses, c. 33. initio affirmat, Christum præexistisse hominibus, ordine nimirum intentionis Diuinæ. nã manifestè non præexistit, ordine executionis. *Quoniã, inquit, futuram circa Filium Dei Humani Generis dispositionem in semetipsum Fabricator omnium Verbum præformauerat, prædestinante Deo primum Hominem animantem (idest, primum Patrem nostrum Adamum) uidelicet, ut à Spirituali (idest, à Christo) saluaretur: cum enim præexistere saluans, oportebat ut quod saluaretur, fieri, ut non vacuum sit saluans.* Hæc S. Irenæus, qui, quidquid dicat Lessius disput. de Prædestinatione Christi num. 24. manifestè affirmat, Adamum primū Hominem animalē, factū esse propter Hominem spirituale, Christum scilicet, adedque Christum fuisse priorem intentione diuinâ. Quare, frustra hæc ille de Verbo Diuino explicare conatur: manifestum enim est, Verbum Diuinum secundum se, non posse dici *Hominem spiritualem.*

Deiparam quoque ante alias creaturas decretam confirmat S. Petrus Chrysologus, cum dixerit dedisse rebus initium serm. 146. ea dilucidans uerba Math. 1. *Christi autem Generatio sic erat. Cùm esset desponsata Mater eius MARIA Ioseph, successerat dixisse; ait aureus Pater: Cùm desponsata esset MARIA: quid sibi uult sponsa Mater, si sponsa non adhuc Mater: Virginitate sponsa, secunditate Mater; Mater uiri nescia, Partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ post Partum Virgo Mater: aut Genitrix, quomodo non, quæ seculorum generauit Auctorem, Principiū dedit rebus, &c. MARIA Mater uocatur, & quando non MARIA Mater: itaque, nullum tempus, nec momentum, nullus status, nulla ætas, nulla futuritio mente cogitari, uel intellectu concipi potest in MARIA Virgine, quæ non sit præcellenti Matris Dei Titulo nuncupanda.*

Idem supponit S. Ioannes Damascenus, cum dicit propter nostram salutem conditam, sicut de Christo dixit S. Cyrillus. Audiamus Damascenum orat. 1. de Natiuitate MARIE Sanctissimæ: *A Deo habebis, ob quem in uitam prædidisti, ut Orbis uniuersi saluti Administrationem te præberes, atque antiqui Dei consilium, hoc est, Incarnationis Verbi, ac Nostra Deificationis per Te impleteret.* Iuxta hoc sanctus Chrysostomus homil. de interdictione Arboris ad Adam. *Seductio, inquit, Eua annis moriem: Consensus MARIE peperit à seculo Saluatorem.* Illud, à seculo est ac si diceret à seculo iam Saluatore facta nobis apparuit: nec mirum cum ab initio, & ante secula condita. dicatur Idem confirmat Sanctus Bernardinus sermone 51. caput. 4. dicens: *Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, ut Deum ipsum Hominem procreares.* Rursus tom. 1. serm. 61. art. caput 2. *Omnes liberationes, & indulgentias factas in ueteri Testamento, non ambigo, Deum fecisse solam propter huius benedicta puella reuerentiam, & sanctorum; quibus Eam Deus in suam prædesti-*

S Irenæus,

S Petr. Chryf.

S Ioan. Damasc.

S. Bernardinus.

prædestinationem præhonorandam, cunctis operibus suis ab æterno præordinavit. Id ipsum supponit Glossa ab eodem Sancto Bernardino producta, tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 4. ubi sic habet: Propterea conqueritur Dominus de Virgine Cantic. 4. dicens: Vulnerasti cor meum soror mea; ubi Glossa: Pro. Amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum. Hic Primatus Redemptionis supponit etiam Primatum conditionis, & antecessionis. Et subdit S. Vir: Nam Primogenita Filij sui fuit plusque pro ea redimenda in Mundum venit, quam pro omni alia creatura. Accinit Sancto Bernardino S. Antoninus 1. p. tit. 15. cap. 14. Dignitate quoque est Mater; quia Primogenita est ante omnem creaturam; nobilior enim est, & gratia, & Gloria omni pura creatura. Quod autem est primum in unoquoque genere, est quasi causa aliorum. Et ibidem post alia subdit: Ipsa enim ante secula Prædestinata est, ut esset Principium, ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de Ea: Dominus possedit me in initio viarum suarum, id est, ut sim Prima omnium creaturarum, quæ pure creatura sunt.

Beatus Albertus Magnus satis supponit, simul cum Christo Prædestinatam Virginem ante alias creaturas; sicque ait in Mariali cap. 236. *Ipsa, scilicet Virgo, inveni gratiam propinquorem, quam aliqua alia creatura; non tamen simpliciter equalis sitis potuit esse cum Deo: impossibile est enim in situ, vel in aliquo, creaturam æquare Deo. Oportet ergo, si dicitur, quod aliquid esse apud Deum; quod hoc sit respectu aliarum creaturarum &c. Vel sicut dicitur Filius esse apud Patrem, & Verbum erat apud Deum, propter identitatem Naturæ: sic etiam dici potest, esse apud Filium, propter identitatem Naturæ, in qua unum est. Rursus, cap. 237. hæc ait idem Doctor: Hæc omnia inveniunt apud Deum, apud, dico propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ unitate. Est ergo Virgo Deipara omnium creaturarum Prima, quia antiquior præ omnibus in præfinitionibus Diuinis; prima item; quia in situ & positione Filio, ac Spiritu sancto propinquior existit dignitate, & perfectione; prima denique, quia eundem cum Patre Filium habitura, identitatemque naturæ cum Filio sortita est.*

Eundem sensum reddunt venerabilis Bedæ verba, lib. 4. in Luc. cap. 19. *Indè quidem Beata eadem Dei Genitrix, quia Verbi Incarnandi Ministra facta est temporalis; sed indè multo Beatior, quia eiusdem semper amandi Custos manebat æterna. Expende tempus illud imperfectum, manebat, quod æternitatem redolet, iuxta illud: In Principio erat Verbum. Confirmatur hoc ex verbis S. Petri Chrysologi supra: Non dixit, sic facta est; sed sic erat; quia Christi Generatio erat apud Patrem, quando generabatur ex Matre. Quod erat semper erat, quod factum est, hoc reddebatur; erat Deus, reddebatur Homo &c. Cum esset desponsata Mater Eius MARIA, Virginitate sponsa, fecunditate Mater: Mater viri nescia. Aut quomodo non ante Conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater; aut Genitrix quando non, quæ seculorum generavit Auctorem? Consonat eisdem Sanctus Andreas Hierosolymitanus, dum dicit: Virgo ipsorum seraphim ipsam vincens Naturam miraculo Dei Generationis: Prima Natura proximè*

accedens ad Deum Opificem omnium Generationum.

Supponunt idem, qui dicunt B. Virginem fuisse causam finalem Mundi, simul cum suo Filio; siquidem vt Diuus Bernardus attestatur: *De hæc, & ob hæc, & propter hæc, omnis Scriptura facta est, imò totus Mundus factus est; quia ex ea Verbum Dei Caro factum est. Quis igitur hæc operatus est, & fecit, vocans Generationes ab exordio: Ego Dominus Primus, & Nouissimus, Ego sum. Idè & Sanctus Germanus eam pro se, & pro Zachariâ, ita scitè iuris diuini, & rationis lumine, dulcissimè alloquitur: Salve Legis, atque gratia Mediatrix veteris, & Noui Testamenti Sigillum; totius Prophetia clarissimè supplementum summa diuinitus inspirata veritas Scripturæ: summa diuinorum arcanorum, ingredi huc plenitudinæ Prophetia; huc ades perfectio diuinarum ordinationum; huc ades signaculum Testamenti ipsius; huc ades Finis ipsius Consiliorum; huc ades Declaratio ipsius Sacramentorum; huc ades speculum omnium Prophetarum; huc ades Colletrix malè consonantium; huc ades Coniunctrix iam obstris disiunctorum; huc ades Renouatio rerum antiquarum. Hinc Sanctus Andreas Cretensis, apte dixit: Hæc est Declaratio profundorum diuine Incomprehensibilitatis; hic est Scopus, qui excogitatus est ante secula.*

In eadem mente sunt Patres, qui dicunt Virginem electam ab æterno: & insuper addunt, *Et præelectam*; vt loquitur Sophronius de Assumpt. Virginis; dicunt enim electam ab æterno, atque vt notent prioritatem rationis, etiam dicunt præelectam; quia ante omnem aliam creaturam.

Idem etiam confirmant Patres, & Doctores, qui sentiunt prædestinationem hominum, & Angelorum ad Gloriam fuisse ex Meritis Christi Domini iam prædefiniti. Sed talis Prædestinatio, saltem respectu Angelorum, & primorum Parentum fuit ante peccatum absolutè præuisum. Ergo, Christus fuit absolutè, & efficaciter prædefinitus, ante præuisionem absolutam peccati. Idè sanctus Gregorius lib. 1. Reg. cap. 2. circa illa verba. *Nullus est Agnus extra Te*; inquit, subauditur, *Sanctus, quia nullus hominum, neque Angelorum sanctus est, nisi per Christum.* Quæ verba intelligit nedum de Christo, vt Deo, sed de eodem, vt homine; vt videre est apud eundem Doctorem sanctum in aliis verbis, statim succedentibus. Sophronius in Epistolâ de Assumpt. *Angelorum quamuis celsior natura sit non tamen gratia maior, quia & ipsi gratuita gratia ne corruerent sunt saluati* Eidem consentit sanctus Bernardus serm. 22. in Cantic. ubi ait: *Qui crexit hominum lapsum, dedit Sancto Angelo ne laboretur, sic illum de captiuitate eruens; sic hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè virique Redemptor, soluens illum, & seruans istum.* Eandem maiorem docet expressè Sanctus Thomas super illud Ioan. 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus.* Vbi hæc habet: *Omnes Apostoli, Patriarchæ, Propheta, iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Et paruo verborum interstitio, ait: *Quia plenitudo gloria, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum, quæ sunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Ergo Prædestinatio hominum, & Angelorum ad gloriam fuit ex Meritis Christi iâ prædefiniti. Hunc minor illa, nempe Prædestinatio primorum

Glossa.

S. Antoninus

B. Albert. Magn.

Bedæ.

S. Chrysol. serm. 146.

D. Bernardus.

S. Germanus in Natiu. Mariæ, & in Encomio eius.

S. Andr. Cret. serm. de Assumpt.

D. Gregorius M.

D. Bernardus.

S. Thomas.

primorum Parentū, & Angelorum fuit ante peccatum Adæ, absolutè præuifum, est nunc probanda, quam sic ostendo. Etenim gratia prima in statu innocentia collata Adæ, & Angelis in statu viæ, fuit effectus eorum Prædestinationis, sed talis gratia fuit illis collata, ante præuifionem peccati absolutè futuri: ergo Prædestinatio Angelorum, & primorum Parentum, fuit ante præuifionem peccati absolutè futuri. Plura sunt loca S. Th. quæ hoc ipsum probant. in 4. dist. 48. q. 2. art. 2. & in additione ad 3. p. q. 91. art. 2. & de Potentiâ q. 5. art. 5. & 4. contra gentiles, cap. vlt. vbi expressè decet *Totum hunc mundum fuisse à Deo, propter Prædestinatos, & potissimū propter Christum, & hoc fundamento protectus, deducit omnem ordinem generationum, & corruptionum, & omnia entia Vniuersi cessatura esse post diem iudicij, exceptis hominibus, & Angelis, & his, quæ ad conseruationem status hominū in æternitate conducunt. Quoniam mūdus factus est propter Prædestinatos, & ideo impleto Prædestinatorum Numero, cessabit quantum ad omnia, quæ Prædestinatis amplius utilia non erunt. Idem Sanctus, q. 24. art. 3. & 4. ait: Christum esse causam finalem Prædestinationis nostræ. Finis verò semper est prior, &c. Rursum q. 8. art. 3. inquit, Christum Dominum fuisse caput Angelorū, etiam secundum influxum. Loquitur enim de influxu gratiæ, & gloriæ. Ergo sentit ante omnes fuisse in intentione prædestinatum.*

§. V.

Idem confirmatur ex Sacra Scriptura, & Ecclesiæ sensu.

D. Paulus.

CONFIRMAT pariter Scriptura Christum Prædestinatum ante omnes creaturas, atque eiusdem etiam Genitricem: & quidem sufficeret ad hoc Apostoli auctoritas Colof. 1. v. 14. *In quo (Christo) habemus Redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: qui est Imago Dei inuisibilis, Primogenitus omnis creaturæ.* Quod de Christo, vt homine, intelligit Concilium Sardicense in Epistolâ ad omnes Episcopos; & Ephesinum p. 1. cap. 3. & part. 13. cap. 17. Anselmus in 1. cap. ad Colossens. Diuus Thomas 3. part. quæst. 4. art. 5. Similique modo Paulum exponunt Chryfostomus, & Hieronymus ad locum citatum, & multi alij Patrum: *Nam Christus, vt Deus, non dicitur Primogenitus; sed Vnigenitus; vt Concilium, & Patres prænotarunt, & ex verbis Pauli conspicuè constat. Vt sit, inquit, ipse Primogenitus in multis fratribus. Etenim Glossa exponit, secundum id, quod Vnigenitus est, fratres non habet: secundum id autem, quod Primogenitus est, fratres dignatus est vocare omnes, qui per eius Primatum, in eius Gratia remanserunt.* Ratio verò, cur Christus censeatur Primogenitus omnis creaturæ, redditur à Paulo citato loco ad Colossens. *Quoniam, inquit, in ipso condita sunt vniuersa, & omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est, ante omnes, & omnia in ipso constant; & ipse est caput Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse Primatum tenens.* Quod cum nequeat intelligi de prioritate temporis, de prioritate rationis, quam in æterno Dei Decreto obtinuit, intelligendum venit; quodque illud Psalm. 8. yalde protegit: *Con-*

stituisi eum super opéra manuum tuarum; quæ de Christo interpretantur Augustinus, & Hieronymus, & Glossa, vt non solum intelligantur de potestate, quam in tempore accepit; sed de prioritate, quâ in Prædestinatione Diuinâ viguit, vt Diui Pauli phrasi annuamus; Vt, scilicet, sit ipse in omnibus Primatum tenens. Et vt Ambrosius in 1. cap. ad Colossens. dixit: *Sit semper in omni vira primus, & princeps.* Nunc solum afferam duo testimonia, quæ de B. Virgine intelligit Ecclesia; siquidem de eâ Sancta Catholica Ecclesia, à Spiritu Sancto illuminata concinit; atque inde sic intelligit hæc diuinæ sententiæ, ac summæ Sapientiæ decisionis verba: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi (id est, peccata) & ego iam concepta eram.* Et rursus: *Ab initio, & ante secula creata sum, & vsque ad futurum seculum non desinam.*

In his verbis satis, & repetitè significatur antecedentia omnium aliarum creaturarum in Diuinis Decretis: ad quorum intelligentiam supponenda est doctrina perdocti Petri Darocensis, quod Loca Scripturæ quæ in Officiis sacris applicat Ecclesia alicui Mysterio, de illo sunt intelligenda, in sensu litterali Ecclesiæ; quamuis in Bibliis habeant alium literalem. Vnde, in expositione Missalis, cap. 116. loquens de locis Scripturæ, quibus Ecclesia est vta ad celebrandum Deiparæ immaculatæ conceptionem immaculatam, ait: *Applicatio illarum Scripturarum ad Virginem MARIAM, licet in Bibliis sit sensus spiritualis; in hoc tamen Officio est sensus literalis.* Generalem autem huius regulæ Doctrinam, sic tradit in proœmio expositionis in Missale, dicens: *In Libro Missali est signum eidentissimum, quod ad alium sensum irabantur huiusmodi auctoritates ad Librum Ecclesiæ; ab eo, quem habebant in libris Biblia, quamuis ille sensus istum, necessariò præsupponat, vt fundamentum eius. Vnde, manifestè sequitur, quod maiore labore oporteat sudare expositorem libri Ecclesiastici prædicti, quam Commentatorem librorum Biblia: hic enim solum vnum sensum litteralem illarum Auctoritatum explicare tenetur; ille verò duplicem: quia (vt diximus) præter sensum, quem habuerunt Sancti Dei omnes Propheta, & Apostoli, illarum Auctoritatum primi scriptores, debet querere, & declarare alium sensum, videlicet, quem habuerunt Catholici Ecclesiæ Doctores, illorum Officiorum editores.* Cui igitur Ecclesia applicuerit prædicta Scripturæ loca ad Festiuitates Deiparæ, de eadem Matre Dei intelligi illa testimonia debent.

Dispositio quidem Ecclesiastici cultus in Missali Romano, plurimam habet auctoritatem: quia non solum habet iudicium Ecclesiæ præsens; sed etiam traditionem eius, cum tantâ Auctoritate, vt non solum vta sit peculiari sensu verborum Sacra Scripturæ; sed etiam ipsa Scripturæ testimonia alleget peculiaribus verbis, addatque aliqua ad ea, quæ in libris Biblicis continentur. Sic in Epistolâ Feriæ secundæ post Dominicam Passionis continetur frustum quoddam Prophetiæ Ionæ cap. 3. quæ lectio sic inscribitur: *Lectio Ionæ Prophetæ, quam huiusmodi concludit: Et misersus est Populo suo Dominus Deus*

DEVS noster. Quæ verba non inveniuntur in Bibliâ; sed ista: *Et miseratus est DEVS super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit.* Quæ differentia valdè notanda est, maxime cum Ecclesia vocet Populum DEI Populi illum Gentium; quod planè dictum fuit ex Traditione antiquissimâ. Similiter Feria tertia Maioris Hebdomadæ, & Feria quinta in Cœnâ Domini, & in die Inventionis Sanctæ Crucis, in Introitu refert huiusmodi locum Sancti Pauli ad Galat. 6. *Nos autem gloriari oportet in Cruce Domini nostri IESU-CHRISTI, in quo est Salus, Vita, & Resurrectio Nostra, per quem saluati, & liberati sumus.* Cum tamen in Textu Bibliæ non inveniuntur nisi hæc verba: *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESU-CHRISTI.* Atque ut relinquam alia, dicam quod plus est. In formâ Consecrationis Calicis addit illa verba: *Mysterium Fidei;* quæ non extant neque in Euangelis, neque in Epistolis Pauli. Quis dubitare poterit, hîc intrinsece maximam traditionis Auctoritatem? Quod si Ecclesiæ verbis tantum pondus est dandum, cur eiusdem sensui est negandum? His consentaneum est, quod ab Episcopo quodam pererudito auditum à se pro suggesto scribit Iosephus Acost. lib. 3. de Christo reuel. c. 11. nimirum eam esse Ecclesiæ vim, ut quæ de Sapientia Dei literaliter dicta essent, etiam literaliter intelligi deberent de Virgine Matre, cum ad eam, in eius officio accommodantur, verumque & proprium, & ut passim vocamus literalem sensum illorum verborum factorum, esse eum, in quem ab Ecclesia recitantur. Vnde is Antistes veritatem Cœceptionis Immaculatæ ex iis Scripturis quæ in officio Ecclesiastico dici Conceptionis in Ecclesia leguntur, firmari censebat. Ipse Acosta capite illo 11. contendit: Sensus istos accommodatitios ab Ecclesia factos, non minoris esse certitudinis, quam cum verba Scripturæ in primarium, & proprium sensum referuntur: eo quod Spiritus Sancti assistentia passura nunquam sit, ut in te tanta, populo Christiano illudatur.

Omitto etiam quod de locis in sensu accommodatitio usurpatis, contendit Alcazar. l. 4. in Apocal. c. 2. versic. 1. notat. 2. nempe propter vnionem Virginis cum Christo, Spiritum sanctum in sensu secundario à se intento, expressisse Virginem, iis ipsis locis quæ de Christo sunt in sensu primario.

Aduertendum etiam est, quàm multipliciter commenderetur in prædictis Scripturæ locis antecedentia sanctissimæ VIRGINIS super omnes creaturas, & diuina eiusdem possessio, imò frequenter, vbi in Scripturâ commendatur omnimoda VIRGINIS puritas, geminantur verba, & sententiæ, quibus eadem asseritur; sic dicitur: *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Atque iterum dicit: *Surge,* (sicut surgit Aurora, semper amicta Sole) *propera Amica mea, Columba mea, Formosa mea, & veni.* Et adeo prælecta præuisa, ac præseruata multoties similiter laudatur ita: *Quam pulchra es Amica mea: quam pulchra es!* aliisque quamplurimis sacre Scripturæ repetitis eloquiis semper pulchra, & Immaculata fuisse ostenditur.

Cant. cap. 2.

L. si stipulatus, D. de 2. vsur. L. Balista, D. ad Senat. C.

Hæc à veritate ipsâ tantâ geminatione, totiesque repetita, & quasi grandi admiratione verba prolata, maximam vim voluntatis, ac potentie, & perfectionis actus ostendunt: & ita

Ioan. Enseb. Op. Parib.

ostendunt, ut etiam illud comprehendatur; quod absque geminatione, & repetitione inclusum minimè censeretur; sicque obseruandum, & intelligendum cauetur in iure: *Cum nemini veniat, in dubium (inquit Iustinianus) quod repetita prælectio probabit hoc satis validum, satisque esse formosum.* Et Cardinalis Tufcus adiungit, quod verba geminata habent vim, & virtutem clausulæ, *omni meliori modo, in cuius actu tota voluntas, tota simulque potentia, seu potestas præcipientis, ac decernentis incumbit: & ita (ut Felinus asserit) quod repetitio, & geminatio sola verborum contineat vim clausulæ, non obstante, id est, vim, & virtutem derogatoriam cuiusque legis, & dispositionis in contrarium prohibita.* Igitur illa verba ab ipsomet Supremo Legislatore enixè, & multoties pronunciata: *Quam pulchra sunt gressus tui in calceamentis. Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Et iterum: *Quam pulchra es Amica mea, quam pulchra es. Dominus possedit me ab initio.* Et iterum: *Ab eterno ordinata sum.* Item: *Antequam quidquam faceret à principio. Et rursus: Nondum erant abyssi, & Ego iam concepta eram.* Similiter: *Ab initio, & ante secula creata sum.* Et similia toties geminata habent vim, ac virtutem clausulæ derogatoriæ Legis generalis peccati: *Omnes in Adam peccauerunt.* Sic super illa verba Domini: *Amen Amen dico vobis,* (inquit D. Augustinus) *multum commendat quod ita pronuntiat, & quodammodo, (si dicas est) iuratio eius est.* Aptè in suis Decisionibus Imperator Iustinianus edixit: *Qui bis, vel sapius quid facit, vel dicit, videtur velle quod contra id nihil possit opponi; quia vbi interuenit secunda consideratio, ibi adesse præsumitur plena deliberatio: non enim retractandum est, sed commendandum, atque etiam obseruandum, quod sæpè factum nititur aequitate.* Et quoniam, (ut inquit Papinianus) *enixe voluntatis preces (quæ verborum repetitione demonstratur) in omnem successionis speciem porrectæ iudicantur, & etiam tacite libertatis gratia repetitas ex Diui Pij rescripto censet: & sic inquit Socinus, quod repetitio verborum, & clausula geminata, præcipue in causâ favorabili inusitata, & specialissima comprehendit.* Idemque attestatur cum pluribus Tiraquellus, dicens: *Quoniam geminatio verborum arguit præcisam, atque enixam voluntatem, etiam si facta fuerit simul, & vno instanti, quia non debet esse absque effectu plenius operandi, neque intra terminos aliarum actionum circumscribitur.* Quomodo ergo intra terminos aliarum creaturarum circumscriptam fuisse censendum est illam, cui soli dicit ipse Deus omnipotens: *Tota pulchra es Amica mea, & macula non est in te.* Et iterum: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est Matri sue electa.* Et cui toties tam enixe voluntatis, & dispositionis, atque immaculatæ qualitatis, & prærogatiuæ pulchritudinis significatiua, & symbolica verba repetita, prænunciata, & pronunciata sunt? Quomodo, aut quo iure eam vllò vnquam tempore maculatam fuisse censebitur.

Trebel Iaso in L. cum filiofam. n. 65 de L. 1. Justin. in tit. de emend. ead. Tufcus tom. 8. conclus. 158. n. 2 fol. 578. Felin. in cap. Nonnulli, §. fallit 6 de rescript. n. 14. fol. 139

Tiber. Decian. conf. 3. n. 18. & 19. vol. 2. Menoch. lib. 4. præfat. 81. num. 24. D. Aug. super verb. Ioan. cap. 8. Tiber. Decian. sup. Imp. Iustin. in Auth. vt nulli Iudic. §. & hæc verò col. 3. Bald. in quæst. scism. vers. sed in contrarium, n. 15. Papin. in L. cum Pater, §. Filius matrem, D. de leg. 2. & in L. Aui2, §. 1. D. de cond. & demonstr. Socin. cof. 4. n. 30. vol. 4. & conf. 3. n. 23. vol. 3. Corn. conf. 237. n. 16. vol. 4. Rol. conf. 5. n. 14. & conf. 11. n. 36. vol. 4. Tiraq. in L. si vnquam verbo reuertatur C. de reuoc. donat. n. 50. Sard. conf. 369. n. 16. Anton. Petr. de fideicom. q. 15. n. 200. Dec. cof. 24. & 25. vol. 1.

§. VI.

*Illustrantur eadem ex Iuris ratione, & piâ
Iuris peritorum ratiocinatione.*

Satis in profunda Theologiae postea immergenitur, licet nunc tantisper in eruditionis spatium ripis. Addo, quod non solum dixit Ecclesia praedicta verba de B. VIRGINE; sed singulariter illum Prouerborum locum attribuit CONCEPTIONI eius, in cuius Festiuitate cum in Missa Epistola recitat, in eoque mirifice supponitur DEIPARA Concepta Gratia, cum non solum dicatur possessa ab initio; sed pariter id factum cum dominio: non enim ait Altissimus possedit me, sed Dominus possedit, ut exaggeret incontrouersam, & irrefragabilem possessionem, cum sit ipsius rei Domini, cum MARIAM, cuius DEVS per creationem est Dominus, semper possederit per Gratiam, quoniam pleno iure illum possidere dicimus, qui ut Dominus possidet. Et ita possessio (ut attestatur Baldus) plenissima, & integra significatur, cum domino possidentis naturaliter est communata Dominium enim (ut eruditè Peralta asserit) est plenitudo & perfectio quadam, & sic non recipit concurrentiam, quia non potest esse nisi unum numero; qua enim, rogo, cum alio iure, vel domino concurrerit, seu concomitantia, vel multiplicatio potest considerari, respectu eiusdem rei? Certè nulla, cum non sit dabile aliud dominium prater unum solum, quoniam dominium est ius perfectum, & rei perfecta nihil potest addi, alias esset imperfecta. Cui rationi, & Baldi doctrina congruit. Quoniam, inquit, dominium appellatur proprietas, & proprie proprium est illud, quod eadem consideratione non conuenit pluribus; (praecipue contrariis, aut obstatiuis) sed uni: non solum enim effectus; sed prima causa hoc ostendunt: quia impossibilis est pluritas plurium ad idem dominium concurrentium. Itaque in initio conditæ VIRGINIS, non potuit dominatum, nec possessionem VIRGINIS demon habere. Quod planè ex Iuris positui decisionibus magis explicari potest. Baldus enim docet triplicem dici possessionem, vna quidem nominatur *Datina*, scilicet quando statutum, vel Lex disponit, quod quis habitu tantum, seu animo, sine aliquo actu corporeo possessor alicuius rei fiat, ut apud Hispanos ex vi cuiusdam Legis decisum, & obseruatum est. Alia verò dicitur *Natiua*, quæ ex corporeo actu proficiscitur. Tertia denique, quasi media, appellatur *Precaria*: Sed omnes ad ciuilem ex animo, & naturalem ex corpore, tantummodo reducuntur; quia quod meo nomine corporaliter possidetur, ego animo possideo. Eadem enim possessio (inquit Baldus) considerari potest dupliciter: uno modo, prout homo est in possessione; & ista est possessio naturalis; alio modo, prout possessio est in homine; & ista est possessio civilis: vnde dum sedeo super equo, naturaliter possideo equum, & dum in conspectu habeo. Sed pone, quod non habeo in conspectu, tamen figura mentalis, & abstracta illius subiecti est in mente, ac voluntate meâ, & illa possessio dicitur civilis, per sensum intellectus, & voluntatis. Vnde dixit Aristoteles, quod lapis non est in anima; sed species & idea lapidis. Vnde proprie dicitur, vbi the-

saurus, vbi cor hominis est; quia idea, & species thesauri in corde hominis est. Ideò summa benignitas, largitas, & sapientia DEI, qui desiderio desiderabat Thesaurum Gratia, & Misericordia suæ hominibus impertiri, ex immaculatâ VIRGINE carnem assumens, quasi animo respiciens, & possidens, poterat dicere: *Et delicia mea esse cum filiis Hominum*; id est, cum Matre suâ, quam ab initio viarum suarum immaculatam sibi possedit. Si ergo tanta est vis legis etiam humanæ, & positivæ, quod non solum ius possidendi concedat; sed ipsammet possessionem, antequam corporaliter apprehendatur, transferat: quia praesupponit res illas ab initio decreti Fideicommissi, vel Maioratus esse in animo eius, cui ius succedendi, easque habendi inest, tanquam thesaurus in corde suo. Quid de vi, & virtute legis æternæ iure censebimus. Quia, (ut inquit Apostolus) *vinus est sermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius*. Igitur ab initio illius legis æternæ, & ex vi, & virtute eius, primus Thesaurus DEI, inter omnes creaturas sibi selectus, fuit Mater sua: & sic in initio viarum suarum in corde suo, antequam quidquam corporaliter apprehenderet, fuit iure irrevocabiliter possessa. Sic meditantur pietas, & eruditio aliquorum, Peritorum Iuris, liceatque ponere adhuc morulam in piâ ratiocinatione eorundem. Ideò, Dominus creare Mariam voluit immaculatam, ut possideret immaculatam eam; quæ congrua, & apta Genitrix eius esse posset. Ideòque toties ab Spiritu sancto *Pulchra, & pulcherrima amica sua, & sine macula* prædicatur; & aliis elogiis collaudatur. Quoniam Mysteria hæc, *etsi verbis tegantur* (ut inquit I. C. Pomponius) *eandem significationem habent, quam haberent expressa, & monumentum aliquod habebunt*. Nos docent, ut eam semper pulchram, semper immaculatam fuisse, & Amicam DEI iure, & merito confiteamur. *Tunc præcepit, & dixit mihi*. (Filius & Mater adinuicem colloquuntur) *Creator omnium, & qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*. Tanquam Creator dixit, & factum est, & tanquam Dominus possidens præcepit. Quando vnus specificatur ab omnibus est propter aliquam præ excellentem qualitatem distinctam, in quâ à reliquis distinguitur. *Ite, dicite Discipulis, & Petro*. Discipulus quidem erat Petrus; sed ob Principatus prærogatiuam speciali nominatione denuntiari oportet. *Præfertur igitur* (ait I. C. Paulus) *omnimodo cæteris, is, qui & re, & verbis coniunctus est*. Et sic dicitur Creator omnium, & qui creauit me, specialiter, scilicet, immaculatam, & Gratia plenam, non sicut cæteros, qui maculati concipiuntur. Ideò, *Requieuit in Tabernaculo meo*; non in alio eiusmodi.

Hæc igitur verba: *Et requieuit in Tabernaculo meo*; significant, quod nullam in eo causam iræ, & furoris, neque displicentiæ, aut signaculum maculæ inuenit: quia requieuit in creatura immaculata, & vnica; in cuius spe requieuit ab initio, ut in vtero eius deliciarum suarum oblectamenta caperet: & ex eo tunc dicere posset: *Et delicia mea esse cum filiis hominum*. Propterea, non solum pedem imposuit, cum Terra sit scabellum pedum Eius; sed totum Corpus recubuit, & quieuit in Tabernaculo suo: quod dominium, ac possessionem quietam & pacificam, deli-

Bald in L. 1. n. r. Cod. comm. de V. l. cap. Tiber Decianus conf. 247. n. 56. Petr. de Peralta in L. seruus, § qui fideicommiss n. 3; & 4. D. de hæred. instit Bald in l. in suis n. 4. D. de Liber. & posthum.

Bald. in cap. cum venissent, n. 4. de Restitutio- ne spoliator.

Lex 45. Taur.

Idem Bald. in cap. Cæterum, n. 8. de Iudiciis.

Prouerb. d. c. 8.

D. L. 45. Taur. & Glossographi eius.

Ad Hebræos cap. 4.

Pompon. in L. si quis 68. D. de Hæred. inst.

Eccles. c. 24.

Vide Lunam Arclan. in Theorem. Marc. cap. 16.

I. C. Paulus in L. Re. coniuicti 89. D. de Leg. 3.

Eccles. cap. 24.

Prou. c. 8.

licii propriis affluentem ac perpetuam demonstrat. Nemo enim magis propriè quid possidet, quàm tabernaculum suum, & domum, in quâ habitat, & requiescit: idèdò domo Dominus deriuatur, quasi ille est Dominus, cuius propria domus est. Hinc domo sola, diuerticulo, aut tabernaculo inhærente etiam ea, quæ Iuris Gentium sunt, possideri possunt, inde filij sui heredes Patris dicuntur, & quasi Domini existimantur, dum Paternæ Domui hærent, & in eâ requiescunt: emancipati autem, quia eliminati è domo sunt, sui hæredes, & Domini nullatenus nominantur. Vnde, perpetua fuit hæc possessio, sine vllâ interruptione plena & continua; & hoc ipsum ex iuridicâ Legum ratione, sanctionèque iuris, iterùm comprobarur, & ex præclarissimis, & aptissimis Hæctoris Æmilij verbis sequentibus exornatur; inquit enim: *Et quatenus antiquissimum instrumentum dicebat, quod Dominus possedit eiusmodi Castrum, cum verba significativa sint plenæ possessoris (hoc est, Dominus possedit) non tantum hæc plenitudo superiora tempora complectitur; sed ad præsens, & futurum continuata iudicatur: hoc enim prouenit à natura dominij semel radicati; proueniebat etiam à magnitudine possessionis, & subiacentis rei, cuius pudorem attingebat tam opulentum, & singulare castrum nunquam deseruisse.* Hactenus ille; ac si in specie nostræ speculationis loqueretur, & roboratur quoque sententia Baldi, ex Iuris Decisionibus prælibata, quòd *Verificatio primordiali dominio semper utique ipsius continuatio in posterum præsumenda est.* Quam rationem sapiens Hispaniarum Rex, ac Imperator Romanorum electus, pro Lege sanciuit his verbis: *Esto es por que sospecharon los Sabios antiguos, que todo home que en alguna fazon fue Señor de la Casa, que lo es aun hasta que sea probado lo contrario.* Et Petrus Surdus, & alij Iuris-Consulti subscripserunt, *Quòd quando constat de principio possessionis, & apparet eos etiam nunc possidere, præsumendum est medio tempore continuatam fuisse possessionem.*

Horum Doctorem, ac Iuris Consultorum doctrinæ, iurisque, ac Legum rationes, & circumstantiæ eminentiori ac præpotentiori modo circumscribuntur in illâ veritatis infallibilis sententiâ, sacræque decisione: *Dominus possedit in initio viarum suarum.* Quia huius Domini plenitudo, & potestas infinita est. *Domini (enim) est terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo.* In ipso quo que viuimus mouemur, & sumus; per quem omnia, & in quo omnia facta sunt: idèdòque prouenit à naturâ dominij eius: *Ego Dominus. hoc est nomen meum, gloriam meam alteri non dabo.* Et sic verissima illa possidendi, ac dominandi plenitudo; non tantum superiora tempora complectitur; sed ad præsens, & futurum firmissimè continuatur. Præcipuè, quia quòd in initio possideret Castrum inuiolatum, Matris suæ sanctam habitationem, & tabernaculum suum; proueniebat etiam à Magnitudine tanti Possessoris, *Qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et simul à magnitudine subiacentis rei possessæ (vt ait Æmilij) cuius pudorem attingebat tam opulentum; singulare atque magnificum castrum nunquam deseruisse. Castrum illud fuit sicut Castellum, Turrisque fortissima, ex quâ mille clypei pen-

dent, *Omnis armatura fortium.*

Hic etiam notandum discrimen inter dominium, & possessionem humanam, ac diuinam; quòd dominium particulare hominum à possessione sumpsit exordium; idèdò à naturali possessione cœpisse Dominium *Nerna filius ait.* Verum possessio DEI cœpit à dominio, quia Dominus omnium est, pro voluntate suâ possidet per Gratiam, quos voluit, & voluit quidem, & decuit semper præ omnibus possidere Genitricem Filij sui.

L. L. C. de Reuac. donat

§. VII.

Ex Scholasticis, & Ratione Theologicâ idem probatur.

Cum igitur tot Patres doceant (Scripturâ attestante, & Ecclesiâ contestante) CHRISTVM Redemptorem, & Eius Matrem fuisse à DEO decretos ante omnes alias creaturas absolute futuras; ac per consequens ante Pactum cum Adamo; non mirum, quòd innumeri Scholastici idem affirmant: (Miror autem hoc à Theophilo Raynaudo minus respectum) verum cum ex aliâ parte asserant communiter Patres, non incarnandum Filium DEI, nisi in Peccati Adami remedium: quod videtur esse contrarium Prædestinationi CHRISTI ante omnes creaturas, ipsumque Adamum, Nobilissimi Theologi inuenerunt viam, per quam vtramque Patrum doctrinam in concordiam reducant, affirmantes primam omnium DEI voluntatem absolutam, circa creaturas condendas, fuisse de creatione CHRISTI vt Redemptoris, sine volitione tamen peccati Adami; sed solum ex cognitione eiusdem peccati cum crearetur. Sic Ludouicus Molina 1. part. quæst. 23. artic. 4. & 5. disp. 1. memb. 7. & 8. Albertinus tom. 1. corol. 1. & 6. quæst. 1. punct. 4. Iacobus Pinto tom. 1. de Christo Crucifixo lib. 2. tit. 1. loc. 1. num. 14. Grano de Concept. disput. 3. cap. 28. & tract. 3. de Incarnat. disput. 1. sect. 4. Aldrete tom. de Incarnat. quem omninò sequitur Andreas Pintus tom. de CONCEPTIONE, in examine Textus sancti Thomæ ad quæst. 27. tertiæ partis, art. 1. Ioannes Perlinus disput. 4. de debita. Siluester Saavedra de Deip. vestig. 3. D. 20. Martinus Conuelt tom. 2. confoc. 28. Item Ioannes Prudentius in 3. part. S. Thomæ tom. 1. Gundisalvus Sanchez de Lucro, tract. de Concept. Vega pal. 2. cert. 3. & plures alij, qui satis expediunt suam sententiam, non solum ab obiectionibus, quæ possunt opponi aduersus illam; sed à difficultatibus aliarum sententiarum, mirè concordantes Patrum, & Scripturæ Testimonia, qui videntur sibi inuicem aduersari: quod satis est, vt hæc doctrina admittatur, nixa in diuersis Patrum sententiis, eorumque concordia, & consensu; ex illaque, vt notauit Andreas Pintus, concordatur doctrina Diui Thomæ de CHRISTO simul capite Angelorum, nec nisi de peccato præmisso venturo, quæ tot tragædias vltà concitasse: & vt è re meâ est, materiam magis inuam, quàm confirmabo: quia quòd in eâ difficile inuoluitur, in aliis tractatibus de Incarnatione, Scientia DEI, & Actibus liberis, abundè Nostri ad rem suam confirmarunt: & alij eandem sententiâ defendunt independenter à scientia media vt in omni schola plausibilis sit.

L. fin. D. de Præsc. d. L. in suis, D. de liberis & posthum.

Hæctor. Æmil. de iur. feud. cap. 12. num. 32. Aymon Craueta conf. 391. nu. 4 vol. 3. Tiber. Decian. cõf. 11. num. 53. vol. 1.

Mandel Albenf. conf. 115. num. 6. Bald. ex L. siue possidet C. de Prob. num. 1. v. que ad 4. & in cap. vnic. num. 5. de eo, qui sibi, & hæredibus suis.

Celsus Hugo conf. 120. nam. 15. Zasius de feudis 8. p. num. 43. Vvesembek conf. 41. num. 31. l. 10. tit. 14. p. 3.

Et ibi Gregor. Lopez Glof. 1. & ex Abbate, in Cap. Præterea de transact. Petrus Surd. conf. 73. n. 45. v. que ad 48. vol. 1.

Alexander conf. 39. n. 3. vol. 2. Socin conf. 16. num. 7. vol. 3.

Nata conf. 235. n. 18. Roland. conf. 15. n. 31. vol. 4.

Stephan. Federic. de Ordine iudic. c. 17. num. 33. Isaias c. 42. Sapient. c. 8. c. 3. & 4.

De quo videri potest Ioannes Prudentius supra Igitur cum voluisset DEVS Mundum cum Adamo Hominum Capite creare, ipsūque iam conditum sciret peccaturum, prouidit, priusquam absolutè decerneret eius creationem, vt CHRISTVS redemptor eius existeret, quem vt talem decreuit ante omne aliud decretum absolutum circa creaturas; postea verò decreuit absolutè creationem aliarum naturarum, & ipsius Adam, qui liberè peccauit contra voluntatem DEI: qui, non obstante decreto de CHRISTO Redemptore, nequaquam voluit Adæ peccatum; non enim vsus est ad decernendum CHRISTVM Redemptorem volitione peccati; sed tantum cognitione infallibili eiusdem: sicut enim non tollit libertatem præscientia DEI futurorum absolutè, sic nec conditionerum, imò, nec opus fuit decernere prius concurrere ad materiale peccati Adæ, quam CHRISTVM Redemptorem, cuius exemplum est. Quia etiam decreuit DEVS prius auxilium efficacem, quam concurrere ad bonum consensum, qui liberè postea elicitur; quamuis ante decretum de auxilio, & scientiā infallibili cognosceretur: imò, quemadmodum DEVS, propter aliquam rationem suæ Gloriæ, potest velle dare alicui auxilium sufficiens, & cognoscens eum, qui tale auxilium acciperet peccaturum, potest ante decretum absolutum dandi illud auxilium, ex cognitione peccati; sine volitione tamen illius, prouidere decreto absoluto Prædicatorem, qui illum hominem ad pœnitentiam reduceret, quin propterea DEVS vellet tale peccatum: Idem omninò potest dici de decreto Redemptoris CHRISTI, & volitione peccati Adami. Quemadmodum posset etiam accidere in traditione Iudæ: cum enim DEVS præuidisset, si eligeretur Iudas in Apostolum, venditurum CHRISTVM, poterat decernere absolutè electionem sancti Matthiæ, & reuelare illam veritatem Prophetis, cum propter Gloriam suam decerneret electionem Iudæ, quin DEVS esset causa peccati illius; nam vt benè obseruauit Sanctus Iustinus quæst. 58. *Fieri oportuit, vt CHRISTVS ab vno Discipulorum suorum hostibus proderetur, vt scriptura impleteretur, videlicet, CHRISTVS scripturae impletionis causa fuerit, non Iudæ proditiōis. Nam huius ipsemet Iudas causa fuit, quam DEVS fore cum prænosceret, per scripturam prædixit, & non est præscientia causa eius, quod futurum est; sed id, quod futurum est, causa præscientiæ: siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientiæ; & haud quaquam præscius causa est futuri. Quocirca, non CHRISTVS causa est proditiōis Iudæ; verum proditiō est causa Domini præscientiæ.*

Exemplo etiam humano hoc potest explicari: Siquidem Rex opus haberet mittere exercitum in Regionem aliquam, obnoxiam morbis, sciretque per diuinam reuelationem, maximum illius Ducem ægrotaturum grauitè esse; poterat hic Rex, antequam diplomate suo Regio iussisset expeditionem illius exercitus ad prædictam Regionem, iubere speciali & absoluto decreto insignem Medicum illuc præmittere, vt Duci illi medicinam opportunam adhiberet, & reliquo medicaretur exercitui: hic Rex nequaquam potest dici voluisse morbum suæ gentis in prouisione Medici, sed potius quia prouidit illum præ-

mittere, nolebat ægrotare suos; quod autem miserit exercitum, & Ducem, quem sciebat ægrotaturum, & quidem per notitiam infallibilem, anteaque præmiserit Medicum, non id fecit, quòd voluisset morbum, quamuis cum infallibiliter prænosceret; sed ob aliam causam, ad quam non requirebatur, tanquam medium volitum alicuius ægrotatio. Quod si hoc potuit ita rectè disponere ratio humana, cur non & Prouidentia Diuina? Planè, non volitio aliqua peccati; sed summa Bonitas, & bona totius boni voluntas illucet in hâc ordinatione, quam potuit DEVS habere, & videtur iuxta Patres habuisse, decuisseque suam infinitam Bonitatem; scilicet, ad Gloriam meam spectat creare Mundum, & Adam. Verum, cum sciam hunc peccaturum, nolo illum creare sine remedio suæ ruinæ: quapropter prouideo Redemptorem illi præparare ipsum meum Filium, quem ex MARIA VIRGINE decerno creare: nunc autem, quia iam est præparatum remedium Adami, decerno ipsum Adamum creare, & vniuersum Mundum propter Gloriam meam. In hâc autem dispositione, nihil est contrarium sibi, nihil Optimo DEO indignum. Atque hoc Pacto primum omnium futurorum absolutè decretum, siue positiuè, siue negatiuè (quod sufficit, nimirum non fuisse aliud prius) fuit de CHRISTO Redemptore, & consequenter, aut immediatè, etiam de Matre Eius Sanctissimâ, tanquam Redemptionis Adiutrice, simul cum Gratia concipienda: quare, in Pacto Adami nondum absolutè futuro, nequit comprehendi.

§. IX.

Dispositio diuinorum Decretorum, & diuersitatis Gratia in Angelis & Hominibus.

NON obstant dicta quominus ante hoc primum Decretum absolutum, & voluntatem efficacem mittendi CHRISTI Redemptoris, habuisset DEVS alias volitiones antecedentes, nondum absolutas, & efficaces, & alia decreta conditionata, imò necessariò aliqua huiusmodi deberent antecedere ad sapientem rerum dispositionem: nec suaderi possum, quin excellentissimum omnium opus vnionis hypostaticæ non se obtulerit diuinæ menti primum faciendum in quacumque rerum ordinatione; sed non erat necesse determinare pro tunc an vnio illa fuisset cum Naturâ Angelicâ, vel Humanâ; se indeterminate ad alterutram prout gloriosius ad suam Gloriam disponi posset. Habuit igitur immensa illa, & infallibilis Bonitas DEI hanc bonam voluntatem communicandi se omnibus modis, creaturis scilicet per Naturam, item per Gratiam iis, quæ illius forent capaces; tum per Gloriam iis, quæ sibi obedirent, & per suam propriam substantiam in vnione hypostaticâ alicui ex istis Naturis, in quâ ex meâ suâ liberalitate concurrerent omnes istæ communicationes per Naturam, per Gratiam, per Gloriam, & per Diuinitatem suam: descendens autem ad particulariter creandos Angelos, quorum Gratia non pendebat ab vno aliquo ex illis quia non concurrat in vnum genus, & homines quorum gratia dependere oportebat à capite sui generis, &

& amittenda esset ab illo, si crearetur, tunc ob infinitam Pietatem suam decreuit absolutè vnionem hypostaticam fieri in Naturâ Humanâ, vt per Passionem, & Crucem sui Filij Genus Adam redimeretur; cùm nullum aliud gloriosius DEO obiectum suæ Gloriæ occurrere possit, quàm vnio hypostatica, ob causam dictam opportunissimè decreta. Idè Apostolus dixit: *Nunquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Quoniam DEVS motus aliquam ex his Naturis assumere, tandè determinatè elegit Humanam. Ex his aptè componitur, quodd nihil prius fuerit volitum DEO, quàm vnionis hypostaticæ gloriosissimum Opus, & ex aliâ parte, quod VERBUM DEI non incarnaret, nisi propter peccatum Adami, & quod in quocumque euentu, & dispositione per summam vnionis hypostaticæ communicationem splendesceret Diuinæ Bonitatis Immensitas. Quod si mihi liceat dicere quod sentio. Verè quidem existimo magnum adiumentum extitisse ad electionem naturæ assumptæ, vt fuisset Humana, & non Angelica; excellentia supereminens, supremusque gradus inter res creatas Diuinæ Maternitatis, scilicet, vt esset VIRGO MARIA Mater DEI, vt non solum qui naturam creatam habebat, esset Persona Diuina; sed vt Persona creata attingeret quasi quandam infinitatem per maternalem vnionem cum DEO. Hoc enim perfectissimum opus Personæ Matris DEI, est maxima perfectio vniuersi post naturam assumptam, & oportebat non deesse pulcherrimæ rerum vniuersitati hunc supremum gradum creatarum personarum: quare aduicta fuit Gloria DEI in determinatione naturæ assumptæ ex intentione Redemptionis humanæ per accessionem Diuinæ Maternitatis, quæ est summa creaturarum dignitas, & quasi infinitudo quædam excellentiæ. Sicut enim decuit ad perfectionem vniuersi vnio hypostatica, quia cùm sit creata, habet quoddam genus infinitatis; sic etiam decuit ad eandem perfectionem Mater DEI: quia etiam cùm sit creata, habet obiectiuè quoddam genus infinitatis in suâ Dignitate, prout notauit Sanctus Thomas. Addo, quod etiam propter hanc Dignitatem, & perfectionem Diuinæ Maternitatis, esset DEO amabilis vnio hypostatica: nam si propter Redemptionem Hominum fuit amabilis, cur non etiam potuit esse amabilis propter excellentissimum gradum, & gloriam, & communicationem præminentem suæ bonitatis in personâ Matris DEI, cuius excellentia, & gratia excedit non solum cunctorum hominum prærogatiuas, & gratias; sed etiam omnium Angelorum? Nec reliquus mundus visibilis, & inuisibilis tantus est ac Mater DEI, quæ dignitas per se est amabilis DEO ad perfectionem vniuersi, & gloriæ suæ splendorem; sicut est vnio hypostatica.

Si DEVS creauit Homines, & Angelos, vt per se amabiles, ad gloriam suam in illis manifestandam, ac propter homines creauit mundum corporeum, imò & CHRISTVM ipsum propter eorum salutem & Redemptionem: certè maior ratio fuit, vt perfectissimum opus naturæ assumptæ hypostaticè per se intendere; aut propter gloriam suam manifestandam expeteret, ad illudque cætera omnia, & homines ipsos, atque Angelos referret: illud enim opus, hoc est, naturæ exaltatæ per vnionem hypostaticam, est

Ioann. Enseb. Op. Parib.

per se amabilius cæteris omnibus, magisque facit ad gloriam suam manifestandam, & dignius est vt propter ipsum cætera facta sint, ad illudque velut ad finem referantur, & ipsum tandem ad DEVM velut ad finem vltimum, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem CHRISTI; CHRISTVS autem DEI.*

Negari non potest, quin totum opus ex vnione hypostaticâ resultans, pertineat propriè ad vniuersi creati perfectionem, tanquam apex & caput creaturatum; vnio verò hypostatica non potest esse, neque intelligi, quin Personam Diuinam, & Naturam creatam inuoluat; neque est tam parvæ entitatis ac Lessius imaginatur, cum sit ipsamet extrema substantialiter, & seipfis vnita: & quamuis distingueretur ab Extremis, velut modus adueniens humanitati, eique inhærens, vt Lessius, & alij plerique affirmant, esset adhuc valdè magna perfectio constituens formaliter naturam creatam in statu hypostatico nobilissimo, & planè diuino; id est, constituens mirabile suppositum ex naturis diuinâ & humanâ substantialiter vnitis in hypostasi VERBI, quod dum facit, constituit nouum gradum rerum, nempe substantiarum mirabiliter compositarum ex naturâ creatâ, & diuinâ hypostasi. Nec obstat quod obiicit Lessius disp. de Prædestinatione. CHRISTI sect. 1. num. 4. *Mysterium incarnationis includit humiliationem, & exinanitionem diuinitatis, vt loquitur Apostolus Philip. 2. initio.* Ergo nullo modo fuit per se expendendum, seu vt vniuersum omnibus rerum gradibus constaret; sed solum ob aliam causam extrinsecam maioris momenti, cui aliâ ratione consuli non poterat: quoniam, quamuis concedamus hoc de incarnatione, per quam CHRISTVS humiliavit se vsque ad mortem, & assumpsit formam peccatoris, assumpsit naturâ humanâ, postquam Adami peccatum omne suum Genus corrupit; tamen nos non sumus locuti de hoc modo vnionis hypostaticæ in carne passibili, imò, nec in carne etiam gloriosa: sed abstractè de perfectione totius operis vnionis hypostaticæ indifferentè ad vramlibet naturam Angelicam, vel humanam: quæ maxima DEI gloria est, & demonstratio immensæ suæ bonitatis, vsque ad communicationem personalem sui diuini esse. Preterea, Ioannes Martinonius disp. 3. de incarnat. sect. 6. satis argutè retorquet argumentum Lessij in ipsummet, & dilucidè respondet huic, & aliis obiectionibus aduersus dicta. Etenim ex nostris ratiocinationibus non solum curauimus expedire viam ad componenda diuersa sanctorum Patrum placita, & Sacræ scripturæ testimonia: sed etiam Scholasticorum sententias, ita vt non sint pleraque aduersus nos eorum Argumenta; sed potius pro nobis.

Determinatâ itaque assumptione humanæ naturæ per vnionem hypostaticam statim subiecit CHRISTO DEVS omnia creanda vsque ad sublimiores Naturas Angelorum, quas dotatas gratiâ, ex merâ suâ liberalitate, seruas sui CHRISTI destinavit, earumque caput & Regem constituit, atque eandem iussit adorare illum iuxta illud: *Et adorent eum omnes Angeli DEI.* Spectabat enim ad diuinam liberalitatem, imò ad gloriam CHRISTI, vt non spectatis suis meritis donarentur gratiâ à DEO, vt nobiliores seruos optimus Pater optimo Filio daret gratis, exornatæque maiestatem VERBI incarnati: amor enim

æterni Patris erga Filium hanc libertatem debuit exercere, ut non emeret à Filio gratiam, quam suis seruis concessit, in quibus nullum fuit impedimentum gratiæ conferendæ, & conferti potuit gratis saluo & integro honore diuinorum attributorum: decuit enim ut sicut DEVS integerinus exactor fuit satisfactionis infinitæ, ut gratiam perditam restitueret humano generi, ne violatum maneret attributum suæ iustitiæ, aded ut non solum requisisset ad hoc pretium infinitum meritorum CHRISTI utcunque; sed morte consummatorum, ut constat ex Sancto Paulo ad Hebræos 2. Sic etiam liberalissimè sine ullâ relatione ad compensationem concederet Gratiam seruientibus CHRISTO, cum nullâ satisfactione indigerent; itaque sicut decuit diuinam iustitiam, ut gratia collata hominibus peccatoribus fuisset exactissimè empta à CHRISTO: ita decuit diuinam munificentiam, ut gratia collata Angelis innocentibus fuisset omninò gratis; quod etiam spectabat ad diuinam dispositionem. Cum enim DEVS crearet Angelos non ad finem naturalem; sed ad supernaturalem, ut supernaturali Beatitudine fruenterentur, spectabat ad DEVM non solum eis concedere naturam; sed in statu, & vitâ supernaturali eos per gratiam constituere: quod autem Angeli non fuerint sanctificati per gratiam CHRISTI; probatur ex Sancto Paulo 2. ad Hebræos, ubi probat debuisse CHRISTVM constare carne & sanguine; quia illi, qui per eum sanctificandi erant, his constabant; at Angeli non constant carne & sanguine. Item: *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes*; id est, ex Adamo, ut ibidem ait Apostolus. At Angeli non trahunt originem ex Adamo: ergo non erant sanctificandi per CHRISTVM. Item ibidem. *Nusquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit.* Græcè ἐπιλαβάνεται, id est, quasi in eadē manu apprehendit & tenet, ne ruant in interitum, ut Ribera & alij in hunc locum exponunt; sensusque est, non debuisse CHRISTVM Angelis assimilari, quia ad eos saluandos non venit. Addit Vazquez disp. 12. num. 12. & disp. 49. num. 21. Vbi contendit primos Parentes ante peccatum & Angelos non fuisse sanctificatos per CHRISTVM quod omnia merita CHRISTI ita consummata fuerunt morte ipsius, ut non nisi prout coniuncta morti effectum habuerint, & ab illâ efficacitatem acceperint iuxta illud Pauli: *Videmus IESVM propter passionem mortis gloria, & honore coronatum, ut gratia DEI pro omnibus gustaret mortem: decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat auctorem salutis eorum per passionem consummare; qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex uno omnes propter quam causam non confunditur fratres eos vocare.* At CHRISTVS non est mortuus pro Angelis, neque illis, aut primis parentibus in statu innocentia, & ante præuisum peccatum, potuit gratia decerni propter mortem CHRISTI.

Hanc distinctionem sanctificationis, & gratiæ in Angelis, & Hominibus, quam supponit sanctus Paulus in prædicto loco, satis confirmant alia scripturæ loca; iuxta quæ duplex Genus gratiæ considerari potest: vnum gratiæ condecens; alterum gratiæ abundantis, quæ refertur ad CHRISTVM. Sic dicitur: *Et copiosa apud eum Redemptio.* Ipsèque CHRISTVS in Euangelio

dixit venisse, *ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Et in Epistolâ ad Romanos docet Sanctus Paulus donum Gratia per CHRISTVM abundasse, maiusque esse, quàm gratia amissa per Adamum. Decuit enim hunc honorem præstitisse æternum Patrem meritis sui Filij, ut gratia quam suâ passione & morte meruit; abundantior sit. Vnde cõsiderandæ sunt hæ circumstantiæ. gratiæ CHRISTI, ut sit gratia pro congeneribus, & cognatis, confortibusque suæ naturæ humanæ: altera, quod sit copiosior, & cum aliis circumstantiis maximè excellens, quas considerauit Pater Franciscus Suarez. Ob has igitur duas circumstantias per gratiam CHRISTI, fuit sanctificata sanctissima VIRGO MARIA, licet non habuerit peccatum Originale, nec debitum eius: nam si ad connaturales, & congeneres CHRISTI spectat sua gratia, mater etius naturalis non debuit excludi ab illâ.

Cæterum, antequàm vterius procedam, aduerto ex dictis sequi Angelos sanctificatos fuisse non per merita CHRISTI; sed per reuerentiam Eiusdem, per gratiam quidem debitam CHRISTO ratione suæ maiestatis, non emptam à CHRISTO; sed nihilominus CHRISTVM esse caput etiam Angelorum, non solum ob diuinitatem suam sed etiâ quodâmodo ob quoddâ genus influxus ingenere causæ finalis. in Angelos non solû maiestatis illustrationi & gubernationis suæ, sed etiâ gratiæ habitualis, nō quidem meritorius; sed reuerentialis, siuè ut potius dicâ meritorius non ex obsequio passionis; sed meritorius ex debito maiestatis: meruit enim maiestas & infinita CHRISTI sanctitas, ut seruos haberet sanctitate donatos, & à tantis principibus adoraretus. Hinc est, quod Ecclesia dixit, Angelos laudare DEVM per CHRISTVM: *per quem maiestatem tuam laudant Angeli adorant dominationes tremunt potestates.* Non solum quia merita passionis CHRISTI, & victoriæ eius de mundo, morte, & diabolo præbent occasionem cælestibus spiritibus laudandi DEVM; ut constat ex Apocalypsi: sed etiam quia per reuerentiam CHRISTI donati sunt gratiâ sanctificantem, & deindè gloriâ. Hæc dispositio videtur maior gloria æterni patris; CHRISTI Domini: quoniam hoc pacto conceditur CHRISTO influxus causæ finalis in Angelos quo iure dominatur in illos, cum propter illius honorem fuerint in gratiâ creati; DEVS enim non solum est Dominus omnium rerum, quia ipsarum causa efficiens est; sed etiam quia earum est vltimus finis regredior ad institutum.

§. IX.

Prædestinatio DEIPARÆ redimenda per FILIUM.

PRæterea, cum ad Gloriam DEI spectaret præparare VERBO Incarnando Dignissimam Matrem, plenam Gratia abundantissimæ; per abundantem Gratiam decuit omninò Sanctificari: vnde statim ac decreuit DEVS CHRISTVM Redemptorem, decreuit pariter ei Matrem Sanctissimam, cui nunquam deesset Sanctitas; sed semper esset plena Gratia, quam illi prædestinavit, ex præuisis Filij sui Meritis, ut per eadem Merita antecedenter fuisset Redempta per

per omnimodam Præseruationem, imò per antelationem ad omne periculum, futurum: etenim emptio humana potest esse eius rei, quæ nondùm est; imò & quæ fortassè non erit, vt emptio fructuum in quodam agro nasciturorum, anno sexto v. g. post illum contractum. Potest etiam esse Redemptio Captiuitatis nondùm existentis, imò nec futuræ, vt si timens capiendam à Piratis nauim, summam pecuniæ daret Duci eorum, si fortè illam vicisset nauim, vt matrem, vel sponsam suam inibi vectam, intactam, liberam, & cum decore remitteret. Planè, hæc mater egregiè redempta præseruatiue fuit per Filium à captiuitate nondùm existente, nec certò extiturâ; maximè cùm potuisset euenire, vt illam nauim non inuenissent Piratæ per aliquam tempestatem distracti. Sic Sanctissima VIRGO, licet non habuisset peccatum Originale, nec debitum eius: nec villo modo inclusa fuerit in pacto Adami; potest tamen dici præseruatiue Redempta, dum per merita sui Filij non fuerit comprehensa in Adamæo pacto, ex quo labendi periculum haberet in Originale peccatum, iuxta suæ conditionis, & generationis naturam, nisi præuenta fuisset: potuit autem hoc fieri per merita CHRISTI, cùm absolute futura præcesserint pactum Adami, tunc solum conditionatè, non absolute futuri.

Quàm excellenter, & primariò redemisset CHRISTVS suam Matrem, ostendit sanctus Bernardus ferm. de Assumpt. Plus (ait) pro VIRGINE redimendâ is venit, quàm pro omni aliâ creaturâ, iuxta illud Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus prima vulnerasti in Cruce cor meum: nam primogenita Redemptoris fuit beata VIRGO.* Sanctus Ambrosius in Lucam: *Nec mirum si Dominus Redempturus Mundum, operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.*

Aptè Nicolaus Cusanus exercitationum lib. 8. protulit: *Non indignit, VIRGO liberatore, qui illam absolueret à sententiâ in Adam, & posteros eius in voluntate carnis lata, cui nunquam subiacuit, nec indignit liberatore à seruitute, in quâ nunquam fuit. Præliberatore enim VIRGO sancta habuit, ceteri liberatore: Sola electa DEI Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequirit.* Debit quidem CHRISTVS, vt excellentissimus fuisset Redemptor suæ Matris, eam per præseruationem redimere. Sic Principes Medicorum medicinam præseruatiam vocant nobiliorem, pulchriorem, imò & diuinam. Hippocrates 5. de morbis popularibus ait: *Si aliquid diuinum est in medicinâ, aut in morbis, quid nisi præcautio?* Galenus Ifagog de subfiguratione dixit: *Ille verò animi habitus, quo medicus vel indicare, vel curare, vel sanitatem custodire potest, meritò pars nobilior medicina, & subtilior vocabitur præcautio.* Auicena Fen. 6. lib. 4. tract. 4. dixit: *Et scias, quod si scis præseruare ab aliqua agridudine, siue sit lethale, siue non; pulchrior in medicina tenebis.* Vnde meritò dixit Cardinalis Cusanus, quod Mater DEI in initio essendi deficere nequirit, scilicet per præseruationem, seu præliberationem sui Filij.

Quoniam *Gloria Filiorum, Pater eorum*: & per oppositum ignominia Matris ad Filium redundaret, ita, vt apud Hispanos optimo iure Custos

Castelli constitui non poterat, nisi, qui ex utroque parente nobilis esset: *Dene ser de buen linage de Padre, y Madre.* Quia & apud Sapientem dictum est: *Quàm pulchra est casta generatio cum claritate, immortalis est enim memoria illius, quoniam apud DEVM nota est, & apud homines.* Idè ipse Filius DEI, quia ex MARIA factus est Homo, Patri suo dixit: *Pater, clarifica nomen tuum.* Cuius testimonio Matris eius attestatio correspondet: *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.*

Potuit enim quod voluit, & voluisse dubitandum non est; quod iuris etiam duplex ratio persuadet: prima propter se, quia vt respondit Vlpianus: *Hoc ex dignitate, & ex voluntate, & ex conditione eius, qui fideicommissit, accipiendum est.* Secunda propter Matrem suam, quoniam *Præsumptio propter naturalem effectum,* (maximè vt inquit Scauola erga parentes.) *Facit omnia Patri videri concessa.* Quis igitur omnipotentem Deum omnia, quæ potuit, & decens, ac decorum vtrique esset, Matri sui Filij concessisse dubitabit? *Absit* (proclamauit ille celebris Machabæorum Dux,) *quod imponamus crimen gloria nostræ.* Sic & ipse Filius DEI, qui solus est *Candor Lucis æternæ, & speculum sine macula,* prædixisse potuit quod Isaias refert: *Propter me, propter me faciam, vt non blasphemet, & gloriam meam alteri non dabo.* Et Apostolus contestatur dicens: *Expediit mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Quia etiam apud quoslibet homines fama inuiolabilis, præ omnibus rebus æstimabilis, charaque est:

Omnia si perdas, famam seruare memento: Quà semel amissâ postea nullus eris.

Vnde Petrus Aureolus rectè sic concludit: *Apparet ergo, quod qui hoc negat, scilicet, B. VIRGINEM fuisse à Filio præseruatam ab Originali peccato, excellentiam Redemptoris derogare videatur.* Summam enim eius, & copiosissimam Pietatem erga Genitricem suam extenuat: quia melius, magisque pium est tempori occurrere, & manè diluculo parentibus subuenire, quàm post vulneratam causam remedium quærere. *Venite huc* (inquit Valerius Maximus) *prospera Parentum vota; felicibus auspiciis propagata soboles.* Scipio enim, etsi puer, Consulẽm Parentem à periculo imminente naturali impulsu seruaui: ita vt duplici Gloriâ conspicuam coronam, Imperatore simul & Patre ex ipsâ morte rapto mereretur. Quis igitur duplici Gloriâ conspicuam, diuinamque coronam Filio piissimo, ac potentissimo, Imperatrice Angelorum, simul & Matre eius, à periculo mortis peccati, & maculæ præseruatâ denegabit? Nam & Manlius quò horridiorem patrem habuit, hoc laudabilius periculo eius subuenit. Et Claudia Vestalis Virgo, vt Triumphum Patris sui aliquâ notâ minimè denigraret; amplissimam potestatem Tribuni plebis inimicitis accensam, piissimè ac viriliter pepulit; quo alterum Triumphum Pater in Capitolium, alterum Filia in Ædem Vestæ duxit: nec discerni potuit, vtri plus laudis tribueretur; an cui victoria, an cui pietas comes aderat. *Quò non poterat,* (exclamat Valerius) *aut quid non excogitat pietas? nulla acerbitate fortune, nullis sordibus pretium charæ pietatis euilescit, quæ in carcere seruanda genitricis nouam rationem inuenit. Quid enim tam inusitatum, quid*

artic. 6. in princip.
L. 2. tit. 18.
P. 2.
Sap. 4.
Deut. c. 1.

Ioan. 16.
Matth. 2.

Vlpian in L. ex actio. § 4. O. ad Trebell.

Scauola in L. Aurelius, D. de Liberatione leg. § 3.
L. 50. in fine D. de Leg. 1.
L. 72. & L. 102. D. de cond. & demonstr.

Alciatus præscr. 61.
Machab. c. 9.
Sap. c. 7.
Isai. c. 48.
1. ad Cor. 9.
C. Non sunt 11. q. 3.
C. Nolo 12. q. 1.
L. 2. 4. & 7. part. 7. tit. 6.
D. Aug. de Ciuit. Dei cap. 29.
Serm. 52. ad Fratres.
Petr. Aureol. in tract. de Concept. Virg.

Valer. Max. lib. 1. c. 4. de pietate in parent.

Et arg. l. 41. D. de Iniuriis.

L. veluti D. de Iustitiâ, & iure.

Cazialupus in Tract. de Vnionib.

tam inauditum, quàm Matrem nata vberibus aliam? Putaret aliquis hoc contra rerum naturam factum, nisi diligere parentes prima naturæ lex esset. Cetera virtutes admirationis tantummodò multum; pietas verò etiam amoris plurimum meretur. Quò igitur non penetravit, aut quid non excogitavit erga Genitricem suam charissimam, in deliciis suis pietatis Diuinæ Sapientiæ, quæ ipsam infinitæ pietatis suæ Matrem fecit? Omnia exinde Matri concessa videntur.

Pompon. in L. 8. D. de contrah. empt.
Ulpian. in L. 13. D. de Act. empt.
Celsus in L. si iactum retis, D. eodem de Act. empt.

Sicut potest quis emere, & redimere illud, quod adhuc in nullius commercio est, vel quod etiam in rerum naturâ productum non est; veluti pisces in mari, aues in aëte, ferae in Montibus, & in Sylvis; quæ adhuc in suâ feritate, & naturali libertate persistunt. Fructus, qui non sunt; arbores, quæ nec radices egerunt; & terra, atque fundus, qui nondum in dominio alicuius esse apparet, & opus denique, celsi factum non sit, emi & redimi iure possunt; ut cum ratione adhibitâ testatur Pomponius. *Quod sit, cum capius piscium, vel animum, vel missilium emitur: emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit, quia spei emptio est.* Et Ulpianus contestatur his verbis: *Veluti cum futurum iactum retis à piscatore emimus, aut indaginem plagis positus à venatore, vel Pantheram ab Aucupe.* Idem Celsus cum omni Iurisperitorum assentiente, Senatu, subscribit: Sicut igitur in prædictis speciebus piscator, venator, vel auceps numquam fuit Dominus, neque possessor illius rei, quæ sic emptæ, & redemptæ constituitur; sed absque vlllo temporis intervallo, ipso quidem captu, productione, aut generatione in dominium, & possessionem, ac potestatem sui emptoris, & redemptoris transit. Ita similiter beatissima VIRGO MARIA, cum ab æterno Redemptionis decreto, præuisâ morte, & sanguine Filij sui emptæ, & redemptæ ordinata fuerit, antequàm terra fieret, & priusquàm fundus Adami malas radices egisset; antequàm Diabolus, sicut piscator rete suum icisset in mare, & priusquàm Satanas, sicut venator, & auceps plagis indaginem, vel Pantheram improbam supposuisset; absque vlllo quidem temporis instanti, & intervallo, transiit in dominium & possessionem Altissimi, ut ipsemet (quò nemo id dubitare posset) pro eâ prædixit his verbis: *Dominus possedit in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio; ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequàm terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram.*

Prou. 8.

§. X.

Non potuit debitum fuisse in VIRGINE, cum numquam fuerit in illa peccatum.

Ad aliud indicium, quò confirmet, Sanctissimam DEIPARAM, non potuisse ex vi præsentium decretorum in pacto contineri, quandoquidem de facto non contraxit peccatum Originale; vnde hanc argumentationem infero: DEVS iudicauit melius, & decentissimum Matrem sui VERBI non contraxisse culpam Originalem; hoc ergo iudicium non existente aliâ

causâ, cuius ratione posset mutari, debuit semper habere: ergò si post pactum, & eius fractionem ab Adami; per quam sui posterii contraxerunt peccatum Originale, iudicauit non decere, ut Sanctissima VIRGO illud contraheret, multò magis deberet habere illud iudicium ante ipsum pactum, & per consequens non debuit exponere illam periculo obligationis peccati contrahendi: quapropter: debuit illam non comprehendere in pacto.

Quod si dicat aliquis, rationem Redemptionis, & gloriæ CHRISTI Redemptoris, fuisse causam sufficientem diuersitatis in diuinâ æstimatione: Contra est, quia aptissime componitur iuxta prædicta, & dicenda; Redemptio VIRGINIS per CHRISTVM, ac proinde gloria Redemptoris cum non comprehensione VIRGINIS in pacto, & cum negatione debiti eiusdem. Præterea, hæc intentio: volo includere MARIAM in pacto Adami, ut eius Redemptor sit Filius meus; est impossibilis DEO, quia iam vellet peccatum actuale Adami, & Originale pro tunc in MARIA, vel saltem debitum eius directe: quod absit de Bonitate Diuinâ cogitari.

Item: cum de facto fuerit sine Originali Beatissima VIRGO, de facto præcessit ab æterno decretum de conferendo illi gratiam in primo instanti; cum quo non compatitur decretum de priuando illam gratiâ in eodem instanti; quod necessarium erat ad debitum: quippè reale debitum non potest existere sine decreto aliquo DEI, circa obiectum debiti futurum. Quia debitum peccati Originalis est necessitas carendi gratiâ in primo instanti Conceptionis: hæc autem necessitas non potest esse sine decreto DEI de non dandâ tunc gratiâ; ergo sicut non est ista necessitas; sed potius alia contraria, scilicet, habendi gratiam per decretum absolutum, de concedendâ illâ VIRGINI: nam de facto habuit illam DEIPARA. Non fuit etiam debitum peccati: itaque nullum præcessit absolutum & reale debitum peccati in Matre DEI: vnde videtur quæstio ista de debito, potius esse de nomine, quàm de re. Sed de hoc postea.

§. XI.

Ex Origine peccati Originalis deducitur Beatam Virginem non potuisse includi in pacto.

Ad aliam ratiocinationem Martini de Esparza, quæ hoc anno 1565, excusa est Romæ cum facultate Magistri Sacri Palatij; cuius titulus est. *Immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis, deducta ex origine peccati Originalis:* in quâ proponitur specialis ratio conceptæ Virginis sine peccato Originali; quia in pacto Adami non fuit inclusa; & quia ad institutum nostrum non parum spectat: eam iam exhibemus in sequentibus: [*Deus fecit hominem rectum, ut habetur 10. Ecclesiastes 30.* Quare sicut faciendo hominem, remouit eum à nihilo, cui suberat ex suâ naturâ impotens esse à se, solumque à se potens non esse: ita hominem faciendo rectum, remouit eundem ab inclinatione, & decliuitate

cliuitate naturali, seu conueniente ex se, à quâ proinde liberari non poterat viribus suis, nec erigi in rectitudinem perfectam. Rectum porò dicitur inferius respectu superiorum, quando est propinquissimum supremo absque vlla inclinatione, seu decliuitate ad ea quæ sunt infra ipsum, aut ad latus; ita vt in nullâ parte loci, cui insitit, possit obtinere maiorem propinquitatem ad supremum, & maiorem exclusionem inclinationis deorsum, aut ad latus. Dedit igitur Deus primo homini perfectam subordinationem rationis superioris ad ipsum Deum, necnon appetitus inferioris ad rationem superiorem. Hoc enim pacto, & non aliter potest homo obtinere summam propinquitatem ad summum, & supremum bonum cum exclusione omnis inclinationis, & decliuitatis ad ea, quæ sunt infra hominem, aut extra lineam rectam respectu Dei. Ob quam rationem prædictum testimonium vsurpatur frequenter ab Augustino in hoc sensu, præsertim in libris aduersus Iulianum, maximè verò lib. 6. cap. 5. & 7.

Istiusmodi rectitudo collata est Adæ primo, & principaliter per gratiam, & charitatem, vt docent D. Thom. 1. part. quæst. 95. art. 1. & alij communiter. Quia sola charitas perfectè subordinat Deo voluntatem humanam, ad quam deinde pertinet, vt reliquas omnes vires animi, & corporis imperio suo dirigat, ac ordinet ad Deum, nullâ permisâ declinatione ipsi contrariâ ad res inferiores. Habitus autem charitatis postulat ex suâ naturâ, vt non conferatur subiecto compoti rationis, nisi dependenter ab eius consensu, & dispositione morali: vti docent communiter Theologi cum D. Thoma 1. 2. quæst. 113. art. 3. & 5. & de veritate quæst. 28. art. 3. & 4. Iam verò primo homine in hunc modum donato gratia, & charitate, ac proinde eleuato ad consortium diuinæ naturæ, atque admissio ad perfectam amicitiam cum Deo, congruum imprimis fuit, vt filiis eius, atque nepotibus fieret copia perueniendi ad eundem dignitatis, & gratiæ gradum: tum ne pater iam intimè, ac perfectè amicus Dei, & adhuc innocens contristaretur voluntate antecedenti diuina promissis filii ineptis ad imitandum mores, modumque agendi paternos, & cum quibus ne loqui quidem posset de rebus, quæ forent dulcissima præ cæteris, eademque vtilissima, ac decantissima colloquiorum materia, nempè de mysteriis supernaturalibus, & quos vtrumque diligenter educaret, ac doceret, ad degenerandum potius dirigeret, quàm ad retinendum generis decus, tum ne cum paribus in natura, absque vlla inæqualitatis causa ex parte ipsorum, vsque ad eò inæqualiter ageretur quoad ea, quæ ex natura rei æqualiter essent omnibus, & singulis conferibilia. Congruum verò minimè fuisset, vt eadem gratia conferretur posteris, non præeunte formaliter, vel æquiuulenter simili consensu libero, & dispositione ex parte ipsorum ad illam suscipiendam; tum ob eandem exigentiam intrinsecam gratiæ respectu omnium; tum ne Deus esset indulgentior in filia, quàm in patrem, cum potius pater præeminere deberet quoad gratiosa, vtpote oneratus aliundè cura filiorum, & indigens, pro ipsorum bono, eorundem veneratione, quæ naturaliter est erga præeminentem quoad ea quæ maximè æstimantur.

Congruum deinde fuit, vt liberâ facultas eius consensus, ac dispositionis necessariæ pro sanctificatione posterorum committeretur arbitrio, & electioni Adæ. Cettè hoc erat valdè desiderabile respectu posterorum, qui communi prouidentia, & causarum secundarum occurribus conaturaliter euenturis relinquendi erant. Quia Adam præuiam animi, & corporis dispositionem habuit immediatè ex opere, & magisterio Dei, cuius perfecta sunt opera. Posterius verò communi prouidentia relinquendi, habuissent præuiam præparationem animi, & corporis, mediantibus causis secundis, quibus multiplici ex capite conuenit esse defectuosas in opere suo. Maior igitur spes affulgebat prosperi euentus, si causa communis posterorum simul cum propriâ, ac personali committeretur solius primi hominis arbitrio, ac liberæ electioni; ac prouide, vt ita fieret, fuit optabilius, ac beneficentius respectu eorundem posterorum. Nec fieri potuit, vt id ipsum non optaret etiam Adam ob naturalem affectum paternum transformatiuum Patris in filios, & præocupantem eorum desideria. Neque verò votum erat irrationabile, vt quoad initium substantiale vitæ spiritualis, pater vsque ad eò spiritualiter perfectus substitueretur filiis non vsque ad eò futuris idoneis, qui per seipsum, propriâque electione illud ducerent, sibi que prouiderent, imò mansuris per aliquot annos absque vsu rationis, nempè pro tempore infantia, ideoque mansuris interim absque donis supernaturalibus, & absque pignore, ac semine vitæ æternæ, si non subueniretur dispositione ad id necessariâ conceptâ per voluntatem patrem.

Pater igitur misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui ea etiam præparat creaturis suis, quæ in cor hominis non ascendunt, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, benignè præuenit vota posterorum, & desiderio primi hominis iam amici sui amicabiliter annuit, voluitque, vt eius electio haberetur pro electione propriâ posterorum, quoad transfusionem, vel iacturam iustitiæ originalis, atque hoc pactum beneficium illud specialis optimæ præparationis quoad animam, & corpus, quæ præiuit in primo homine, ampliavit, quoad fieri potuit, ad posteros futuros inferiores, quoad eandem animi, & corporis præparationem præuiam.

Nihil tale factum est, aut oportuit, vt fieret respectu Angelorum: quia Angeli, tam inferiores, quàm superiores omnes immediatè creati à Deo habuerunt itidem immediatè ab eodem solo totam præuiam præparationem ad primam electionem, ex quâ penderet consecutio, aut iactura primæ gratiæ; atque ad eò omnes obtinere illam præparationem proportionaliter æqualem. Cæteris autem paribus omninò congruit, vt vnusquisque sibi adsit in causâ propriâ, nec patiat sine compensatione iacturam propriæ libertatis, quatenus transfusa in libertatem alterius, atque dependentiam ab alienâ voluntate, maximè quoad suum summum bonum.

Ratione longè maiori eximi debere à voluntate Adæ, & à communicatione, ac contingentia electionis eius Christus Dominus, & Christi Domini digna Mater. Quia Christus Dominus conceptus

conceptus est superueniente Spiritu sancto, & obumbrante virtute Altissimi, vt habetur ex 1. Lucae 35. & *Omnipotens sempiterna Deus gloriosa Virginis Maria corpus, & animam, vt dignum filij ipsius Dei habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante preparauit*, vt dicit Ecclesia in quadam sua oratione. Vnde vterque habuit immediatè à Deo augmentum proportionale specialis bonæ dispositionis quoad animam, & corpus vltra exigentiam, & vim actiuam causarum secundarum naturaliter occurrentium; atque idè in vtroque defuit ratio, ob quam expositum est oportuisse, vt cæterorum hominum voluntates in voluntatem primi hominis transfunderentur, eiusque electioni subiacerent. Imò adfuit ratio contraria. Quia, vt nihil dicatur de Christo Domino, cuius exemptio à voluntate, & à peccato Adæ est certa ex fide, & multiplici ratione Theologicâ redditur indubitabilis: Beata Virgo accepit maiorem incomparabiliter gratiam. Fuit enim *gratia plena*, vt habetur Luc. 1. 28. cuius nihil simile legitur de Adam. Oportuit verò, vt ita ei præemeret Beata Virgo. Quia cum finem vltimum habuerit communem cum ipso, habuit præterea finem proximum particularem incomparabiliter nobiliorem, vt gigneret hominem Deum, cum Adam deberet gignere pure homines. Sapientia autem diuina præparat media cum iustâ proportionem ad vnumquemque finem: Igitur Beatæ Virgini collata est gratia incomparabiliter maior, quàm Adæ, & consequenter ob eandem rationem proportionis mediæ ad finem collata est eidem præparatio animi, & corporis incomparabiliter melior ad voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Absurdum autem fuisset subiicere voluntatem melius præparatam voluntati remissius præparatæ, & creare periculum in voluntate alienâ, quale nullum adesset in propriâ. Eadem igitur benignissimæ beneficentiæ ratione, quâ voluntates cæterorum congruenter transfusæ sunt in voluntatem Adæ, eximi indidem debuere, & exemptæ de facto sunt voluntas Christi, & voluntas Beatæ Virginis.

Quapropter vniuersale illud 5. ad Rom. 12. *In quo omnes peccauerunt*, accipiendum est de omnibus inferioris conditionis quoad dona gratiæ, quàm fuerit Adam ante peccatum. Quia peccare vnum in alio, præsupponit vnum in alio præcontineri, non solum secundum corpulentam substantiam, aut etiam secundum feminalem rationem, quod est commune cuius homini respectu sui patris: sed præterea, idque maximè secundum potestatem liberam, ac moralem vitandi, & committendi peccati. Hæc potestatis præcontinentia requirit, saltem ex naturâ rei, maiorem in eodem genere, certè non minorem perfectionem præcontinentis, quàm præcontenti, ne dissonè, ac violenter concludatur, & quasi comprimatur, quod maius est, intra id, quod minus est secundum eandem rationem, secundum quam illud excedit, & hoc exceditur. Apparuit autem non solum Christum Dominum, sed etiam Beatam Virginem debuisse longè præeminere Adæ, quoad perfectionem potentiæ liberæ, ac moralis: ergo neuter intelligendus est inter eos omnes, qui peccauerunt in Adam; quia neuter intelligitur præcontentus moraliter in eodem. Eadem est ratio, & similis intelli-

gentia circa alias eiusmodi locutiones formæ vniuersalis.

Accedit: Beatam Virginem non solum nullum vnuquam commisisse peccatum, aut lethale, aut veniale, quod est certum ex fide; verum etiam præditam fuisse necessitate, vt minimum, morali, semper honestè operandi, & nunquam peccandi; atque idè præuentam fuisse ante omnes, & singulos suos actus liberos vberioribus diuinæ gratiæ auxiliis, quàm quæ collata fuere Adæ in statu innocentia; in quo, videlicet, relicta illi est potestas moralis peccandi etiam lethaliter, vti de facto peccauit, ac demum adstirisse semper eidem Beatæ Virgini singularem Dei prouidentiam, ac protectionem, ratione cuius redderetur immunis ab omni peccato personali; atque ab omni periculo proximo peccandi. Quæ omnia supponuntur vt certa, ex communi Theologorum consensu, vt obseruant Suarez, Vasquez, & alij iuxta doctrinam D. Thom. quæst. 24. de Veritate, artic. 9. Quodnam autem prouidentia, & iustæ, ac rationabilis consequentiæ genus fuisset, vt voluntas vberioribus auxiliis gratiæ præuenienda subiiceretur voluntati præuentæ minori gratiâ, vtque fluctuaret in negotio salutis æternæ, & exponeretur periculo naufragij per dependentiam à voluntate alienâ, quæ ductu suo, atque arbitrio præueniendo, specialissimis gratiæ subsidiis salua certissimè, & incolumis futura esset? Profectò quantum benignitatis, & paternæ misericordiæ emicuit, iuxta dicta, in transfusionem cæterarum voluntatum in voluntatem Adæ, tantumdem immitis, nec sibi satis coherentis prouidentia opus fuisset, si Deus ex vnâ parte statuisset tanta, ac tali gratia prærogatiua singulari præuenire, ac præmunire voluntatem Beatæ Virginis ante omnes, & singulos suos actus liberos, simulque ex parte alterâ exposuisset eandem Beatam Virginem periculo contrahendi peccati per transfusionem voluntatis eius in voluntatem Adæ, atque sublime adificium gratiæ, quod erexit in Beata Virgine per immanentem, atque inhærentem intrinsecè cumulum donorum supernaturalium, subruisset, ac frustrauiisset per extrinsecam subordinationem voluntatis, vsque adè validè præmunire respectu voluntatis labilis, & exposita periculo ruinæ, quam de facto subiit. Quæ cum sint plane incredibilia, credendum minimè est Beatam Virginem subiicuisse voluntati, & arbitrio Adæ, quoad sortem amittendæ, aut obtinendæ iustitiæ Originalis, & contrahendi reipsa, aut non contrahendi peccati Originalis.

Verum quia omnia dona gratiæ, in quorum specialem cumulum congestum in Beatam Virginem reuocata est exemptio à peccato Originali, processerunt ex meritis Christi Domini, processit vtiq; ab eisdem eadem Beatæ Virginis exemptio; atque idè ex iisdem Redemptoris meritis obtinuit Beata Virgo redemptionem præseruatiuam à peccato Originali, quatenus reipsa contrahendo, cum peccatum Adæ, quantum est ex se, habuerit sufficientem vim demeritoriam, vt Beata Virgo non minùs, quàm cæteri descendentes ab ipso per feminalem originem conciperetur, & nasceretur in peccato Originali, vtque careret Originali iustitiâ in pœnam eiusdem peccati. In eâ videlicet vi demeritoriâ intrinsecè peccati

peccati Adæ, inque eiusdem sufficientiâ, quantum est ex se, ad inquinandam Beatam Virginem, ut incurreret de facto peccatum Originale, & careret iustitiâ Originali in pœnam peccati, posset consistere periculum Beatæ Virginis, ut eâ gratiâ careret, idque peccatum contraheret reipsâ. Vnde cum Christus Dominus meritis suis restiterit virtuti illi demeritoriæ peccati Adæ, atque effecerit, ne virulenta eius vis serperet reipsâ, atque afficeret in se intrinsecè Beatam Virginem; ipse in eadem suis meritis redemit redemptione præseruatiuâ eandem Beatam Virginem alioqui capacem totius mali incurrendi, ne de facto illud incurreret; neque reipsâ conciperetur cum peccato Originali. Quare totum eiusdem Beatæ Virginis priuilegium speciale redundat in laudem gratiæ Christi, nec tollit quominus Sanctissimam suam Matrem verè, ac propriè redemerit redemptione gloriosiore, quàm quæ cæteris mortalibus communis est. Cumulat itaque, non euacuat gloriam Redemptoris gloria Conceptionis Immaculatæ.

Cæterum, quàm opportunè potuissent applicari merita Christi suæ Matri, ut non peccaret in Adam, nec includeretur in pacto, ex dictis, & dicendis satis constabit.

§. XII.

Alius modus & Argumentum eximendi Deiparam à debito peccati.

Placet addere hîc aliam subtilem ratiocinationem, R. Patris. F. Francisci Cruce doctissimi Theologi Dominicanæ familiæ. In tract. de puritate Conceptionis vbi post varias suppositiones edoctas circa finem Dei in operando, & eius media, sic loquitur:

Munificentia infinita, in misericordia, & iustitia infinita, manifestatio est finis huius sæculi vniuersi, cumque iustitiæ ratio in satisfactione debiti consistat, dato infinito debito, & infinita satisfactione, infinitas manifestatur iustitiæ & cum subleuare miseriam per donum expellens illam, sit misericordiæ essentia, posita infinita miseria, & eam expellente dono infinito, misericordiæ datur infinitas.

Possibilem esse infinitam miseriam, videns Deus, in sua æternitate, peccati possibilitatem agnouit, hancque dono infinito esse reparabilem, in sui verbi per modum redemptoris possibilitate conspexit incarnationis, in ipsoque peccato, ut offensa infinitatem debiti, in sui que verbi incarnati passione infinitatem satisfactionis, cuius manifestatio, & executio, cum in communicatione sui consistat, huic vniuerso communicare decreuit, & intendere finem.

Hic autem est, manifestatio suæ bonitatis in eius communicatione per modum misericordiæ, & iustitiæ infinitæ: ostensio autem huiusmodi, nonnisi in redemptione, & satisfactione pro peccato persona operante diuina, reperitur; reliqua vero ordinis naturæ, & gratiæ habent adhuc finem, medijs rationem eo modo, liceat nunc, quod dicitur de meritis, respectu electionis ad gloriam non præuisis. Dixi liceat, quia aliter de decretis Dei tantam maiestatem magis condecens exco-gitanti dicere.

Ex quibus manifestum est Christum Domi-

num esse ipsam infinitæ misericordiæ manifestatam executionem, in nostra per suum sanguinem redemptione. Quod est primum principium huius demonstrationis, ex quo hæc consequentia inferitur: ergo omnibus modis, quibus possibile est fieri, facta fuit redemptio humani generis, per passionem Christi, aliter infinitudo eius non manifestaretur, si aliquis modus redimendi hominem deficeret, quia non factum non manifestatur. Illaque redemptio quæ haberet modum, qui deesset redemptioni per Christum factæ, esset vel perfectior vel copiosior, quod derogat dignitati Christi, repugnatque rationi quod possibilis sit aliqua excellentioris, vel maioris vlllo pacto virtutis, quàm quæ per personam verbi fuit consummata; quia persona est diuina infinita, & natura inter passibiles duntaxat id merendi capax, & cæteris perfectior, nec esset infinitæ misericordiæ manifestatio, si modus miserendi in redemptione abesse aliquis. *Ergo omnibus modis quibus possibile est fieri, facta fuit redemptio humani generis per passionem Christi.* Hæc est maior propositio: *Sed quidam modus redimendi genus humanum est redimere illud in Adamo ut capite.* Hæc est minor, & nota, quia in quo quis peccat potest liberari, & in quo quis contrahit reatum ab eo absolui, cum eadem sit oppositorum ratio, sed in Adamo, ut capite peccauit, & reatum genus humanum contraxit: ergo in Adamo ut capite potuit liberari per Christum, sicut & ipse Adamus liberatus est in persona Sap. 10. *Hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutē continendi omnia.* Omnis autem gratia post lapsum Adæ ipsi & cæteris collata fuit ex meritis Christi, quod de fide asseritur à Theolog. 3. p. q. 19. art. 4. Porret. ibi. app. probat pluribus Sacræ Scripturæ testimoniis, & Concil. Trid. sess. 6. c. 7. cum aliis eiusdem Concil. locis. Nazar. eod. art. 4. controu. 2. concl. 2. Suarez disp. 41. sect. 1. Vasquez disp. 77. c. 5. Asturicensis. quaest. 5. Cabrera. ibi disp. 22. conclus. 2. pro qua veritate firmanda longa esset Doctorum & Patrum narratio.

Ratio conuincit ex vniuersali mundi redemptione, & causalitate finali, misericordiæ infinitæ, scilicet in Christo redemptore manifesta & perfecta, quæ petit influere in omnem à peccato liberationem. Sino alias rationes, quibus authores citati vtuntur, non minus efficaces in Theologia, nota namque est hæc veritas omnibus.

Ergo genus humanum redemptum fuit in Adamo ut capite saltem in aliquo individuo. Hæc est consequentia, & est bona. Quia bene inferitur ex præmissis, est namque in *Darij*, cuius medium modus redimendi genus humanum, in maiori distributum, & particularizatum in minori. Consequens autem sic expono: suppono quod ut dicatur genus humanum redemptum sufficit esse aliquem hominē per Christi Domini passionem saluum, quia in vnoquoque individuo saluatur species, aliter si nō omnes salui fierent, ut de facto est fide tenendum accidere, genus humanum nō esse per Christum redemptum esset dicendum, quod blasphemum est. Esse namque in pluribus redemptum, & esse in vno, nihil ad essentiam siue speciem refert, sed ad extensionem, quæ valde accidentaliter iudicatur; sufficit ergo ut exerceatur modus aliquis redimendi, & in ipso manifestetur misericordiæ amplitudo, quod in vno individuo comple-

compleatur, velur ad exercitium artis & perfectionis eius ostensionem, sit est aliquod opus, eo modo quo vult, vt fiat nota, conficere. *At indiuiduum quod in Adamo redemptum fuit, peccatum Originale non contraxit in persona.* Hæc est magis nota propositio, nam sicut cum Adamus peccauit nemo ex eius filiis in persona peccasse dicitur, quia vt in persona contrahat quis peccatum, requiritur existẽtia, & in propria persona subsistere, nam in eo, quod non est, non est peccatum. Hoc namque est in persona contrahere peccatum parentis, existere in persona per generationem ab ipso parente maculante naturam. Primus namque homo, eo quod in eo fuit tota, vt in origine natura, fadare eam potuit, & ideo omnes posteros in ipso. Quare in eos siue personas eorum transfunditur, sicut & natura peccatum. Vnde antequam existant non contrahunt peccatum: ergo qui in parente redemptus esset, non contraheret peccatum, quia in illo liberatus esset antequam existeret: nec aliter se haberet respectu illius, qui redemptus esset, quam si peccatum non commisisset ipse primus parens. In quo si tota soboles antequam aliquem generaret filium esset liberata, nullus in peccato esset Originali conceptus. *Ergo aliquod indiuiduum ab Adamo via generationis propagatum non contraxisse peccatum Originale est fatendum.* Hæc est bona consequentia ex premissis, quatum maior est, vt ponatur in *Dary* Syllogismus, propositio antecedens immediata, & minor prima illa alia consequentia, formatur nãque hoc modo. *Redemptum in Adamo vt capite non contraxit Originale peccatum in persona. Sed aliquod indiuiduum redemptum est in Adamo vt capite. Ergo aliquod indiuiduum non contraxit Originale peccatum in persona.* Hæc ergo necessario est fatenda consequentia, quia bene illata ex indubitatis præmissis. *At de nemine licet hoc asserere excepta Beata Virgine.*

Nam in Concil. Trident. sess. 5. definiente omnes filios Adæ contraxisse maculam Originalem can. 3. illam duntaxat excipit. §. *Declarat tamen: His verbis. Declarat tamen hæc ipsa sancta Synodus nõ esse sua intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato Originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem, sed obseruandas esse constitutiones felic. recordat. Sixti Papæ I V. sub pœnis in iisdem const. contentis quas innouat.* Hæc ibi: *Ergo Beatissima Virgo Mater Dei Maria peccatum Originale non contraxit.* Huius consequentis veritatem demonstratam Theologice arbitror, quia præmissæ sunt in Theologia per se notæ, & consequẽtia necessaria.

Confirmatur non minoris efficacitatis ratione. In Adamo potuit fieri redemptio generis humani ex Christi Domini meritis, sicut & ipse Adamus liberatus est ex illis, ergo passio Christi huiusmodi virtutem habuit quoad sufficientiam. Non enim hoc est meritis passionis Dominicæ denegandum: tum ex infinitate, tum ex perfectione virtutis; necesse est enim quod adæquetur totaliter, cum sit virtus redemptiua, redimibilitate à peccato generis humani, imò vltra mensuram superare est opus, eò quod persona diuina significet eam, vt suam, nam virtus redemptiua est diuinæ Personæ, quam, vt cuius est, claudit conceptus eius formalis, eo quod redimere à peccato, Dei hominis solus est, sicut pro illo satisfacere: ergo si genus humanum in Adamo, vt capite potuit liberari à peccato, passio Christi valuit

quoad sufficientiam illud liberare; aliter in aliquo statu posset redimi, in quo passio Christi non valeret illud redimere, & misericordiæ deesset communicatio, infinita que eius non manifestata, sed occulta maneret, excederetque reatus peccati virtuti, siue excellentiæ personæ diuinæ hypostatice vnitæ, quæ est donum expellens miseriam culpæ, & peccatum magis afficeret genus humanum, quam posset Christus Dominus sanare; maiorque esset maculatio quã potestas abluendi, & consequenter diminuta misericordiæ communicatio, & defectus videretur ex parte Dei, quia superaret miseria suæ misericordiæ infinitatem ad extra, cum maius non sit possibile, quàm ipsiusmet Personæ diuinæ humanitati vnitæ misericordiæ opus.

Aliquodque malum posset subsistere irreparabile à Deo quod blasphemũ puo, quia cum nulla reparatio peccati posset esse maior, quam per Personam diuinam, prout potest concipi, & hæc non esset sufficiens, sequeretur, quod cum Adamus peccauit, & eo ipso in eo genus humanum maculatum mansit, quod in eodem Adamo malum esset generis humani irreparabile à Deo, quod absit: ergo dicendum est quoad sufficientiam redemptum siue redimibile esse humanum genus in parente per passionem Domini.

Ergo in aliquo indiuiduo efficaciam habuit, quia cum sit ad manifestationem concessa redemptiua virtus, & non manifestetur non exercita, quia solum factum est manifestum, necesse est vt efficacem fuisse, saltem in aliquo indiuiduo fateamur, ne frustra data diceretur virtus, & cum hæc ad finis consequutionem, qui manifestatio est misericordiæ infinitæ, vt medium sit electa totaliter, inutile esset in hac ratione; & finis, qui in executione mediorum, vt eorum effectus consistit, ea careret: nec copiosa absolute diceretur redemptio quia copiositas non est intelligenda quoad indiuidua, cum non omnes hominis salui fiant, nec quoad sufficientiam, quia hæc non facit copiosam arborem, sed fructus; ergo quoad effectus secundum omnes redemptionis modos & omni statu in quo redimibile est humanum genus, esse efficaciter redemptum in aliquo ad minimum indiuiduo, cum fructus redemptionis, vt copiosa dicatur, sit efficacia, & effectus. Psal. 129. Quare misericordiæ demonstratio, hoc modo possibilis per redemptionem à Christo Domino, abesset, quod non parum derogat eius bonitati liberaliter nobis condonata; vnde & misericordiæ infinitatis manifestatio, quæ est finis Dei operantis ad extra, non subsisteret: ergo facta fuit in aliquo; ergo in Beata Virgine, cum de alio affirmari non deceat.

Nec contemnenda est alia ex dictis, quæ deducitur, ratio huiusmodi: Christum Dominum generis humani esse Redemptorem credere oportet. At cum maiori proprietate dicitur talis si genus humanum in parente redimat, quàm si singulos redimeret homines, quia proprius fuit genus humanum in Adamo, quam in singulis, cum in eo originaliter totum sit vniuersaliter sumptum, in singulis vero singulariter, ideoque in illo duntaxat fuit proprie genus, potuitque contrahere peccatum. Nam ipso non peccante omnes post ipsum, & si peccarent, non ideo genus fœdatum nec peccatum naturæ, cum qua, quia suum transfunditur, existeret vllum; ergo duntaxat in Adamo potuit genus humanum peccato ligari, ergo

ergo & in ipso cum maiori proprietate solui: nam in quo primo infirmare, potest in eo proprius sanare, ergo redimens in Adamo genus, proprius existit, & dominatur eius Redemptor; ergo cum non sit totum redemptum, fuit in aliquo indiuiduo, quod in Adamo ut in origine erat, quia prout sic consideratur genus in ipso redemptum, cum sit generis ratio esse in origine, ipse autem Adam non est in origine neque ipso natura sanata, sed persona, quia non fecit sibi peccatum naturæ sed filius, in quibus etsi sanatur singularis propria cuiuslibet natura, cum iustificatur aliquis, ut cum per baptismum ab originali labe mundatur homo, non tamen ideo natura est sana, sed hæc, quia in vno quoque inuenitur ut hæc; Vnde est sana Petro cuius est, non Ioanni, etsi filius sit Petri, quia ad filium, non transit natura singularis Patris; sed natura quæ in Adamo originaliter fuit, efficienter in filium, per patrem traducenda.

Nec parum iuuat intentum videre, tot modis redemptionem per Christi Domini meritum executam efficaciter. Videntur nanque à peccato originali liberi in utero, ut Baptista in infantia, ut Samuel in aliis statibus quamplures. Ex opere perato per sacramentum ut causam, & per circumcisionem ut signum, ex opere operantis per pœnitentiam, & aliis modis, ita ut considerari non possit, qui non inueniatur confectus præter præfatum in protoparente propositum, qui cum sit præcipuus, prius omnibus est exequendus: nam in ordine perfectionis cuius est redemptio, prius ponitur quod perfectius est, ideo Christus Prædestinatorum primus, & antequam mulier productus vir D. S. sup. Gen. cap. 3. ergo efficacia passionis Christi, ad hunc redimendi modum est concedenda, cum præcipue sit ad genus humanum liberandum prædestinatus Christus. Quare principalis ad peccatum originale delendum, quia est totius generis humani ut docet. D. S. 3. p. q. 1. art. 4. ergo eo modo, quo proprius dicitur deleri, deleuit illud, ergo in Adamo genus humanum liberatum est in aliquo indiuiduo quod exinde sine peccato fuit conceptum, ergo beata Virgo de qua sola hoc affirmare licet.

In hoc redemptio modo maior ostenditur misericordia, & virtus redimentis, ergo si ad manifestationem infinitæ misericordiæ. In maiori Virtute redimentis est facta incarnatio Domini, huius modi redemptio fuit potior in virtutis efficacia; antecedens est notum, quia quanto minus ad iustificationem operatur peccator, tanto magis relucet, & est misericordia maior, ut ex opere operantis gratiæ collatio, maiorque virtus quanto ad effectum minor proportio ex parte materiæ inuenitur, ut patet ex miraculis, quæ ex hac causa probant Diuinam virtutem, & creatio, quia ex nihilo infinitatē, qua propter maior misericordia maiorque virtus redimētis est Sanctificatio Ioan. in utero, quam Petri pœnitentis, quod probat caro factum, ergo excellentia virtutis, & in ipsa misericordiæ efficacia, ostenditur in redemptione generis in Adamo longè melius quam in alio redemptionis opere; quia subiectum huiusmodi redemptionis non existit, & minor est in eo ad eam proportio quanto remotius abesse, quod tantum habet in origine; ergo maior ostenditur in ea misericordia & virtus redimentis.

Cumque genus humanum ex demonstrationi-
Ioann. Enseb. Op. Parth.

bus factis, in Adamo esse redimibile constet, redemptumque per Christi Domini merita saltem in aliquo indiuiduo, quod ex eo conceptum absque originali peccato est asserendum & de Beata Virgine genitrice Dei, quia de alio nefas est cogitare, hoc liceat, decernente concilio Trident. cit. omnes peccatum originale, præter ipsam, de qua nihil determinat, contrahere, qui vi generationis naturalis à protoparente ducunt originem, ipsam esse sine labe conceptam est absque hæsitacione tenendum.

Exemplum sit ut omnes doctrinam capiant, quis ob Heroicas virtutes ad nobilitatem euectus sit sui generis caput, ex quo in ipso nobilitantur omnes posterii. Hic antequam aliquem generet læsæ maiestatis crimen incurrit, quare omnes in ipso ab eo per generationem propagati macula infecti existunt illa, quia eo quod caput generis ille constituitur, genus scēdauit totum crimine illo; & quod personale fuit ipsi, generis est filii; non tamen antequam sint illud incurrunt, neque quoad debitum, nisi ut sunt aliquid illius, seu in genere illo contenti, sed vir ille illis hoc acquisiuit: non in personis, sed se fecit non aliter posse generare eo, quod suum maculauit sanguinem, quare non potest communicare illum non maculatum. Quod si Rex vellet, quod aliquis nepos illius auita deperdita in parente nobilitate frueretur ob aliquem finem, sibi agenti liberare à se præstitū in ipso parente fieret liberatio, dicens, volo ut talis huius filius ab huius modi nota sit liber, quo sine macula conciperetur nobilis, & gauderet natus. Hoc proportionem seruata de beata Virgine asserendum, euidentis esse in Theologia factis rationibus arbitror.

Ex dictis puto dicendum beatissimam Virginem debitum peccati non contraxisse quia illud est generis siue naturæ, non personæ, quod si in Adamo liberati essent omnes, nullus debitum contrahere diceretur, debitum namque fuit in Parente ad communicandam naturam cum macula, quia maculatum sine macula communicari non potest, si non prius mundetur ab ipsa: Quia nihil contrahere debiti vel culpæ potest quod est, antequam sit, quia antequam sit, non est, & quod non est debitum habere non valet.

Oppones ergo, nulla est gratia liberatrix, nec redemptionis effectus, si debitum non contraxit B. Virgo. Respondeo. Quod est gratia liberatrix in parente, cuius effectus est B. Virginem esse à peccato & debito illius immunitate conceptam, cum ipse parens deberet transfundere maculam ex infecto sanguine in posteros, ab hoc defectu, quod ad generationem dominæ, ex meritis Christi est absolutus, & ex eisdem domina libera in ipso. Vnde non tenetur, quasi dicam generare peccatorem, sed absque peccato. Quare in genito nullum ad peccatum potest considerari debitum.

Nec ex hoc sequitur, aliquem sanguinem ab Adamo per parentes transmissum vsque ad Beata Virginem deriuatum mundum; quia sine fundamento mihi videtur dictum, sed ea ratione qua dicitur Petrus in originali conceptus, quia Adæ filius, eo quod in ipso, ut in origine peccauit; Virgo MARIA sine eo concepta est, eo quod in parente est liberata, ut in origine, quia contrahere peccatum ad protoparentem dicit immediatum ordinem, quia in ipso natura est maculata.

non enim à proximo parente hoc aliquomodo habet natura, sed per respectum, ad primum. Itaque communicatur ab immediato, ut est communicabilis à primò ideo infecta; quod si in primo respectu alicuius fuit mundata, munda communicatur, quia hoc modo est communicabilis ei à primo.

Cur cum Adamo ex meritis Christi post peccatum per poenitentiam gratia fuit collocata, non dicatur in ipso sanctificatum, siue redemptum genus humanum cum per peccatum non desineret esse caput: nam si peccatum hanc auferret dignitatem, nec in ipso ut capite Beata Virgo esset liberata, quia liberata debet esse post peccatum.

Dico peccatum Adæ respectu ipsius esse actuale, respectu autem cæterorum originale, hoc est in ipso ut suum personale, ut aliorum, naturæ. Vnde iustificatus fuit, ut particularis persona, quemadmodum quælibet altera, non ut caput, quare et si in ipso non mansit culpa; mansit ad illam naturæ reatus quod est manere infectam originem, in quâ non potuit Adamus ab originali mundari, quia nec ipsi potuit esse originalis culpa, eo quod non haberet originem aliam, cum

originalis culpa sit ab origine in originatum procedens. Nec potuit Adam in origine liberari, quia ut aliquis in origine à culpâ liberetur, necesse est quod antequam existat, præcedat origo, in quâ originaliter esse dicatur, quod repugnat primò. Vnde nec ab originali, nec in origine potuit absolui sicut Virgo beata cui hoc genus redemptionis conuenire asseritur, & contradicere Adamo cui & pro genere satisfacere non ad fuit facultas, nec valuit. Hæc ille eruditus Doctor, Dominicanæ familiæ insignis alumnus, & nunc Episcopus sanctæ Marthæ, in quorum disputatione non est opus immorari. Duntaxat considerauerim quod hic modus redemptæ Virginis in capite, non est necesse, ut tollat alium modum Redemptionis in illa, & liberationis à debito: nec esset magnum absurdum existimare voluisse Christum, Matrem suam, non vnico modo & viâ redimere, & exaltare, cum ipsi plures sint possibiles. Præterquam quod hic modus dicendi, si penitus expendatur secundum substantiam suæ realitatis, excludendo modum locutionis, quo incidit tandem cum multis, qui negant debitum in personâ Virginis.





IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII
E SOCIETATE IESV.

PARS SECVNDA.

De prioritate comprehensæ Virginis in pacto,
sine necessitate præuidendi absolutè
merita Christi.

ACTENVS secundùm prædictam sententiam, quæ constituit Christum decretum Redemptorem ante peccatum Adami absolutè futurum, iuxtà quàm facillimè potest componi Redemptio cum negatione debiti in Deipara: verùm quia nolimus hanc veritatem coarctare ad vnum opinandi modum, dicemus deinceps quomodò potuit carere, & caruit Sanctissima Virgo culpæ debito, licèt Christus Prædestinatus fuerit post præuisum futurum absolutè peccatum Adami.

§. I.

Deus nequaquam inclusit Matrem sui Filij in pacto: nec erat opus ad hoc præuisio Christi absolutè futuri.

AD prouidentiam & Sacro-sanctam puritatem Sanctissimæ Trinitatis spectabat, vt nullo comprehenderet modo Matrem Diuini Verbi in pacto Adami. Etenim, quamuis non essent tunc præuisa Christi merita absolutè futura, vt per ipsum Christum non includeretur in pacto; ad ipsum Æternum Patrem, quasi ex officio spectabat, non includere illam, quæ poterat esse Mater sui Filij, & sponsa Spiritus sancti, & quam sub conditione Incarnationis ad hoc elegerat. Hoc prouidere spectabat ad Æternum Patrem, tam propter se, quàm propter Filium suum, ob cuius Mysterium dicitur: *Quamobrem hæc dicit Dominus de Rege Assyriorum, non in-* Ioann. Euseb. Op. Parth.

gredietur in Urbem hanc, nec mittet in eam sagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Protegam urbem hanc (ecce quàm manè diluculò adiuuit eam.) Et saluabo eam propter me, & propter Dauid Filium meum. Ex his verbis veram ac propriam ciuitatem Dei, scilicet Matrem eius, priusquàm inuasionis inimici periculum, etiam longissimè immineret, & priusquam calamitas communis ei nocere, vel appropinquare posset, ab eo saluam, liberam, protectam, & præseruatam fuisse, non solum propter Diuinitatem, sed etiam propter incarnatum Christum Dominum Filium eius, manifestè deducitur: *Hæc enim (vt inquit Clichtoneus) mysticè intellecta verba sunt Dei Patris, in quibus per Regem Assyriorum intelligitur Demon: per ciuitatem Hierusalem, Beata Virgo: per Dauid seruum, Dei Filius, secundùm dispensationem carnis: per sagittam verò Regis Assyriorum, accipitur lethiferum venenum labis originalis, à Demone toti humano generi infusum, per primorum Parentum præuarcationem. Hanc autem sagittam non misit Satanas in nostram spiritualem Hierusalem, neque ingressus est eam (imò neque occupauit eam clypeus inimici, neque etiam in Adam*

eius munitio illam circumdedit) quia præseruante Dei gratiâ, & præueniente sacra Virginitate in benedictionibus dulcedinis, non diffusum est in eâ virus lethale peccati originalis; sed protexit eam Deus semper, & saluauit ab omni incurso, clypeo, & gladio hostili. Quod non fuerit circumdata munitione ciuitas, est, quod Virgo non coarctata fuerit debito peccati, quod velut circumsepit, & constringit per necessitatem culpæ originalis.

Idem, quod de Patre Æterno, dicendum de Verbo est; quod enim ipsius Persona tanquam Deus disposuit, eadem postea quatenus homo rati habere potuit: nam si in humanis factum vnus personæ, potest altera ratum habere; non mirum quod vna persona fecerit, eadem ipsa ratum habeat, licet diuersimodè consideranda. Ad Filium Dei valde attinebat præuenire suæ Matris honorem. Rectè quidem Bernardus Laurentius dixit: *Cum Diuinus Imperator omnia, de quibus*

Bernardus
Laurent. de
potestate
Regia, c. 35.
n. 41.
Aleiat. præ-
sumpt 16.
D. Bernard.

controuersa est, poterit Matri conferre, absurdum videtur de voluntate disceptare: nam verosimiliter quidquid Filius potest Genitrici non denegat, & contraria præsumptio videtur, vique simul offendere Naturam, Magnitudinem, & Pietatem Filij Magis appositè S. Bernardus Homil. 3. sup. *Misus, & Homil. 1. Factor hominum, ut homo fieret nasciturus de homine, talem sibi de omnibus debuit eligere, imò condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Imò tota Sanctissima Trinitas rationem habuit Templi, & Theatri suæ gloriæ sanctissimæ Virginis. Cùm & Philippus Macedo, Rex terrenus dixerit: *Nihil agitis; an ego, qui ad gloriam omnia refero, theatrum Gloriæ meæ euertam?* Gloria autem integra, & completus honor supponunt carentiam macula, & ignominia. Vnde Demades Atheniensis, dum strenuè defenderet quoddam Castrum, offerenti hosti magna præmia, & honores si pateretur vno die suum esse captiuum, respondit: *Honor non est habere honorem; sed non habuisse ignominiam.* Quomodò autem hoc fieri potuit iam dicamus.

Philippus
Macedo.

Demades
Atheniens.

Oportet, vt in cognitione diuinâ practicâ principaliora decreta præferantur, & conditionata sint ante absoluta rerum futurarum. Hoc enim pertinet ad Prouidentiam Diuinam, sicut & ad humanam Prudentiam præuidere contigibilia, & disponere conditionatos euentus, qui accidere possunt; decernere nimirum quid in tali, vel tali casu, si contingat, faciendum sit, antequam decernatur quod illorum contingentium posset occasio esse, vt feliciter accidant; sin minus, vt felicius reparentur.

Hoc enim inueniri in Deo, constat ex sancto Augustino, docente, non permissurum Deum mala, nisi posset ex iis bona elicere: Vnde priusquam decernat permissionem mali, scit sub conditione quod existat, quid ex eo boni possit elicere, illudque decernit prius conditionatè, si contingat ille euentus mali: deinde absolutè post præuisam conditionem impletam, & malum absolutè iam futurum.

Vnde, ante absolutum Decretum creandi Angelos, & Homines potuit habere Deus decretum conditionatum circa Christum & eius Matrem, de donandis omnimodâ & perpetuâ sanctitate, si crearentur: quoniam cùm in remedium peccati, eorum creatio esset ad reparanda mala culpæ, oportuit munitos, & exornatos esse, CHRISTVM infinitæ vnionis Hypostaticæ sanctimoniâ, MA-

RIAM maximâ & perpetuâ sanctitate, absque vllâ alicuius peccati, aut debiti eius consideratione, quæ ad propositum impertinens erat, nisi quod sicut per Christum gratiam reparandum esset Genus Humanum, multo maiori ratione copiosius, & primo loco per eandem gratiam exornanda esset, præseruandaque ab omni malo propria Genitrix inseparabiliter Sancta, & Sanctissima, quandocumque crearetur: ex quo verè dici posset possessa à Deo, & secura à contingentia prouendi in culpam.

Proinde, cùm Deus fecit pactum cum Adamo, sub contingentia peccandi, necesse est, vt ex vi illius propositi diuini disunctionum creandi in Gratiâ, aut non creandi Matrem Dei, maneret exclusa ipsa Deipara: quia alioqui posset subesse fallibilitati determinatio diuina. Hoc ipsum exemplo humano sic explico.

Si quis haberet locupletissimum Abacum, & in pretiosissimum vas firmiterque proposuisset sibi in animo, nequaquam vendere, nec alienare aliter illud vasculum, quàm donando id gratis pro aliquorum captiuorum redemptione; occurreret postea occasio vendendi prædictum Abacum: quis dubitat quin ex vi prædicti propositi iste homo exciperet in venditione pretiosum illud vas. Sic similiter Deus, per vim sui decreti deberet excipere à pacto Beatissimam Virginitatem, quam noluit creare nisi in occasione redimendi per Filium eius Genus Humanum.

§. II.

Possibilitas Gratiæ Redemptoris cum negatione debiti peccati in Deipara.

Obiectabit aliquis, includere nihilominus contradictionem sine debito peccati sanctificatam in primo instanti Deiparam per gratiam Christi, cùm hæc sit Redemptio, & Redemptio supponit peccatum. Quapropter, quamuis decens videatur, nequaquam fuisse inclusam Virginitatem in pacto Adami, non esset possibile si à Christo fuerit Redempta. Ad hoc respondere audeo, non solum possibile esse Deiparam non inclusam in pacto redimi à Christo; sed necessarium, & æqua lance non potuit includi in Pacto, & non posse non redimi à suo Filio; vt ex dicendis constabit, imò vicissim cohærere, & se iuuare ista: nam ipsa Virgo non inclusa in Pacto, ostendit magis necessitatem Redemptionis, & ipsa Redemptio perfectissima Matris illustratur per non inclusionem in Pacto. Deinde, responderi potest, quod si constet de decentiâ, reliquum de possibilitate ad prouidentiam Dei spectat, qui cùm habeat sapientiam infinitam, & omnipotentem virtutem, inueniet modum possibilitatis, quem nos ignoramus. Veneramur enim, & creduntur aliqua Dei opera, quæ si antequam facta essent, interrogaremur de possibilitate eorum, affirmarem non possible. Quis enim, antequam fieret Incarnatio affirmaret, vnionem Hypostaticam possibilem esse, cùm naturali luce ipsi Angeli non potuerint dicere possibile. Mysteriorum etiam sanctissimæ Eucharistiæ, antequam institutum fuisset, quis diceret possibile, cum omnibus suis circumstantiis, cùm postquam institutum fuerit, negant adhuc aliqui Catholici duas præsentias

præsentias circumscriptivas possibles esse. Quis etiam lumine meræ rationis ductus, diceret possibile Deum mori, & tamen mors Christi maximum decus fuit, & splendor Diuinæ bonitatis. In rebus enim, quæ ad Deum spectant, non tam consideranda est possibilitas secundum iudicium humanum, quam decencia secundum Gloriam diuinam. Multa nobis videbuntur impossibilia, quæ Deo facilia, imò facta sunt. Addo, quod si non esset possibilis in Dei Genitrice recessus plenus à peccato, per carentiam debiti cum Gratiâ Redemptionis, piè existimare voluisset Deum dispositurum res, ne Mater sua summâ illâ puritate careret. Sed apud Deum non est impossibile omne verbum. Vnde Titus Episcopus Bostrensis Syrus, antiquissimus Scripturæ Sacræ Interpres, super illa: *Quia fecit mihi magna, & quasi incredibilia iudicentur, cum Omnipotentia Dei impossibilia non sint, Matri, honorique eius, virtuti, atque gloria concessa fuisse fateri necesse est. Tota ratio facti* (ait Diuus Augustinus) *potentia facientis est, nec aliud inquiri oportet: quoniam vt dubitantes interrogat D. Ambrosius difficilia omnipotentia Dei aut quasi incredibilia nobis esse possunt, que pro Excellentia Deiparæ predicantur: siquidem alia plurima difficillima ac portentosa, & quasi incredibili pro aliis creaturis non ita cognatis Deo, ipsum fecisse fateri opus est. Nam, vt dictum est per Isaiam. Quis mensus est pugillo aquas & Cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem Terræ, & librauit in pondere Montes, & Colles in statera? Et rursus Nunquid abbreviata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? (quomodo voluerit?) aut non est in me virtus ad liberandum? (etiam præseruatione Matrem suam) Ecce increpatione mea desertum faciam Mare ponam flumina in siccum.*

Atqui, vt ad institutum veniam, negatio debiti in Beatâ Virgine simul cum Redemptione Christi ad eò possibilis est, vt ipsi homines multos modos inuenerint, quibus ista possibilitas ostenditur: nam ferè triginta numerantur Placita Scholasticorum circa hoc. Nec mirum, inquit Ambrosius de Pennalosa: Theologi non tam de modo, quo Beata Virgo de facto à peccato, & eius debito præseruata fuit, quam de modo, quo Deus eam à prædictis imperfectionibus per suam Omnipotentiam eripere valuit, disputare videntur. Quapropter, cum Dei Omnipotentia amplissima sit, & innumeros modos liberandi Beatam Virginem à peccato, & eius debito comprehendat: idcirco, Doctores varios modos propugnandi omnimodam Dei Genitricis Puritatem excogitant, & quotidie nobis proponunt. Verùm quia, vt ait Sanctus Thomas 3. p. quæst. 1. art. 3. *Ea, quæ ex sola Dei voluntate proueniunt supra omne debitum creatura, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in sacra Scriptura traduntur, per quam diuina voluntas nobis innotescit.* Eandem ipsam Scripturam sequi placet, in qua prædicatur Deipara possessa à Deo ante omnem creaturam, & prima creaturarum purarum: quare, includi in Pacto Adami non debuit, cum in eo subiceretur aut ad debitum peccandi, aut ad minorem decenciam recipiendi Gratiâ per hominem peccabilem, & inferiorem in donis supernaturalibus.

Sed hoc non obstat quominus redempta fuerit: nam in illo ipso Prouerbiorum loco, quo si-

gnificatur Deipara prædestinata ante omnem aliam puram creaturam, indicatur etiam redempta: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio.* Radix Hebræa *Canah*, non solum possidere, sed etiam redimere significat, vt rectè expendit Hieronymus Oleaster, ibidem que id probat ex Deuteronomio 32. *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te.* Prædictus Doctor transfert ex Hebræo, *Quis emit te, redimendo.* Vatablus: *Qui te ex Egyptiaca seruitute in libertatem asseruit* Rursus Exod. 15. *Populus iste, quem possedisti.* Vbi vertit Chaldæus: *Quem redimisti.* Agellius *Quem tanquam argento dato, coemisti.* Cum ergo Virgo Deipara ait: *Dominus possedit Me,* &c. Idem est, ac si diceret, in libertatem asseruit, me redimendo ac præseruando Filij sui Meritorum intuitu, antequam res alias decerneret.

Antequam accedam ad demonstrandam Redemptionem Deiparæ, supponendum est duò esse genera Redemptionis per ereptionem, & præseruationem, quod passim repetitur, & admittitur etiam à Durando, Caietano, & aliis assertoribus opinionis affirmatiuæ, in quo non est necesse amplius morari. Secundò, supponendum est, Redemptionem Christi non esse à quocumque malo solum; sed à peccatis: quare, necesse est, vt ad similem Redemptionem interueniat peccatum vel in se, vel in causâ proprium, aut appropriandum in voluntate alterius, vel in suâ, in debito, vel in effectu, aut origine, & occasione, ita, vt semper sit, aliqua relatio ad peccatum, siue tanquam termino ad quem. Adnotandum quoque est non esse propriè Redemptionem, quamlibet liberationem à peccato; sed quæ fit per modum emptionis, in quâ alter offert, alter acceptat, siue offeratur pretium, vt captiuus à captiuitate euadat, siue pro eo, qui fieri poterat captiuus, ne fiat: Deipara ergo verè, ac propriè dicitur Redempta à Filio, quia pretio sui Sanguinis obtinuit à Patre, vt à peccatis, & ad quæ non repugnantiam habebat, ex vi originis naturalis omnino liberaretur. Vnde illud Salomonis Proverb. cap. 31. vers. 10. *Mulierem fortem quis inueniet? procul, & de ultimis finibus pretium eius. Hoc est exquisiti valoris; neque enim sanguinis thesauro solum comparant, vt Mater eius fuerit; sed vt fuerit, & progenerata sit, quibus ardebat flammis maternum pectus, dum contemplabatur, qualibus eam sibi deuinxerat modis filius, neque sacro cruore indignum putaret, si fundebatur pro Maria sanctissima creanda? Qualis autem anima emerit illa, quam florida caro, pro quibus tanta expense sacratorum vulnerum, & quorum molitionem ordinabat summus Rector terrarum, calique, vt dignum unigenito, & consubstantiali præpararet filio habitaculum? Quare Magnum Albertum sequuntur in hoc alij. Tertio supponendum est, quod gratia Redemptionis Christi, quæ copiosior dicitur, excellentiores circumstantias habeat, quas notat Pater Franciscus suarez, & sufficeret magnus ille honor, quod innitatur meritis infinitis per Passionem, & opera Theandrica Christi. Vnde Redemptionem Matris Dei decebat per hanc gratiam fieri: tum quia gratia filij magis debebat enitere in Matre; tum quia decebat dignitatem diuinæ Maternitatis honoratius, & excellentius per honoratissimam filij sui gratiam; tum quia decebat dignitatem Christi, vt decor suæ gratiæ eniteret in sanctiore omnium creaturarum.*

Titus Episcopus Bostrensis ad cap. 1. Luce.

D. August. ep. 3. F. Lucas Brug sup. Lucam c. 1. D. Ambros. ep. 81 ad Sircium Papam. P. Po reus in tripl. cor. tract. 1. c. 4. Isaias cap. 41 & 49.

S. Thomas.

Compositio autem huius prerogatiuæ Virginis cum redemptione non est ardua; sed potius facilis, imò necessaria, cum Deus statuerit gratiam suam impertiri generi humano, aut per Adamum, aut per Christum Redemptorem, cumque eam alienata à pacto Deipara non potuerit habere per Adam, necesse est, vt eam habeat per Christum, cuius gratia est Redemptionis. Vndè, rursus sequitur, quòd Beata Virgo excellentius, & copiosius redempta fuerit, quam vlla alia creatura cum Redemptio eius fuerit à filio, cuius merita, passio, & crux decebant maiores fructus in Matre producere, adèd, vt non solum sit Beatissima Virgo redempta à suo filio, sed etiam præredempta per illud excellentissimum genus redemptionis, quæ est præseruatio. Nam redemptio Virginis debet adæquari eius dignitati, cumque eius dignitatem deceat omnimoda puritas, scilicet, maior quæ sub Deo intelligi potest, per maiorem recessum ab omni sordè peccati: sic etiam decreuit, vt taliter redimeret filius Matrem suam, præseruando illam, non solum ab omni peccato, si obnoxia illi esset; sed etiam à debitâ quilibet proximitate peccati, vsque ad eam constituendam in totali recessu à peccato. Cumque hic recessus maior sit, quantò magis munita aduersus peccatum fuerit, oportebat Beatam Virginem instructam, & securam aduersus eius incurSIONem duplicibus armis esse, quod præstitum est per Christi gratiam, per quam redemit Matrem à quocumque accessu ad peccata, etiam à longè; quod est quoddam nobilissimum genus redemptionis, siquidem tam exquisitè eam præseruauit liberrimam, non solum à sordè, sed etiam ab umbra eius, & minore puritate, constituens illam in summâ munditiâ. Hinc etiam iam cæpit illucere, quòd cum non inclusione in pacto exaltetur redemptio Christi erga Matrem suam. Equidem satis mihi videtur in prædictâ suppositione de non inclusâ Deiparâ in pacto ante præuisum absolutè Christum Redemptorem, vt ab eo dicatur redempta, suffecisse commotum ad id fuisse æternum Patrem per ratihabitionem, & spem meritorum Christi, prout explicabimus postquam ad os modos dicendi præmiserimus.

Imprimis, negari non potest, quin Beata Virgo æquè propriè, & magis excellenter sit redempta à peccatis actualibus, quàm Adam, & Eua quàm sanctus Petrus, & Paulus, à quibus præseruati sunt: namque non fuerunt præseruati ab omnibus actualibus: Deipara autem omninò fuit ab omnibus custodita. Præseruatio autem à peccatis per merita Christi, præclara quidem est ab illis redemptio. Quapropter plures viri docti censent Beatam Virginem, nec præseruatiuè quidem per Christum redemptam ab originali, sed solum ab actualibus. Quam partem (inquit Bernal de Incarnat. disp. 10.) egregiè roborat doctissimus Salazar de Conceptione Deiparæ cap. 24. §. 9. nam vt redempta sit, & dicatur, sat est redemptam esse ab actualibus: neque ex Conciliis, & Patribus alia Virginis redemptio colligi potest, quod sanè etiam placet nostro Bernali disput. 10. sect. 3. Nihilominus nos haud constringimur hoc genere redemptionis: plura enim dabimus, ob quæ dici, & esse potest Virgo redempta etiam à peccato originali, quibus nec etiam alligabimur; nec enim omnia omninò arident; proponemus tamen varios modos, quibus posset dici Deipara redempta à Christo, di-

andos, locupletandos, aut explicandos ab aliis; nos etiam in explicatione hærebimus, locupletationeque sententiæ Patris Bernalis.

Cæterum, ad nuper dictam opinionem de redemptione propter actualia peccata impedita, adici alia considerationes possunt; nam etiam fuit præseruata Deipara à malis ex peccato originali, & culpâ Adæ occasionaliter prouenientibus. Vndè dici redempta potest, quia præseruata à fomite peccati, & occasionibus peccandi quales quales sunt prauæ cogitationes, & deniquè à corruptione Naturæ, inquam deiecit suum Genus Adam; nimirum Naturam humanam, quòd per peccatum eius corrupta fuit, & hoc sufficit, vt idoneo sensu posset dici Beatissima Virgo Redempta à peccato Adami, quamvis non peccauerit in illo, quatenus licet Virgo non contraxerit peccatum originale, nec debitum eius ab Adam introductum, hoc ipsum quòd nata fuisset in Naturâ corruptâ, vbi tot sunt prauis humores, & impuræ qualitates physicae, non poterat aliquid eximij boni indè trahere per generationem naturalem; ab his tamen per Christum tanquam effectibus prouenientibus ex peccato Adæ præseruata fuit Sanctissima Dei Genitrix, ac proinde à peccato Adami in virtute, scilicet in effectibus, ex vi illius prouenientibus.

Præterea, si consideretur conditio, siue qualitas Gratiæ Christi, nixæ in Meritis, & satisfactione suâ infinitâ, inueniemus quòd hoc ipso quòd concessa fuerit Virgini hæc Gratia Christi, potest dici, habuisse Gratiam Redemptionis, & esse Redemptam ab illo, quamvis de facto nullum habuisset peccatum virginalè, nec debitum illius: licet enim eadem sit Gratiæ substantia in suâ essentiâ, quæ data est Angelis à Deo sine Meritis Christi, & quæ datur Hominibus per Christum; diuerfas tamen circumstantias, & conditionem hæc habet: primò, quia Gratia Dei collata in Angelos, ordinata fuit à Deo ad tuendum illos, & eleuandum in statum supernaturalem non ad restituendos illos ad illum statum; Christi autem Gratia ordinata insuper est ad restituendum ad statum supernaturalem eos, qui ab illo lapsi fuissent. Secundò, Gratia Dei ordinata est, vt semel daretur, continuanda tamen, & augenda per Merita subsequentiâ. Christi autem Gratia ordinata est non solum, vt semel daretur, sed iterum, atque iterum; imò millies possit denuò dari post pristinae amissionem, vt quotiescumquè homo peccaret, & rediret in captiuitatem dæmonis, posset rursus redimi ab illâ, & in libertatem filiorum Dei restitui: ratio est, quia cum Gratia Dei sine Meritis Christi non nitatur in satisfactione infinitâ, non habet vnde satisfacta ex rigore Iustitiæ Dei posset restitui peccanti mortaliter, Gratia verò Christi cum connitatur satisfactioni eiusdem Christi infinitæ, per quam integer manet rigor Iustitiæ diuinæ, non solum semel restitui potest peccatori; sed millies, & millies. Vndè, qui hæc Gratiâ adornatur, talem redemptionem habet, vt non solum semel liberari possit à captiuitate diaboli, verum sæpe sapius: vnde dici potest, licet non habeat de facto peccatum, redemptus à Christo pro peccatis contingentibus, & possibilibus, quantum est ex virtute huius Gratiæ, & Redemptionis. Vnde B. Virgo dici potest Redempta à suo Filio, licet non habeat debitum peccati Originalis, à quo redimatur: quia habet gratiam Redemptionis continentem

inentem priuilegium restitutionis multiplicis pro peccatis contingentibus, & possibilibus, quod explico hoc exemplo: si quis Pater Familias, qui decem filios habebat, venisset in captiuitatem cum suâ Familiâ, nisi solum decimus filius, qui euasit manus hostium, quod cum sciret Rex potentissimus largiretur lytrum pro illo Patre, & pro decem filiis, nec contentus cum hac liberalitate maximam argenti summam assignauit, ut toties quoties illa familia, vel aliquis ex illâ in captiuitatem veniret, redimi statim posset; quis dubitat quin hic Pater, & tota sua Familia, etiam decimus ille Filius possent dici redempti. Hic enim Filius fruitur illâ gratiâ Redemptionis, quæ fuit non solum pro captiuitate reali; sed etiam pro possibilibus. Vnde fruitur virtute illius liberalitatis, quæ maximè æstimanda est, quamuis in actu exercito illam non fuerit expertus. Addo, quòd multò maiori ratione dicendus esset ille filius decimus redemptus ab hoc Rege, si alio singulari priuilegio liberalitatis, magnisque impensis auri & argenti prouideret, ne ille Filius possit in captiuitatem venire, præseruans illum solum ab hoc periculo. Sic etiam Beatissima Virgo liberalissimè posset dici redempta à suo Filio, cum ab eo fuerit præseruata ab omnibus peccatis actualibus, ne vnquam in seruitutem Diaboli veniret. Et in hoc iam non solum in virtute; sed in actu exercito Redempta fuit præseruatiuè à Christo. Accedere potest ad dicta quod supponit Salazar cap. 24. num. 121. omne beneficium, omnemque gratiâ Virgini collatam, esse gratiam redemptionis rigorose ac propriè dictam quia (vt supra dictum est) Virgo ea quidem intentione condita ac formata est, vt redemptori Matrem, & generi etiam humano mediaticem pro peccatis Deus donaret: atque eum in finem tot gratiarum ornamentis sed tum maximè gratia originali decorata fuit. Quapropter dicendum est, omnem gratiam Virgini collatam fuisse gratiam redemptionis, reconciliationis, & expiationis ad delenda nimirum peccata per se ordinatam, non quidem propria, sed aliena; omnia videlicet generis humani delicta. Atque adèd Virgo in primariam intentionem passionis, ac meritorum Christi non venit solum, sed antecessit, ac præuia fuit. Ita enim reor ad delenda re ipsa generis humani peccata non tantum Christi merita condigna, sed etiam Virginis MARIÆ merita congrua à Deo præuisa, ac præscita fuisse.

Deinde, sicut perditio Adam non constitit solum in damnis quæ de facto fecit; sed in iis etiam, quæ potuit facere, scilicet, in virtute damnificandi, quam habuit, ita, vt plura posset facere. Sic etiam gloria Redemptionis Christi non constitit solum in actu exercito per liberationem actualem à peccato; sed in virtute, & efficacissimâ potentia liberandi à peccato: & propterea dicitur Christus redemisse Genus Humanum; cum tamen innumeri damnentur, & plurimi sint infantes, quos nec à peccato originali liberauit, nec præseruauit ab actualibus, dum vixerunt: quoniam non erant capaces peccandi, & nihilominus fuit eorum Redemptor. Hinc sequitur, quòd communicata Virgini gratia per Christum, verè dicatur ab eodem redempta, quamuis eam non liberauisset à peccato originali, quia illo ita caruit, vt nec habere debuisset, quoniam virtus gratiæ redemptricis sufficiebat. Sicut enim infantes, qui in vtero Matris moriuntur, dicitur Christum re-

demisse, quamuis ab iis non expulisset peccatum originale, quia cum illo mortui fuere. Sic etiam potest dici Redemptor MARIÆ, quamuis ab illâ non expulerit peccatum originale: quia illud non habuit maximè cum maiore causâ habuerit Virgo vt dicatur redempta, non solum virtualiter; sed in actu exercito quandoquidem redempta fuit præseruatiuè ab actualibus. Cum igitur in actu exercito circa liberationem ab originali, æquales sint Virgo, & infans mortuus in vtero, quia nec Virgini, nec infanti remissum sit: Virgini, quia caruit peccato remittendo, imò & debito eius; infanti, quia cum ipso peccato obiit: causa enim diuersissima non obstat, quominus carentia actus exerciti, quoad hoc sit eadem, & præterea circa actualia habeat Deipara actum exercitum Redemptionis Christi, non est cur non dicatur eius Redemptor. Addo, quòd etiam circa originale habuit quoque actum exercitum in præseruatione ab illo, eo modo, quo postea dicam.

Consonant prædictæ doctrinæ, quæ Catherinus in fin. part. 1. pro immaculat. Concept. ad Concil. Trident. dixit: *Est scriptura, quæ dicit, & Ecclesia sancta canit: Christum esse omnium Redemptorem, & Saluatorem. Quod quis neget verè dictum? Et multos tamen de facto non redimit, neque saluat. Hoc autem non ob aliam causam, nisi quia ex se, & vi meritorum hoc habet, vt velit, & possit redimere, & saluos facere, etiam illos qui de facto non redimuntur, neque soluantur. Cur ergo non similiter possit verè dici, quis ratione meriti, & obligationis esse captiuus, etsi non fuerit de facto captiuus? Siquidem, ne accederet captiuitas, prohibitum est à præueniente gratia speciali. Si enim eâ solâ consideratione verificatur Redemptor, etiamsi non redimit de facto; quoniam ex se in hoc paratus est, atque idoneus, scilicet redimere, quid causa fingi potest, cur similiter non verificetur is esse captiuus, qui ex se præceptus quidem in captiuitatem rueret, sed obice interposito captiuitas de facto insequuta non fuerit.* Vnde eo sensu, quo quis potest dici Redemptor alicuius, hic etiam videtur posse dici redemptus: quare & Virgo potest dici redempta per virtutem Christi Redemptoris, iuxta ea, quæ præmonuimus.

Confirmant dicta, quòd plurima sint, quæ non semper propter exercitum; sed propter virtutem talia sunt, & dicuntur. Sanctissimam enim Deiparâ purificatâ fuisse in scripturâ supponitur cum dicitur adimpletos *dies purgationis eius*: & tamen non habuit sordes, à quibus purificaretur. Quare, sicut Virgo dicitur purificata à sorde partus, quamuis nullam habuisset; sic etiam posset dici redempta ab originali, seu debito eius, quamuis illo caruisset. Sacramentum extremæ vnctionis datur etiam cæcis, & surdis à natiuitate, imò præpositus dub. 8. num. 73. addit, quod si cæco desit non solum sensus visus; sed organum, vngi debet locus propè illud: datur etiam his, qui olfactu semper caruerunt, & tamen nihil peccarunt, vt puero post vsum rationis, quem Parochus de confessione cognoscit nunquam actualiter peccasse. Atque in hoc casu datur vnctio expiatrix reliquiarum ex peccatis ei, qui nec reliquias peccatorum habuit, nec debitum illarum, quoniam nec ipsa peccata habuit. Sic etiam Virgini potuit dari gratia Redemptrix peccatorum, cum nec peccata habuerit, nec debitum peccati. Adulto etiam recenter baptizato datur extrema vnctio, qui nullum post Baptismum pec-

catum commisit: quia sufficit potentia peccandi & virtus expiatiua huius sacramenti. Ideo etiam Suarez, & alij graues Auctores dicunt, Virginem accepisse extremam vnctionem, quamvis non habuisset peccatum, nec reliquias peccati, à quibus expiaretur. Imò, in rebus naturalibus idem solet accidere: nam si aliquis, qui nullas fordes habuisset in manibus immergeret illas in aquam, & fricaret tanquam qui abstergeret fordes; absque dubio se lauisset diceretur ob virtutem mundatricem aquarum, quamvis nihil immundum abstergeret, nec magis mundas manus ex aquis extraheret. Sic Beatissima Virgo, quamvis non esset immunda ob peccatum originale, mundata dici potest, & Redempta per Gratiam Christi expiaticem, & impeditricem illius. Vnde, etiam Virgini potuit dari Baptismus, quamvis non habuerit culpam originalem, à qua expurgaretur: sufficit enim Virtus huius sacramenti, vt per illam dicatur abluta, & Redempta. Hanc sententiam Pater Bernal acutè probat, & amplectitur in disput. 10. de Incarnat. sect. 7. quibus alij adherent; sed amplius explicari, & locupletari posse, & oportere mihi videtur, & in sequentibus id fortasse fiet, vt iudicent docti de illà. Nec piget aliqua huius Doctoris verba hic producere, qui concludit, dicens: *Sanctissima Deipara, quamvis non habuerit culpam originalem; verè tamen fuit præseruata, seu præseruatiuè Redempta ab illa culpa per Christum, quia per ipsum accepit in primo suæ Conceptionis instanti Gratiam, quantum est ex se præseruatiuam, seu redemptiuam ab originali culpa. Itaque, sicut Sacerdos audiuit, & dispositis mille penitentibus, quorum vnus nullum haberet reatum (delendum tunc, quoniam per contritionem iam illum aboleuerat) ad omnes diceret: Ego vos absoluo, cunctos illos absolueret vnà formà. Ita Christus cunctis hominibus suam passionem applicans, quorum sola B. Virgo culpam originalem non habuit, cunctos homines passione sua redemit. Mox, in suæ sententiæ confirmationem, ait: Christus absolute, & verè dicitur, omnes homines redemisse, non quòd omnes eos à peccato extraheret; sed quòd eis promeruerit, & reipsa obtinuerit Gratiam auxiliarem, qua quantum est ex se, posset illos à peccato reipsa extrahere, estò multos non extraxerit; quia vel ipsi noluerunt, vt plures adulti, vel ab aliis applicationem remedij non habuerunt, vt plures infantes. Ergo pariter Christus B. Virginem ab originali præseruatiuè redemit, quoniam in primo instanti contulit illi per sua Merita Gratiam, qua posset illam ab originali præseruare; si esset illi contrahendo obnoxia. Hæc ille.*

§. III.

Amplius ostenditur B. Virgo Redempta à Peccato originali, licèt immunis ab illo, & à Debito eius, neque inclusa fuerit in Pacto Adami.

Licèt ad perfectam Redemptionem non sit necessarium redimi aliquem à Peccato originali, cum Adam & Eva fuerint perfectè Redempti, & tamen non habuerint Peccatum originale, ac proindè nec ab eo erepti sunt, cum in illud non incidissent. Nihilominus amplius nunc ostendimus, quomodo Deipara Redempta fuit ab ipso

Peccato originali, quia Præseruata ab illo, & tanto perfectius Redempta præseruatiuè, quanto magis ab ipso per Gratiam Christi secura: sicut enim non obstat ad Redemptionem de peccatis actualibus per Præseruationem, quòd nullum ad illa debitum præcedat. Sic, nec obstat ad Redemptionem Præseruatiuam de Peccato Originali, quòd nullum illius debitum præcesserit in Virgine: quare per Gratiam Christi in primo instanti, (in quo in aliis Filiis Adæ contrahitur labes originaria) collatam Virgini impedit ricem culpæ, Præseruata fuit ab illà; & quidem plenissimè, & perfectissimè, quia fuit post, siue supra aliud impedimentum eiusdem culpæ; nimirum, exclusionem à Pacto, ita, vt duo impedimenta contrahendi peccatum, siue duæ formæ alienationis ab illo concurrerint in Genitrice Dei, vt longiorem haberet recessum ab illo, quod ex naturâ suâ contrahibili ab illà erat, vt Filia Adæ, quamvis per antecedentem exclusionem à Pacto impedita fuerit hæc potentia. Duæ enim formæ, siue causæ benè possunt concurrere ad eundem effectum: In ordinatione plurium sacerdotali, multæ formæ concurrere possunt in eodem instanti, quarum singulis potest attribui corpus Christi consecratum. Idem potest declarari exemplo physico formarum, & rerum naturalium: nam si essent duo lumina clarissima in quodam antro profundo, non posset dici, quòd vnum expelleret tenebras, & non aliud; sed vtrumque simul & seorsim: quare, dici quodlibet posset præseruare illud antrum à tenebris, quamvis vnum præcessisset tempore aliud. Sic etiam possumus dicere, Christi Gratiam in primo instanti præseruasse Virginem à tenebris Peccati originalis, & simul etiam exclusionem à Pacto. Ad alienandam enim Virginem à peccato originali, & præseruandam ab illo, duæ formæ conuenerunt in primo suæ animæ instanti, vt non accideret illi, quod aliis filiis Adam: vna exclusio à Pacto, alia Gratia Habitualis per Christum, ita vt per quam libet præseruaretur, licèt altera non esset. Quare, interroganti: Quomodò hæc Filia Adami non habet Peccatum Originale? Responderi alterutrum posset; nimirum quia non fuit inclusa in Pacto, vel quia habet Gratiam Christi in primo instanti. Sicut enim is, qui post commissum Peccatum mortale, accedens ad Confessionem, si in eodem instanti haberet actum charitatis perfectum, & simul acciperet absolutionem sacramentalem: hic Homo maneret mundus à peccato propter duas formas, & cuiuslibet earum posset sufficienter attribui mundatio à peccato, à quo liberatus fuit sacramentaliter, & extra Sacramentum. Sic etiam Præseruatio Virginis à Peccato originali, accepta in primo instanti Gratiâ Redemptoris, posset tribui, tum exemptioni à Pacto, tum Gratiæ Redemptoris. Atque, vt hoc amplius explicemus, proponamus hunc euentum: Quòd B. Virgini concessa fuerit in primo instanti duplex Gratia habitualis; vna per Merita Christi; alia per meram liberalitatem Dei, sine relatione ad Passionem sui Filij. Cuiuslibet harum Gratiarum posset tribui Præseruatio ab originali, & quia vna Gratia fuit Redemptionis, posset propter illam dici Redempta, quamvis alia Gratia nõ fuerit Redemptionis. Quod si dicas, esse diuersã rationè in casu nostro, quoniam exclusio à Pacto multò antè præcesserat infusionem Gratiæ Christi: vnde, B. Virgo iam erat ab originali Præseruata, adè, vt cum venisset Gratia

Gratia Christi, iam effectus fuerat absolutus, nec illi restabat aliquid faciendum, quare non potest dici per illam præseruatam, nec Redemptam. Ad hoc respondeo: quod præseruatio realis Virginis non potuit esse ante ipsam Virginem, quare, cum illico ac extitit in rerum naturâ anima Virginis, æquè extitit gratia Christi simul cum impedimento peccati originalis, deducto ab exclusione Pacti, non antecessit præseruationem ex gratiâ Christi præseruatio à peccato, orta ex non inclusione in pacto.

Præterea, antecedens effectus vnus formæ, non obstat quominus posset etiam attribui formæ subsequenti, si efficaciam æqualem habet ad illum; quod explicatur hoc exemplo. quidam, qui peccatum mortale commiserat, & postquam deleuisset illud per actum charitatis, & contritionis perfectæ, accessit ad Sacramentum Pœnitentiæ, & post illius confessionem, accepit absolutionem; in quâ dicitur: *Ego te absoluo à peccatis tuis.* Vera quidem essent hæc verba. Vnde accidit, quod is, qui mundus erat à peccato per actum charitatis dicitur etiam absolui ab illo per Sacramentum Pœnitentiæ, cui tribuitur absolutio peccatorum, quæ iam non erant in tempore Sacramenti. Sic similiter, quamuis præseruatio Virginis facta fuisset per non inclusionem in pacto, tribui etiam potest gratiæ Christi in primo instanti infusæ: sicut enim ille homo diceretur verè absolutus per confessionem; quia gratia quæ conceditur per absolutionem, est ex se absolutrix à peccatis, quamuis tunc non essent peccata absoluenda. Sic etiam gratia Christi, quia ex se est expultrix, siue vt melius dicam, Redemptrix peccati originalis, cum inueniatur in Virgine in primo instanti, potest dici, redemisse illam à peccato originali. De quo Bernal. disp. 10.

Quod autem habuerit suam vim gratiâ Christi Redemptrix, & præseruatric ab Originali, constat; quia si per impossibile auferretur alia forma, maneret Virgo præseruata per solam Christi gratiam; vt autem statuatur suppositio in propriâ specie Peccati Originalis, commentemur hoc, quod homini constituto in Peccato Originali, Deus non per merita Christi; sed ex mera liberalitate suâ, & absolutâ potentiâ condonaret illi prædictum peccatum, & iam condonato Baptismum susciperet, & in eo gratiam per merita Christi: nonne iste homo verè diceretur ablutus, & iustificatus per Christum, ac proinde redemptus à peccato originali, quia gratia Baptismi expultrix est illius, & quamuis iste homo esset mundus & purus, nihilominus in Baptismo dicitur abluui. Similiter etiam, præseruatio ab originali potest tribui gratiæ in primo instanti Virginis, licet alioqui præseruata esset ab illo per non inclusionem in pacto: quia gratia Christi ex se expultrix & impeditrix est illius peccati. Quare, sicut ille Homo verè dicitur ablutus per gratiam Christi, sic etiam sanctissima Virgo potest dici præseruata per eiusdem gratiam.

Quod amplius explico, si Deus expelleret Virginem à pacto hoc modo: nolo includi Mariam in pacto Adami vsque ad instans primum suæ animationis exclusiue. In hoc casu quis dubitat quin infusa tunc gratia Christi, illam præseruaret ab incurso alioqui peccato, licet non præcessisset debitum, cum id non fuerit factum alio modo. In rebus moralibus variæ sunt dispositiones, & intentiones, quæ limitari, & vna alteri

substitui possint, quæ formam præstent, aut continent, siue conferuent in alienationibus, & contractibus. Potest enim aliquis sic secum decernere; vnum ex meis seruis emptioni publicæ exponendis nequaquam volo alienare per venditionem; expectabo tamen, an lytrum pro illo mihi offeratur: sin minus gratis illi libertatem concedam, nec vt alios seruos volo interim eum despiciere, & vilipendere; sed curare de illo. Si igitur aliquis obtulisset pro isto homine lytrum, planè diceretur illius redemptor, quamuis alioquin illum seruum bona sui Domini voluntas securum de libertate suâ faceret. Sic etiam non implicat, quod Deus habuerit hanc intentionem circa Mariam sanctissimam. Hanc creaturam volo, vt nunquam sit in seruitute dæmonis, licet progeneretur ex Adam, & per infiniti pretij valorem. Opportunè si mihi offeratur, immunem illam, & liberam conferuabo ex vi soluti pretij, imò etiam si mihi non conferatur vllum pretium, per meram liberalitatem non permittam, vt veniat in mancipatum dæmonis. Vnde eodem modo posset dici Virgo redempta à Christo, offerente pro illâ infinitum sui sanguinis pretium, in opportunitate præuaricati Adami, ac ille seruus, pro quo datum est pretium libertatis Domino, alioqui in libertatem ipsum asferuro.

Tum etiam potest aliquis sericas merces curare, vt sine maculâ, & corruptione conferuentur, cum hac intentione, vt felicius eas vendat; sin minus, vt ex iis sibi vestem faciat, & decentius induatur. Neque etiam contradictionem inuoluit, quod Deus potuisset habere hanc intentionem: Immaculatam volo seruare Mariam, vt felicius, & priuilegiariè filius suus pretium sui sanguinis pro illa possit offerre, si Redemptor hominum futurus sit, Adamo peccante. Sin minus per indulgentiam meam intemeratam conferuabo. Et sicut illi mercatori non obstitit illa intentio vestiendi se ex illis mercibus, quominus iustè eas potuisset vendere. Sic etiam non obstat Deo intentio illa immunem tuendi Beatam Virginem, quominus per pretium meritorum Christi eam de facto seruauerit Immaculatam.

Præterea, Perfectio Præseruationis Virginæ fuit per gratiam Christi quamvis enim ad substantiam Præseruatæ utcumque MARIÆ sufficiebat non inclusio in Pacto; verum dignitati eius non adæquabatur simplex carentia peccati sine ornatu gratiæ: hanc autem præstitit MARIÆ Christus per sua merita, quare & ab eo Præseruata positiuo beneficio: ac proinde dici potest Redempta, vt quæ per illum posita sit in statu, & ornatu perfectò, quem perdidit Adam. Nec enim decebat, vt minus feliciter & vtiliter fuisset Virgo præseruata ab originali, quàm alij mundati ab eodem. Duo enim in mundatione eius peccati per Baptismum accidunt: vnum, liberatio à scditate culpæ; alterum, pulchrificatio gratiæ, illud priuatiuum, hoc positiuum; decebat enim vtrumque concurrere in Præseruatione Dei Matris; sed istud secundum non præstitit exclusio pacti; sed Christi gratia: ergo per illam potest dici plenè, perfectè, & vltimatè præseruata, posita in statu in quo caruit peccato, & depauperatione eius, quod præcedens exclusio non perfecit: per illam enim solum impedita fuit macula in Virgine, non autem est concessus ornatus Pulchritudinis spiritualis, qui concedendus erat aliis

Adæ in statu Innocentiæ. Redemptio Christi est, constituere filios Adæ in eo statu, qui amissus fuit per Adam; nimirum, carentia fordis peccaminosa simul, & ornatu ac pulchritudine gratiæ. Hic status innocentia: nam carere solum peccato est status naturalis. Cum igitur B. Virgo per Christi gratiam consummatè sit constituta in illo statu per ornatu suæ gratiæ, potest benè dici Præseruata, ac proinde Redempta à Christo, & quidem ipse solus eam præseruauit à damno deducto ex peccato originali de gratiæ nuditate.

Ad maiorem declarationem fingi potest hic casus: Quod Deus in eodem instanti expelleret ab aliquo per condonationem extrinsecam culpam originalem, sine relatione ad Merita Christi, & simul infunderet gradum aliquem gratiæ per Merita Christi. Anne iste homo verè dici posset iustificatus, & redemptus à Christo? Plane: quoniam per gratiam Christi plenè restitutus fuit in statum, quem perdidit Adam. Quod si aliquis dicat, in hoc casu, expulsum fuisse peccatum originale per gratiam Christi, quæ conuenerat in eodem instanti cum condonatione ex liberalitate Dei; atque idè attigit immediatè expulsionem peccati. Bene ista dicuntur; sed eadem ratio est de Præseruatione Virginis à peccato originali; concurrente in eodem instanti Conceptionis simul cū exclusione à pacto. Præterea, possumus eum casum constituere, in eo, cui deletum fuit peccatū originale, per merè condonationē Dei extrinsecā, sed sine realitate gratiæ habitualis: paulò autem post infusa eidè fuisset gratia ex Meritis Christi.

Verè hic Homo diceretur iustificatus per Christum, & redemptus etiam: quia iam habuit gratiam, quæ quantum est ex se, expulisset maculam peccati, si inueniret; & præterea, restituit lintegrè in positium ornatu spirituales, amissum per peccatum Adæ.

Hoc etiam illustrari potest exemplo rerum humanarum: Siquis Homo pretiosissimis indutus vestibus, in captiuitatem abductus, liberaretur à duobus; vnus, qui conferret mille aureos pro nudâ personâ illius, ne in seruitute maneret; alius, qui totidem aureos offerret, vt cum eisdem vestimentis, & ornatu rediret, restitutus illis, verè dici potest ab hoc secundo benefactore consummatam redemptionem habuisse, redemptumque etiam ab illo. Et similiter, si hi duo benefactores præuenirent captiuitatem illius hominis, præbentes illam summam auri, ne iste homo duceretur ad captiuitatem; dici etiam possent præseruatores illius, eiudemque præseruando illo redemptores. Sic etiam Christus, per cuius Merita donata est B. Virgini prima gratia, atque obindè Præseruata à nuditate puræ naturæ, in quâ reliquit Adam, quoad positiuam possessionem gratiæ, suos posteros, benè potest dici Præseruator Virginis, & consummatus Redemptor. Negari enim non potest, quod illa prima Præseruatio per exclusionem à pacto, non erat sufficiens ad constituendam Virginem in gratiâ, quam haberent filij Adæ in statu Innocentiæ, & habent nunc baptizati, relinquens Virginem priuatam, siuè, vt melius dicam, nudam, seu inopem, vel expertem supernaturalitatis, non deformem cum peccati maculâ; sed informem sine gratiæ ornatu. Nec decuit Virginem habere talem Præseruationem, quæ non adæquaret illam paruulis baptizatis; quare, completa fuit illa Præseruatio per gratiam Christi in primo instanti: & sic eius Præ-

seruatio gloriosissima est, & quidem est per Christum Redemptorem. Sic enim adæquata est præseruatio Virginea suæ Dignitati.

Quod si adhuc dicas: Non posse dici Christum Præseruatore[m] suæ Matris à peccato originali, quamvis in eodem instanti, quo contrahitur ab aliis filiis Adæ, quod gratiam per Christum habuerit, siquidem non antecessit debitum illius: facile eneriari hæc responsio potest. Quoniam ad præseruationem à peccato nequaquam requiritur, vt præcedat debitum, cum satis sit potentia: nam exclusio à pacto fuit verissima præseruatio, & tamen illam non præcessit vllum debitum; sed solum potentia, & quidem satis remota. Similiter, & prima Virginis gratia per Christum, potest dici præseruasse Virginem à peccato originali; quia cum illa est impossibile, quamvis nullum præcesserit debitum illius, cum solum sufficiat, quod ex naturâ suâ habuerit potentiam ad illud.

Virgo amplius hoc, quia præseruatio est quasi quoddam munimentum, & custodia alicuius rei, ne violetur, aut incurrat periculum: quæ custodia, seu munimentū habet latitudinem maiorem, aut minorem sufficientiæ; aut superabundantiæ; nec debetur minùs præseruatoris nomen custodiendi abundanter, quam sufficienter seruanti. Vnde, quia ad exclusionem pacti, quæ præseruauit Deiparam, addita est gratia Christi in primo instanti, fuit superabundanter munita ad securitatem immunitatis Virgineæ, cum quâ solidior facta est Præseruatio Virginis, saltem extensiuè. Cumquè hæc superabundantiæ, & solidior, geminataque custodia sit per Christum, non desinit propterea esse Præseruatio, Redemptioque præseruatiua; quod explico hoc exemplo: Summus quidam Imperator, vt sponsa suo filio decentissime, & securè ex alieno regno adduceretur, in custodiam & securitatem suæ personæ, ne ab infesto Tyranno captiua abriperetur, dedit munitissimam cohortem; sed postea filius eius in opportunitate instantis periculi misit aliam lucidiorē: à quonam diceretur hæc Regina præseruata à captiuitate illâ? Planè, negari non potest, quin etiam dici posset præseruata à cohorte filij, cum vtraque inimicum impedisset. Sic etiâ lucidior gratiæ virtus, in primo instanti, præseruauit Deiparam. Si adhuc dixeris, primam præseruationem Virginis per exclusionem à pacto esse sufficientem, quare altera non est necessaria, nec propterea Gratia Christi in illo instanti dicenda est Præseruatio. Ex dictis potest hoc satis solui; sed addimus, quod quamuis non fuisset necessaria, quoad contingentiam damni, erat tamen opus Præseruatio illa per gratiam, quoad eminentiam Puritatis Matris Dei, vt vt maior esset eius recessus à maculâ originali. Vnde, excessus præseruationis in Virgine, fuit adæquatus suæ Puritati, atque idè congruebat illi tanta præseruatio, quæ comprehendat Gratiam Christi, ac propterea Redemptionem eius: decuit præterea genitricem Dei, vt non solum negatiuè esset Præseruata ab originali per nullam inclusionem in pacto, sed positiuè etiam per sanctitatem gratiæ habitualis in primo instanti, non solum per indulgentiam Creatoris; sed per gratiam Redemptoris.

Ad dicta potest addi, quod prædictæ præseruationes non sunt reputandæ duæ, aut distinctæ; sed vna præseruatio intentior, adèd, vt attingat virtutem Redemptoris, & efficaciam sanguinis Christi

Christi, nec duplex forma; sed integra præseruationis forma ex duabus partibus constans: etenim non inclusio in pacto habet in se intimam relationem ad Gratiâ Christi in primo instanti donandam. Cum quâ non solum connexa est; sed eam necessariò respexit; imò Christi præuisa in Conceptâ Virgine, conditionaliter prior fuit, quàm ipsa non inclusio in pacto, etiam conditionalis, cum hæc sequatur illam: nam idcirco Virgo non fuit inclusa in pacto, quia gratiam erat in primo instanti habitura; idè incapax mansit ingrediendi in pacto, cum eius Gratia extra aleam esset, independens à voluntate Adami, cum Deus decreuisset, si Verbum incarnaret in reparationem ruinæ humanæ, donare Matrem suam coæuâ gratiâ per merita sui Filij, cui placitum fore præuidit; nec aliter crearet Matrem Dei. Hinc sequitur, impossibile fuisse in pacto ingredi: nam cum decretum esset, concipi in gratiâ, non poterat subesse amissioni gratiæ per præuarcationem Adæ; si autem Adam non peccaret; non crearetur Mater Dei: atque idè Adami gratia non spectaret ad illam, neque dignum erat, vt Dei Genitrix Sanctificaretur per alterius meritum, quàm sui Filij Dei, & Hominis simul. Et quoniam omnes cæteri quasi immensè sunt inferiores meritis, & ipsa superior dignitate quodammodo infinitâ. Vnde inferitur, quòd absque vllâ aliâ determinatione Dei speciali; sed quasi ex naturâ suâ maneret Deipara exclusa à pacto Adami, quæ habitura esset Gratiâ CHRISTI. Vnde, ad hanc etiam gratiam dici potest, spectare præseruationem Virginis à peccato Originali, potius quam solum ad aliam specialem Dei exclusionem.

Sed demus aliam expressam & formalem, & immediatam exclusionem Deiparæ à pacto, perfectò necessarium est, vt habeat in se illatiuè comprehensam siue relatiuam Virginis gratiam in primo instanti: nam cum Deus omnes creaturas rationales creauerit in Gratiâ, scilicet, vt inquit S. Augustinus, vna manu naturam condens, & alterâ conferens gratiam, vt patet in omnibus Angelis, & in Adamo, & Euâ; tum etiam, quòd decreuisset hominum gratiam tribuere per Adam; si fidelis maneret, tunc enim omnes filij eius nascerentur in gratiâ. Vnde, nullus est creaturæ rationalis status naturæ purus; sed aut cum gratiâ est creata, aut cum peccato originali. Hinc fit, quòd cum Virgo exclusa fuerit à pacto, hoc ipso supponitur habituram fuisse gratiam in primo instanti, alioqui maneret creata in statu extrauaganti, nimirum, in statu puræ naturæ sine gratiâ, & sine peccato, quod non decebat Matrem Dei, vt in inferiori statu crearetur, quàm cæteræ creaturæ rationales, quæ carent peccato originali. Itaque Beatissima Virgo, ne sola crearetur in illo statu anomalo, seu extrauaganti, debebat creari aut in peccato, aut in gratiâ in primo instanti; cumque creari in statu peccati non fuisset decens Matri Dei, nec possibile, propter non inclusionem in pacto, necessaria consequentia deducitur, quòd deberet creari in gratiâ: hæc autem gratia debuit esse per Christum, cum non potuerit esse per Adam, qui præuisus est præuarcator. Neque Deus decreuit alio modo donare homines gratiâ, nisi per Adam, aut per Christum. Vnde, apertissime præseruatio Virginis, etiam per

exclusionem à pacto, reducitur ad gratiam Christi, cui inniti est necesse: quæ gratia fuit in Virgine Redemptio præseruatiua à defectu natalium supernaturalium, quorum fecit iacturam per peccatum Adæ in aliis suis posteris, & massa Naturæ Humanæ; sed in B. Virgine restituta est natura ad illum honorem natalium, non obstante Adami peccato, in quod ex naturâ suâ tanquam persona humana poterat Virgo incurrere, nisi præseruata fuisset: nam quamuis ad illud non habuit debitum, non defuerat potentia ratione humanitatis, quæ includitur in naturæ malsâ, seclusâ Maternitate Dei, quæ virtualiter includere mihi videtur immunitatem à peccato, ac proinde exclusionem à pacto. Sicut enim Esther Regina virtualiter non fuit inclusa in Lege Assueri, etiam sine expressâ illius exceptione, vt ipse Assuerus supposuit, nec intelligeretur obstructa ad personale tributum mater Regis, qui illius Legem omnibus imponeret.

§. IV.

Ex indigentia Christi Redemptoris probatur Redempta Virgo etiam sine debito peccati.

NE desit nobis hæc via, probabimus Redemptionem Virginis, ex necessitate eiusdem; etenim hæc propositio est vera: sanctissima Virgo indigebat gratiâ Christi; quare, potest dici de illâ, quòd redempta fuerit ab ipso, maxime cum in illâ indigentia eam constituerit Adæ peccatum, egebat utique gratiâ Redemptoris nostri: quoniam cum non esset inclusa in pacto, non poterat habere gratiam per Adam. Præterea, cum Deus decreuisset non concedere gratiam hominibus ex suâ merâ liberalitate immediatè; sed aut per obedientiam Adæ, aut per obedientiam Christi, & eius merita deficiente possibilitate habendi gratiam per Adam, & illam, quæ immediata fuit à Deo, sine alio respectu ad mediatorem, qualis fuit gratia data Angelis; sequitur non nisi per Christi gratiam potuisse iustificari, ac proinde indigentiam illius habuisse, ac propterea Redemptionis Christi, liberantis nos à damnis præuarcantis Protoplasti.

Deinde, egebat gratiâ Christi non vtcutique; sed ad iustitiam originalem: nam cum exclusio à pacto solum impediabat culpam originalem, non autem conferebat iustitiam originalem, hoc est, gratiam sanctificantem in primo instanti; consequentem huius indigebat Beatissima Virgo à Christo habere: nam aliter non posset.

Tum etiam Sanctissima Virgo damnificata fuit per peccatum Adami, quamuis non in peccato proprio; sed quantum est ex peccato Adami, licet illa sine peccato esset, & debiti eius: ergo redimi potuit à CHRISTO, reparante illud damnum ex Adamo. Damnificata quidem fuit in carentiâ gratiæ, non quidem priuatiuè; sed defectiuè. Non enim Adam constituit MARIAM in priuatione Gratiæ debitæ, sicut constituit ceteros suos posteros, qui originale peccatum contraxerunt; sed in defectu Gratiæ donabilis, à quo defectu Redempta præseruatiuè fuit

fuit per Christum. Damnificata etiam fuit in corruptione Naturæ, à quâ præseruatiuè fuit etiam Redempta per Christum: quoniam peccatum Adæ fuit occasio tot vitiorum in suâ progenie, vt ipsæ qualitates, humores, & intemperies corporalis disponderent ad prauas inclinationes, & vitia: ab hac tamen corruptione Præseruata fuit per Christum sanctissima Virgo per Puritatem suæ carnis, & optimam temperiem.

Ecce quot modis fuit Beatissima Virgo redempta à suo Filio, quamvis immunis esset etiam à debito Peccati; sed addo: quòd licet tanto iure non fuisset Redempta, at ex priuilegio debebat dici talis, quatenus debebat fuit copiosissima, & honorificentissima Gratiâ Redemptoris, innixa suis infinitis Meritis, quæ sanè debebatur Sacratissima Virgini; tum quia est Mater Redemptoris; tum quia fuit electa ad operandum Redemptioni: tum quia est Regina Angelorum, & Sanctior omnibus Sanctis, abundantiorque Gratiâ donata: quare deuit sanctificari per copiosissimam Redemptionis Gratiâ; tum etiam, quia Virgo Priuilegiata fuit in aliis Gratiis, & Charismatibus, quæ concessa sunt aliis Sanctis. Quare Priuilegium Redemptionis Gratiæ, quâ maximè priuilegiata est, non debebat illi deesse.

Similiter, & per concomitantiam posset dici Deipara licet non proprie & strictè, sed quodammodo & late redempta, quatenus fuit ex communi massa Adami, quæ & Christum Redemptorem habuit. Sicut enim per Consecrationem Hostiæ, quæ directè, & ex vi verborum non respicit nisi ad constituendum ibi corpus Christi; per concomitantiam tamen etiam Animam, & sanguinem affert, si cum Corpore coniuncta sint; vel formam cadaueris, vt in triduo Mortis Christi accideret: atque etiam, sicut in Absolutione Sacramentali, in quâ dedit aliquis pro materiâ Sacramenti octo peccata mortalia; omisit tamen per obliuionem & ignorantiam inuincibilem alia duo: nihilominus mundatus manebit ab omnibus, & per connexionem ea, quæ non fuerunt expressa in materiâ Sacramenti, exploduntur ab animâ simul cum his super quæ Absolutio Sacramentalis facta est. Sic etiam, cum Redemptio Christi fuerit pro toto Genere humano indigente illâ ob peccatum Adæ, directèque respicit peccatum originale omnium filiorum Adæ, nihilominus non obstat, vt per concomitantiam ad aliquam personam possit dici etiam pertinere, quæ existens huius massæ caruerit peccato originali, & debito eius propter communionem eiusdem Naturæ.

Hæc concomitantia maiorem, imò necessariam vim habebit ad participandum Gratiâ Redemptionis à Virgine, quatenus ea in se indigebat Gratiâ Christi Redemptoris Generis humani; nam alioqui non habebat vnde constitueretur in vitâ spirituali; quod hoc exemplo explano. Si quis pro integra Familiâ alicuius Regis captiuâ, traderet magnam summam argenti, vt redimeretur ab hostibus, & in Patriam rediret: cumquè inter alios seruos seruituti obnoxios vnus esset liber, qui ob iustas rationes non fuit factum mancipium; at redire in Patriam nullo modo poterat, quia nec comteatum nec vestitum habebat, nisi si suppeterentur ex illâ argenti summâ. Quis

dubitauit hunc filium, quamvis liberum gauisum fuisse fructu Redemptionis, imò & habuisse indigentiam illius: nam alioqui ad Patriam suam nequaquam rediret; verèque posset dici redemptus ab illo benefactore tunc suæ Familiæ: redemptus quippè fuit ex illâ necessitate, delectu vestitus & carentiâ Patriæ, quæ annexa fuerat captiuitati suæ Familiæ. Idem dici potest de Beata Virgine quæ licet libera, & nequaquam subiecta seruituti, sicut alij ex massa Adami, particeps fuit Redemptionis Christi, atque eadem indigebat ad vestitum Gratiâ, vt in statu supernaturali constitueretur.

Tum etiam, propter vtilitatem ipsius Redemptionis oportebat eius fructum communem esse Deiparæ, quandoquidem licet Virgo non posset dici à Christo Redempta, quatenus non habuit vllum peccati debitum; nihilominus per Gratiâ Redemptoris decorata est tot beneficiis, & excellentiis: quoniam istæ omnes concessæ illi sunt in gratiam, & intuitu Redemptionis humanæ, tum vt esset Mater Redemptoris, tum vt esset Adiutrix Redemptionis, vt fuit quidem multis modis: atque idè à Patribus aliquibus vt Corredemptrix Mundi commendatur. Ex pretio enim Redemptionis captiuorum bene potest impendi aliquid in emolumentum ipsius operis, quamvis sit liber, qui hoc adiutorium præstet, & ex illo pretio ei conferatur ad necessarias dispositiones. Præterea, in suâ personâ potest dici redempta à pluribus effectibus peccati originalis, ac proinde ab ipso peccato originali, in quantum nihil potuit in illâ, nec per se, nec per efficaciam tuam, nec per immediatum venenum, nec per afflatus eius in iis effectibus: nam præter dolores Partus, incinerationem, & fomitem, satis est, quod insinuauimus; quòd licet non potuisset præualere in MARIAM per priuationem Gratiæ; potuit tamen Illa pro ea parte, quæ spectat, & in quantum attinet ad peccatum Adæ, relinqui in defectu Gratiæ in primo instanti, nisi ab hoc defectu præseruaretur per Christum, redimereturque.

Tandem, propter demeritum Humani Generis, posset etiam Virgo dici Redempta à communi massa Adæ per Christum, imò & Redempta à peccatis, scilicet, peccatis Adæ, & Eux, & cæterorum Hominum, quatenus Genus Humanum, & corruptæ naturæ massa non merebatur habere indiuiduum, quòd esset tam sancta, & pura Mater Dei, atque gloriosissima Regina Angelorum. Hac tamen Hominum indignitate non obstante, Merita Christi impetrarunt à Deo tot gratiis exornari hanc Adæ Filiam, purissimamque extrahi ex sordidâ massa: itaque præterquam quòd propter Christi gratiam in primo instanti, non est inclusa in pacto, per illam etiam caruit peccato, & etiam debito eius.

Ianuam videtur apertam reliquisse Apostolum, vt posset aliquis prædicta existimare: nam cum dixisset in plures abundasse donum gratiæ CHRISTI, quàm damnus perditionis Adæ, indicat supponere illam Personam, per quam excessus factus numeri est donatorum gratiæ CHRISTI super damnatos ab Adam, participem fuisse Redemptionis, saltem ob aliquam ex prædictis causis, aut per priuilegium,

aut per concomitantiam, aut per utilitatem Redemptionis, aut tanquam pretiosissimum pignus, & decus Humani Generis, cuius non erat digna Humana natura. Nihilominus non omnes istas rationes ita propono, ut quæ per se solas conuincant substantiam strictæ Redemptionis: sed coniunctæ simul cum potentiâ, seu discrimine ad peccatum, ob conditionem naturæ, & modum generationis & humanæ.

§ V.

Aliquæ obiectiones exploduntur.

EX dictis posset quis obiicere, quod Beatissima VIRGO non fuerit eodem modo redempta, ac cæteri filij Adam: nam hi expiati fuerunt à peccato originali contracto & priuatione Gratiæ debitæ, VIRGO autem solum à defectu Gratiæ, & aliis damnis consequentibus peccatum Adæ. Ad hoc respondeo, quod non debet mirum putari, si in regeneratione per CHRISTVM, & vitâ supernaturali, diuerso modo se habuerit Redemptor circa Matrem suam, Coadiutricem in Redemptione ac cum cæteris: nam sicut Adam diuerso modo se habuit circa vitam naturalem communicandam Eux, datæ sibi in adiutorium ac cum cæteris; sic etiam CHRISTVS diuerso modo se habuit; nam diuinâ dispositione prouisum est, ut cum quâdam analogiâ, & proportione se haberet CHRISTVS erga vitam supernaturalem communicandam, ac Adam circa naturalem. Vtrumque, Adamum, scilicet & CHRISTVM; voluit DEVS esse prima principia totius Generis Humani, (idèò Euam non ex limo; sed ex Adamo produxit) illum in vitâ naturali, hunc in supernaturali.

Eua vitam habuit ex Adamo per extractionem suæ costæ, ex quâ producta fuit; cæteri autem posteri per generationem naturalem, per quam communicatur Peccatum: sic etiam CHRISTVS cum regeneraret sanctos, expiando illos à Peccato originali, quod contraxerant per generationem ex Adamo; VIRGINI autem dedit vitam supernaturalem per modum excellentiorem, non expiando illam à peccato aliquo, quod de facto habuisset per generationem Adæ; sed donando gratiam non indebitam illi, hoc est, ad quam non erat impedita, quâ solum carere potuit. Sicut etiam Eua non habuit totum suum esse humanum; sed mediâtè, & immediâtè à Deo fuit producta ex naturâ humanâ, scilicet, costâ, quâ dedit Adam, & ex omnipotentiâ, & formatione diuinâ, ita ut Deus per se immediâtè, & etiam mediante Adam materialiter illam formauit. Sic formatio supernaturalis Deiparæ, hoc est, iustitia sua originalis, & à diuinitate fuit immediâtè per non inclusionem à pacto, & etiam mediâtè, scilicet, mediante etiam gratiâ Christi in primo instanti. Nec mirum, cum sancti Patres attribuerint priuilegiariam singularitatem Virginis in redemptione actiuâ, vocantes illam Corredemptricem cum Christo, si eidem tribuatur singulare aliquod priuilegium in redemptione passiuâ, quæ enim consors fuit cum Christo ad redimendum genus humanum; non mirum, si non in omni-

Ioann. Enseb. Op. Parth.

bus conformetur ipsi generi redempto in suæ reparationis modo, quoad peccati experimentum aliquod.

Posset etiam aduersus dicta obiici: primam Virginis gratiam non fuisse per Christum, cum non inclusio in pacto fuerit merè à Deo sine interuentione meritorum Christi. Ad hoc posset respondere aliquis: Quod ut aliquis sit redemptus à Christo, non est necesse, ut prima illius gratia sit per Christum: nam Adam, & Euâ primâ gratiam non habuerunt per Christum; acque in totâ suâ prædestinatione inuenientur aliqua merita rediuiua, quæ non fuerunt per Christum, ut erunt illi actus, quos ante peccatum fecit Adam, obediens Deo, ut fuit impositio nominum animalium. Nihilominus non oportet negare primam Deiparæ gratiam fuisse per suum filium. Vnde absolutè dicendum est, quod prima gratia positua Virginis incepit à Christo, scilicet, gratia habitualis; & principium suæ sanctissimæ vitæ, & sanctitatis, siue sanctificationis semper augendæ. Dici etiam potest, quod fauor ille negatiuus non includendi in pacto, potius fuit gratia facta Christo, quàm Virgini: nam in honorem Christi illam præuenit Deus. Deinde decentia fuit Dei hoc facere, propter gloriam suam, ut purissima fuisset Mater sui unigeniti. Vnde aliqui Doctores dicunt, illam non inclusionem non numerari in gratiis Deiparæ, sed fuisse occasionem ad gratiam per Christi merita semper possidendam: de quo videri potest Salazar cap. 24. §. 10. Tandem fuit illa Christi gratia per rati habitationem, & spem suorum meritorum, ut postea dicemus. Præterea aduertendum est, quod gratia Eux non fuit communicata per pactum Adami cum illi fuerit concessa antequam Adam per obedientiæ suæ fidelitatem mereretur aliquid, seu impleret pactum. Gratia autem cæterorum humani generis fuisset per Adam, si perseveraret Deo fidelis. Idcirco sicut præuaticatio Adami non præstitit iacturam gratiæ in Eua, quam iam ipsa amiserat ante præuaticationem Mariti: Sic nec collatio gratiæ antecedentis in Euam fuit per Adam, ex eo quod fuisset Deo obediens, sed per liberalitatem diuinam. Quare Adam, ut perderet genus humanum, non fuit necesse, quod perderet Euam; sic etiam, ut esset communicata gratia in totum genus humanum, non erit opus, ut ea per Adam communicaretur Eux. Vnde Adam diuersimode se habuit erga Euam, ac circa alios homines, tum in influxu vitæ corporalis, tum in gratiæ communicatione. Nam quoad influxum vitæ corporalis nullum in Euam habuit, per ordinariam communicationem naturæ via generationis, sed per extraordinariam productionem. Verum quoad influxum vitæ spiritualis, aut mortis nullum omnino habuisse in illam apparet. At nihilominus fuit caput, & principium generis humani, tum quoad vitam corporalem de facto, tum quoad vitam spiritualem sub conditione non præuaticandi. Quare non mirum, si Christus, perfectus, & totalis hominum Redemptor diuerso modo se habuerit erga Matrem suam, ac circa cæteros Adæ filios. Nam ut esset humani generis Redemptor, non erat necesse, ut B. Virgo per suum sanguinem gratia donaretur, quamuis de facto est, & quidem decuit decuit, ut eius sanguine sanctificaretur, eiusque gratia esset gratia Redemptionis, cum ipsa persona Deiparæ spectet ad Re-

§ I demptio

demptionem, fueritque nobilissimum medium ad illam, tanquam Mater Redemptoris, cuius meritorum spe potuit Deus illam præservare à debito & excludere à peccato. Ratio enim principij, & adiutorij diuersa est à ratione effectuum consequentium.

Insurgit adhuc fortassè aliquis aduersus omnia mea asserta, cum negantes Virgini debitum peccati, concedamus periculum peccandi, à quo redempta fuit per Christum? Ità planè sed magnum discrimen est inter debitum peccati, & periculum: illud est quasi quædam obligatio, quæ minuit quodammodo puritatem: periculum autem cum dependeat à voluntate alienâ, & non propriâ, experimentum potest esse, & occasio maioris puritatis. Vnde multa pericula habuerunt sancti, diuinitus disposita, vt maiorem puritatem, & sanctitatis gloriam acquirerent; imò ipse Christus tentatus fuit, licet impeccabilis esset; indeque exaltata est gloria suæ infinitæ sanctitatis, puritatis, & sapientiæ. Iosephum etiam & Susannâ pericula peccandi sanctos monstrant, & sanctiores effecerunt. Tentationes etiam carnis sanctos Benedictum, & Franciscum puriores reddidere. Sic illa pericula, & damna ex masâ Adam, quæ quantum est ex parte Adam possent attingere suam Progeniem in excellentiam Puritatis Virgineæ recidere, quæ per Gratiâ CHRISTI inter pericula securissima fuit, inter damna indemnâ, & inter occasionem peccati Purissima, & Sanctissima. CHRISTVS, etiam impeccabilis fuit, licet dæmon, quantum est ex parte suâ tentarit illum, & præstruxerit pericula peccandi. Præterea, illa pericula conditionata fuerunt; conditionatorum autem non est habenda ratio, neque ad laudem, neque ad vituperium.

Explicabitur tandem, quanto iure Sacratissima VIRGO debeat dici Redempta, licet caruerit debito peccati ex comparatione Angelorum, qui etiam sine debito peccati fuerunt. Imprimis Angeli non fuerunt sanctificati per Gratiâ Redemptoris, VIRGO autem per hanc Gratiâ constituta est in statu supernaturali. Quod autem Angeli non habuerint Gratiâ Redemptionis, constat; quia nullus eorum post lapsum restitutus est; & Gratiâ Redemptionis hoc Privilegium habet, vt per illam peccatores possent rursus in statum Gratiæ reduci. Cùmque nullus ex tot millibus Spirituum hoc sit consecutus, signum est, eam gratiam non habuisse. Deinde, Angelis præterquam quod non habuerint hanc gratiam Redemptionis, non indigebant illâ ad suam primam sanctificationem: nam per Gratiâ DEI sine alio respectu sanctificati sunt. VIRGO autem sanctissima indigebat Gratiâ CHRISTI Redemptoris: quia per puram Gratiâ DEI largientis, seu Adami obedientis non erat sanctificanda, vt dixi. Præterea, Angeli non habuerunt massam corruptam ex alicuius peccato: VIRGO autem ex Naturâ Humanâ fuit, quæ Natura corrupta erat per peccatum Adæ. Tum etiam, Angelos ex primâ sui origine non poterant attingere effectus prauis ex peccato alterius, non distemperies corporis, nec humorum deprauationes disponentes ad inclinationem in malum, & peccata, nec mortui fuerunt in alio, vt indigerent Redemptione: VIRGINI autem hæc & alia damna competere possent, nisi per CHRISTVM ab iis præseruaretur.

Si ergo Sanctus Bernardus censuit, posse dici Angelos bonos redemptos ex eo solùm quod præseruati fuerint, ne caderent; & illum secuti sunt plures Doctores: quantò magis dicenda est, eritque Redempta Beatissima VIRGO, ob tot titulos, & causas, quas retulimus.

§ VI.

Alia via excogitatur ratihabitionis CHRISTI.

Ratio nunc Iuris-peritiæ non nihil adiuuenti, vel ornamenti ratiocinationibus Theologiæ poterit, vel videbitur adicere: nec enim videtur repugnare illam singularitatem, & fauorem non comprehendendâ DEIPARÆ in Pacto præstitisse DEVM antecederet propter Filium suum, si VERBUM assumpsisset carnem humanam: quam quia postea CHRISTVS adimpletâ conditione Incarnationis ratam habuit, & gratias pro illâ egisset, consummassetque in sua Matre iustitiam originalem, & Gratiâ infusam illi ob sua merita in primo instanti, quo concepta fuit, optimè posset dici, eam redemisse præseruatiuè: nam ratihabitionis, seu, vt vulgò dicitur, ratificatio, instar mandati est, L. fin. C. ad Macedon. Bartolus in L. Pomponius, D. de Negot. gest. & Laus. Balb. decis. 126. Centur. 2. eius autem natura est, vt retrorahatur, L. 4. & 5. C. de Pignorat. act.

Præterea, notanda est illa Iuris-peritorum doctrina, iuxta quos ratihabitionis à iullo, & auctoritate distinguitur: iustus enim est consensus negotium antecedens; auctoritas est consensus in ipso negotij actu interpositus. Ratihabitionis est, consensus qui negotium perfectum insequitur, L. fin. D. de Honor. possess. L. si quis 6. §. iussu, C. de acquirend. vel amittend. possess. Vulteius in commentat. instit. ad Titul. de Nupt. in princip. num. 22. Sicut igitur in quolibet homine sufficeret consensus eius per quemlibet ex his tribus modis concurrere, vt ipsi tribuatur negotium, aut contractus aliquis: cur non etiam sufficit CHRISTO ad attribuendam illi Redemptionem suæ Matris per prædictam Præseruationem. Sicut enim CHRISTVS per propriam suæ Personæ auctoritatem, aut per eiusdem iussum, & commissionem, præstaret consensum ad contractum eiusmodi Redemptionis præseruatiuæ, offerens pro illâ sua merita. Sic etiam potest dici, præstitisse illum per ratihabitionem, Matremque suam integrè redemisse.

Inter homines, si aliquis bona spe solutionis futuræ, imò & solùm tunc possibilis, traderet pecuniæ summam, ne hostes seruam haberent quandam Isæminam desponsatam, siue eam redimens à seruitute, siue præseruans cum hac expectatione, quod si filium haberet successu temporis illa Fæmina, ditissimus foret; sibi que abundantissimè esset gratificaturus illam procuracionem, & præuentionem libertatis maternæ: deinde accidisset, vt illi Fæminæ nasceretur filius, qui conscius liberatæ eiusmodi matris, cumulatissimè solueret pretium redemptionis maternæ, non solùm consensum præbens; sed gratias agens pro illa: planè hic filius posset dici matris redemptor. Sic CHRISTVS, licet non fuisset

fuiſſet abſolutè futurus, cùm Æternus Pater noluit comprehendere DEIPARAM in Pacto, ne exponeretur periculo ſeruitutis, quam intulit peccatorum Adæ; nihilominùs, cùm deinde in tempore exiſtens gauſus de illâ Præſeruatione Matris offerret ſua merita pro collata illi Gratiâ habituali in primo inſtanti CONCEPTI-
ONIS, quæ conſummabatur iuſtitia eius Originalis, egiffet quegratias Æterno Patri, quòd non comprehenderet in pacto ſecluderetque ab omni periculo ſeruitutis; poterit etiam dici Redemptor Præſeruativæ ſuæ Matris. Nec obſtat, quòd DEVS cùm non comprehenderet VIRGINEM in Pacto, non potuerit protunc habere ſpem ſolutionis futuræ; ſed tantùm poſſibilis, quia pro tunc nondum intelligebatur CHRISTVS futurus; ſed tantùm poſſibilis. Ad hoc enim reſpondeo, quòd in contractibus non tantùm habetur ratio lucri futuri, ſed etiam poſſibilis. Ideò emitur iactus retis in mare, quamvis cùm fit emptio, non intelligitur lucrum futurum; ſed tantùm poſſibile: quandoquidem lucrum poteſt deeſſe, & non fore. Spes etiam incertæ victoriæ, & tantùm poſſibilis, mouet principem, vt eligat ſtrenuum Ducem, mulſiſque muneribus alliciat: quod non eſt remunerare merita conditionata; ſed illius ſpei iactum, vt ita dicam, emete, & lucrum illud poſſibile negotiari. Sed de hoc latiùs ſuprà egimus.

Conſirmantur prædicta de ratificatione, quoniam maiorem vim habet, quòd fuerit Pater, qui pro filio, & propter bonum filij hoc fecit antecedenter: quod enim ille fecit, hic dicitur quodammodo feciſſe, & quod ſit cauſa libertatis, quæ libenter retrorahi facilè concedunt Iura: nam, vt inquit Vlpianus L. 3. D. de manumiff. vind. *In dubio retrò comperit libertas*; & eius cauſa diuerſa eſt à pecuniariâ; ideò in L. 39. D. de fideicommiſſ. libert. dicitur: *Paulus reſpondit, & ſi alienus inueniatur ſeruus, quem vt ſuum teſtator ab uno ex heredibus voluerit manumitti; tamen cogendum eum, qui rogatus eſt redimere eum, & manumittere, quoniam non putauit ſimilem eſſe cauſam libertatis, & fideicommiſſi pecuniarij.* Facit etiam ad inſtitutum noſtrum, quod poſteà ſubditur: *Paulus ait: His verbis, crede mihi, Zoile,*

gratias tibi referet filius meus Martialis, imò non tibi ſolum; ſed & filiis tuis. Plenam voluntatem defuncti contineri circa benefaciendum conueniſſis perſonis Zoilum, qui ſi ſerui ſint, nihil gratum his præſtari poſſe, quam libertatem; ideòque Præſidem debere ſequi voluntatem defuncti. Et hoc vt I. C. Scæuola, & alij ſubſcribunt, ex dignitate, & ex voluntate, & ex conditione eius, qui fideicommiſit, accipiendum erit: quia præſumptio propter naturalem affectum præcipue erga parentes, & filios: nam & legatarij dignitas, vel charitas, vel neceſſitudo, item earum, quæ præcedunt, vel quæ ſequuntur ſummarum ſcripta ſunt ſpectanda facit omnia Patri videri conſeſſa.

Prætereà, bonum filij ſpectat ad Patrem, ſicut etiam iniuria vt vtriuſque eadem cauſa ſit. Vnde Pater, cuius filio facta eſt iniuria, non eſt impediendus, quominus duobus iudicijs & ſuam iniuriam proſequatur & filij. Quomodo igitur, quâ ratione, aut quo iure dicendum, aut dubitandum eſt, quòd illam maximam omnium iniuriam, illam maculam ſeruitutis peccati, illam Originalem ignominiam, (neque enim modica filij ignominia eſt, etiam Vlpianus dixit: *ſi parentem ſeruum habeat*) illam denique ſeruitutem, qua ad dolorem noſtrum, iniuriãque noſtrum, porrigitur, Æternus Diuini VERBI Pater non præueniſſet? Maximè cùm etiam cauſam Filij egiffet, à quo ratihabitionem, & gratificationem ſperare potuit.

ſpectat etiam ad confirmanda dicta, quod paſſim poteſt euenire inter mercatores, vt exquiliſitas aliquas merces curent conſeruare illaſas ſine maculâ, & ſordibus ſpe lucriſe venditionis, quæ poſſit accidere, quamvis illa certa non ſit, imò reiſa non futura. Verùm cùm accidit prædicta venditio, in ipſa emptione ſatiſfiunt non ſolum de ſubſtantiâ intrinſecâ rei venditæ, ſed de curâ, & ſollicitudine, quam poſuerunt in ſeruandis mercibus mundis, & incorruptis. Sic Deus potuit cum ſpe Redemptionis Chriſti ſeruare Virginem mundam per non inclusionem in pacto: & tandem cùm de facto accidiſſet redemptio Chriſti, ſatiſfieri potuit per merita eius de illo beneficio non includendæ Virginia in pacto.

L. 41. D. de Injur. Modestini in L. fin. in fin. l. de Natal. reſtituend.



IOANNIS EVSEBII
NIEREMBERGII,
E SOCIETATE IESV.

PARS TERTIA.

DE EXCLVSIONE VIRGINIS
A PACTO;

Vbi proponitur scrutatio Hagiographica
De causa præuaricati Adami in diuino
iudicio, declarante immunitatem Vir-
ginis à peccato originali, & transgressio-
nem eiusdem in reliquam sobolem.



QVONIAM sanctissima Mysteria Redemptoris
Nostri & Eius immaculatæ Genitricis in sacris
contineantur literis, scrutari Sacram Scripturam
commendauit ipse Dominus: quæ enim primo
aspectu non patent, humili tamen consideratione,
& oratione tandem clarescunt. Cùmque glorio-
sissimum Mysterium Beatissimæ VIRGINIS sit
eius immaculata CONCEPTIO libera à condem-
natione Adami, necesse est vt in eâdem Scripturâ prænotetur: quapropter
licebit humiliter & piè scrutari, & maximè eo ipso in loco, vbi condem-
natio lapsi Adami denunciatur, quem si dispiciamus, inueniemus fortasè
docere nos non modò carentiam peccati originalis; sed etiam necessitatem
negandi debitum ipsius peccati in Beata VIRGINE, siue impossibilitatem
habendi illud ex suppositione aliquorum principiorum, quæ nituntur in
sacrâ Scripturâ, & desumpta sunt ex sanctis Patribus, partim infallibilia,
iuxtà Textum sacrum, partim certa, iuxta antiquos Ecclesiæ Doctores.
Itaque, licèt VIRGO inclusa fuisset in Pacto; nihilominùs impedita fuerit
ne debitum haberet per exclusionem opportunam ab eodem Pacto. Scio,
aliquos doctissimos Theologos me præuenisse in expendendo capite
tertio Genesis, & notandis moris à præuacatione Adami vsque ad trans-
missionem peccati Originalis, vt ostendant posse VIRGINEM caruisse
illo,

illo, & etiam debito eius: vtar tamen opportunè felici eorum labore, in-
nitárque, ausus insuper laborare vt ostendam non modò possibilitatem;
sed realitatem conceptæ sine culpa *MARIÆ*; imò & impossibilitatem in
illâ contracti, & contrahendi peccati Originalis, secundùm præsentia
DEI Recreata, & multorum Patrum suppositionem. Vt mirer, quòd
aliquibus Theologis difficilis apparuerit exclusio *VIRGINIS* à Pacto,
& negatio debiti culpæ; fortalsè hoc accidit, quoniam Patrum dicta
parùm perpensa habuerunt, quæ ad hoc possunt spectare.

§. I.

Principia dicendorum.

PRIMUM principium est, quòd
ante sententiam condemnationis
à *DEO*, latam in prima Parentes,
prædestinatus fuerit *CHRISTVS*
Humani Generis Redemptor.

Secundum, quòd fructus meritorum eius
fuerit iam aliquo modo communicatus Ge-
neri Humano, saltem in aliquo indiuiduo
eius: quoniam Beata *VIRGINI* aliquod be-
neficium concessum est, siue Priuilegium in-
dultum.

Tertium, quòd non solùm Beneficium vt-
cumque concessum sit Beata *VIRGINI* fu-
turae Matri *DEI*; sed promissa Gratia habi-
tualis.

Quartum, quòd ruina Generis Humani
in statum præsentem naturæ corruptæ, & de-
bitum contrahendi peccatum originale, ab
Adami posteris non fuit nisi post sententiam
latam in primos parentes.

Ex his principiis deducitur euidenter, quòd
Beatissima *VIRGO* nec potuit habere pecca-
tum originale, nec debitum eius; quoniam per
promissionem diuinam habuit necessitatem
Gratiæ, antequàm alij filij Adam haberent
necessitatem carendi illa, & contrahendi pec-
catum originale. Quare, cum *DEIPARÆ*
fuisset indultum Priuilegium Gratiæ promissæ,
cum Genus Humanum, hoc est, reliqui filij
Adam fuerint condemnati ad priuationem
Gratiæ; constat ex hoc, esse in Scripturâ mani-
festum exclusionem *DEIPARÆ* à communi
lege peccati: neque enim potuit habere ius ad
Gratiam promissam, cum iure dæmonis ad ca-
rentiam illius, scilicet, peccato originali, per
quod obstricti fuimus dæmoni per priuationem
Gratiæ debitæ.

Verùm antequam hoc ampliùs comprobe-
mus, demonstranda, sunt illa quatuor princi-
pia, & quoniam quartum posset habere maio-
rem antiquitatem, & in eo tandem torum no-
strum argumentum innitatur, de eo priùs di-
cendum est. Interim tamen, illud insuper præ-
moneo ad maiorem abundantiam probationis
nostri asserti: quòd, licet falsum esset quartum
hoc principium, eadem veritas exclusæ *VIRGI-
NIS* à Pacto, constans permanebit.

Ioan. Euseb. Op. Parth.

§. II.

*Patres, & Doctores affirmantes non vsque
ad sententiam DEI, in statum
Mortalitatis, cum transmissione
Peccati Originalis descen-
disse Adamum.*

ACcedo iam ad probandum ex Patribus
quartum illud Principium, de non dam-
nata Posteritate Adami vsque ad sententiam
DEI.

Sanctus Chrysostomus Homilia decimasep- S. Chrysof.
tima, in Genesim, explicans illa verba capite
secundo Geneleos, *In quocumque die comed-
ris ex eo, morte morieris*, sic loquitur: *A quo
tempore audierunt terra es, & in terram abibis,
& sententiam acceperunt mortis, mortales fue-
runt, & ex illo tempore fuerunt perinde, ac si
quis dicat, illos mortuos fuisse.* Et postquam id
exemplo rei ad mortem per sententiam vltimam
damnati & iterùm in carcerem reclusi, decla-
rauit, subiunxit: *Eodem modo, & illi eo
die, à quo mortalitatis sententiam acceperunt,
tametsi longo tempore durauerint, nihilominus
sententia mortui sunt.* Sanctus Augustinus ser- S. August.
mon. decimonono, de sanctis ait: *Diuinâ
vtrique sententiâ morti adiudicatus est (nempe
Adamus) & cum totâ Posteritate eiectus est
de Paradiso.* Idem habetur libro secundo Hy-
pognosticon, ad articulum secundum & libro
de Prædestinatione capite secundo, & lib. 1.
de Mirabilibus. Verùm, quia præfata opera du-
bia auctoritatis sunt, misso Pseudo-Augustino,
redeat iterùm Verus Augustinus, & no-
stram sententiam, suam esse asserat; ille enim
libro decimotertio, de diuitate *DEI*, capite
tertio, hæc scripsit: *Pro magnitudine culpa
illius, naturam damnatio mutauit in peius;
in primo genitus Homine per Fœminam in Pro-
geniem transiturum Genus Humanum fuit, quan-
do illa coniugum copula diuinam sententiam sua
damnationis accepit, & quo homo factus est,
non cum crearetur; sed cum peccaret, & puni-
retur, hoc genuit, quantum quidem attinet ad
peccati, & mortis originem.*

Sanctus Athanasius lib. contra Arianos, S. Athanaſ.
sic scribit: *Prima per Adam via & ianua
perierat, & de Paradiso ad mortem deuerge-
bamur, dictumque nobis est: Terra es.* Et post
aliquot columnas subiungit: *Lata enim sen-
tentia à DEO fuerat, terra es: & in terram
abibis; sic ergo mortales erant facti.*

Sf 3

Sanctus

S. Cyr. il.
Alex.

Sanctus Cyrillus Alexand. lib. 3. in Isaiam idem sentit, dum ait: *Dictum est Ade; Terra es, ac quidem maledicta propter transgressionem hominis, unde corruptioni subiecta natura.* Et aduersus Antropomorphitas c. 8. clarius idem repetiuit: *In nos primus parens Adam pœnam sibi ob transgressionem illatam transmisit. Audiuit enim: Quia terra es, & in terram reuerteris, & ex incorruptio factus es corruptioni obnoxius, mortisque vinculis submissus. Posteaquam verò in hanc prolapsus, liberis creandis operam dedit, nati ex ipso, vtopere ex mortali mortales effecti sumus. Hoc pacto sumus execrationis in Adam heredes. Neque enim omnino veluti cum ipso præceptum, quod ipsi iniunctum erat infringentes punimur; sed quia, ut dixi, mortalis factus, execrationem in progeniem suam transmisit.* Ecce quàm magna lumina, & præcipui Ecclesiæ Doctores in hanc sententiam concurrere, præsertim cum Athanasium, Augustinum, & Cyrillum Alexandrinum Scholasticus rigor magnopere, & merito veneretur. Quibus suffragantur plures alij Patres.

S. Leo.

Sanctus Leo serm. 4. de Natiuit. ait de Adamo: *Quia innido, & deceptor temere atque infelicitate credidit, & superbia consiliis acquiescens, repositum honoris augmentum occupare maluit, quàm mereri, non solum ille homo; sed etiam vniuersa in illo posteritas eius audiuit: Terra es, & in terram ibis.*

S. Isid.

Sanctus Isidorus tom. 2. lib. 1. capite 11. ita fatur: *Homo propter peccatum traditus est Diabolo, quando audiuit: Terra es, & in terram abibis.*

Petr. Diac.

Petrus Diaconus in lib. de Incarnat. & Gratiâ ad Sanctum Fulgentium, capite 6. ait: *Serpentis astutiâ deprauatus, sponte diuine legis præuaricator effectus est, & ideo secundum quod ei prædictum fuerat, in isto iudicio DEI mortis pœnâ damnatur.* Supponit, non suffecisse priorem illam comminationem, vt Adam post peccatum maneret mortis mancipium; sed per sequens DEI iudicium factam absolutè eius condemnationem. In hoc testimonio non solum allego auctoritatem Petri Diaconi; sed aliorum Catholicorum, qui in causâ Fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuere.

Cassian.

Idem confirmat Cassianus collat. 13. cap. 11. his verbis: *Verè lex peccati est, quam humano Generi præuaricatio sui induxit Auctoris per illius noxam, in quam lata est æquissimi Iudicis illa sententia: Maledicta terra.* Et cap. 14. *Ad quod nos lex peccati, id est, illa sententia non immeritò condemnauit, quam primus delictor excepit.*

Hefych.
Hierosol.

Aliquid huiusmodi insinuat Hefychius Hierosolymitanus lib. 3. in Leuitic. cap. 12. loquens de Adam, inquit: *Quomodo autem nostram polluit vitam? Inducens ei maledictionem, & transferens ad miseriam, eam quam sortiti fueramus ab initio Beatitudinem. Quod manifestum est ex his, que DEVS ad Adam dicit: Maledicta terra in operibus tuis, spinas, & tribulos germinabit tibi.*

Basil. Seleuc.

Basilii Seleuciæ Episcopus, idem supponit orat. 3. dum deterritis à suâ conscientia primis parentibus, fugientibus DEVM, dixit, *Exilio suo suffragantur: quasi diceret, iuuerunt vt per*

sententiam diuinam damnarentur, contemneres interim locum pœnitentiæ, & resipiscentiæ. Ibidem dicit, ipsum Adamum cognouisse, nondum amisisse immortalitatem, quamuis præuaricatus fuisset, dicens in persona Adami: *Profectò DEVS appellare me non dedignatur, & verbis accersit, neque violentum fulmen in me iacit suum, neque, quàm prius interminatus erat, mortem immittit.* Postea concludit, inducens DEVM dicentem: *Maledicta terra in opere tuo, deliciis tantis aperte indignus es, terra cultioni, natisque inde sudoribus esto obnoxius, & cum labore vita tua spatium emensus, sepulchrum inuenies vita succedaneum.* Hanc sententiam progenitores damnationis sua tulerunt.

Vrbanus IV. in Psal. 50. loquens de peccato Originali, ait: *Nec tamen hoc fecit propagatio, sed libido; non natura humana fecunditas; sed libidinis fœditas, quam homines habent ex illius primi iustissimâ tuâ (DEVS) condemnatione peccati.*

Ioan. Gerf.

Ioannes Gerson serm. in die Purificationis, habito in Concilio Constantiens. dixit: *Hominem nimirum sub peccato venundatum, & per inobedientiam criminis lesa Maiestatis reum & miserum euocabat, & accusabat Sapientia. Adam ubi es? Genes. 3. Et non inueniebatur excusandi, vel latendi locus, dum ait: Quis tibi nunciauit quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Hinc Iob trepidus dicebat: Si voluerit mecum in iudicio contendere, non potero respondere unum pro mille. Et Psalm. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Non onero me libenter allegationum quotationibus, ubi nihil est ambiguum, vel probandum. Porro iniustitia sic accusatum condemnabat, ita vt non esset locus appellationi, quia audisti vocem vxoris tue, & comedisti de ligno vita, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra, &c. Hoc attendens Iob dicebat: Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti. Hominem sic denique accusatum per Sapientiam, sic damnatum per iniustitiam, flagellabat, & sententiam executioni demandabat potentia; nec erat locus orationis. Eiecit quippe Adam, & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammæum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vite.*

His consentiunt alij Patres, dum statum mortis supponunt, siue, vt ita loquar, inuestitutam mortalitatis, executioni mandatam, cum statim post diuinam sententiam pellicèa indutus tunicâ Paradiso fuit expulsus Adam. Quibus assentitur Beatus Laurentius Iustinianus, lib. de Disciplinâ, & perfectione Monasticâ, capite quarto, ubi ait: *Post lapsum, & præuaricationem vetiti Adam cum omni suâ posteritate tunicâ pellicèa, & carne corruptibili, & mortali contexit, atque in hac miseriarum valle collocauit peregrinaturum, vt ex qualitate exterioris hominis discat non elatè præferre se ceteris. Secutus est Sanctum Gregorium Nazianzenum, Oratione trigesima octaua, dicentem: Mandati memoriam amecit, & ab acerbâ escâ victus est, tum verò simul, & à ligno vita,*

B. Laur. Iust.

S. Greg. Naz.

& à Paradiso, & ab ipso DEO propter peccatum expellitur, & pelliceas tunicas induit, hoc est, fortasse crassiorē carnem, & mortalem, ac venientem. Idem supponit Sanctus Basilius Homil. 9. dum dixit: *E Paradiso pulsus, extra beatam illam fuit vitam.* Postea notat contumaciam in Adamo. Nazianzeno etiam applaudit Nicetas in Comment.

S. Basilius.

Theodore-
tus.

Theodoretus testatur quæst. 39. in Genes. fuisse hanc multorum sententiam, dicens: *Nonnulli asseruerunt vestes pelliceas esse mortalitatem illam, quâ circumdati sunt Adam & Eva, morti propter peccatum addicti.* Hoc dicunt, quoniam post præuaricationem permanerunt aliquamdiu non inuitabiliter morti addicti; propterea supponit ratio ipsius Theodoretus, propter quam discedit ab horum placito, addens: *Sed isti non facile probare possunt, quomodo DEVS, & non multo magis peccatum mortalitatem pariat transgressori.* Nihilominus ipse Theodoretus non negavit post sententiam Domini morti fuisse addictos primos Parentes, cum statim in quæst. 40. interrogans: *Quid illud est, ecce Adam factus est ut unus ex nobis?* Hoc dederit responsum: *Cum Diabolus dixisset: Eritis sicut Di; cognoscetes bonum & malum, Adam vero suscepisset sententiam mortis, quâ a transgressus erat mandatum, DEVS omnium hoc ironice dixit, demonstrans promissionis diabolicæ mendacium.*

S. Anselmus.

S. Anselmus idem supponens in Comment. in Matth. cap. 27. dixit: *Diuina Pietatis Ordo exigebat, ut eodem temporis articulo, quo tunc Adæ præuaricanti ianuam Paradisi ocluserat, nunc latroni pœnitenti reseraret; & quâ horâ primus Adam peccando mortem inuexit Mundo, eadem secundus Adam Mortem destrueret moriendo.* Horâ autem, quâ CHRISTVS obiit & Adam fuit indutus veste pellicâ, eadem est.

Ericus Mo-
nachus.

Prædictis consentaneus Ericus Monachus in cap. 10. Lucæ, & Homil. 14. post Pentecosten, dixit: *In vestibus pellicis conditio presfigurata est Mortalitatatis.*

§. III.

Idem adhuc roboratur magis perspicuis Patrum, & Doctorum testimoniis.

IN eadem sententiâ sunt, quam etiam necessario supponunt, qui dixerunt, Adamum non expellendum à Paradiso nisi excusaretur; tum etiam qui asserunt expectatam à DEO aliquamdiu Pœnitentiam Adami: quoniam idcirco hæc dicunt, quod vsque ad sententiam non fuerunt addicti Morti; idcirco aliqui Patres, qui hoc dixerunt, affirmarunt pariter & illa duo; inter quos S. Augustinus, qui Serm. 19. de Sanctis, hæc habet: *Quia sine Pœnitentiâ in statum suum redire non poterat (nempe Adamus) monendus & admonendus erat ad Pœnitentiam, ut reformaret voluntaria & subiecta humilitas, quod corruerat malè creata iniquitas.* Vbi Augustinus ait, DEVM venisse in Paradisum, ut Adamus rediret ad suum statum, & ut subiecta humilitas reformaret, quod iniquitas corruerat. Equidem statum Adami fuit Iustitiæ Originalis, & iniquitas corrupit corpus, appetitum sensitium, & animam: ergo secun-

S. Augusti-
nus.

dum Augustinum, DEVS venit, & Adamum admonuit, ut per pœnitentiam statum Iustitiæ Originalis recuperaret.

Idem Augustinus in eodem Serm. 19. de Sanctis ita scribit: *Si humiliter se accusasset, nempe Adamus, & in Auctorem suum culpam non retorisset, à Paradiso non exulasset.* Quibus verbis perspicue Augustinus tradidit, Adamum, etiam post delictum, pœnam exilij à Paradiso, à se, & consequenter à posteris auertere potuisse. Vnde, cum pœnæ omnes sub eadem conditione, nempe, comestione de fructu vetito, fuerint intentatæ, si Adamus adhuc in viâ fuit ad declinandam prædictam pœnam (ut voluit Augustinus) tunc quoque in viâ præfata fuisse, & consequenter alias pœnas vitare valuisse, necesse est. Hoc idem confirmat idem S. Augustinus lib. 14. de Ciuitate Dei, cap. 14.

Secutus, ut solet, Hugo Victorinus tract. 3. Summ. sentent. cap. 6. sic interpretatur quædam eiusdem Augustini verba: *Non erat Tentator Hominem deiecturus, scilicet, in has miseras, nisi elatio in animo eius præcessisset. Non dico præcessisset suggestionem; sed post suggestionem præcessit in animo eius finem, & completionem peccati ipsius.*

Hugo Vi-
ctorinus.

S. Chrysostomus, qui tam perspicue, ut vidimus, protulit sententiam suam circa sententiam DEI, condemnantem primos Parentes, mortalitati deinde subiectos; consequenter Homil. 17. in Genes. colligit ineffabilem DEI Misericordiam, & Prouidentiam erga Naturam Humanam, ex eo quod, *Omnia fecit, & operatus est DEVS, ut rationale hoc animal à se conditum, in omni honore esset, & in nullo Angelorum vitæ deterior foret; sed & in corpore illorum possideret impassibilitatem.* Caterum, *ut vidit utrosque peccando transgressos per negligentiam ea, quæ à se præcepta erant, nec sic quidem à misericordiâ cessat; sed semper sibi similis, quemadmodum clementissimus Pater filium indignum quid nobilitate suâ per negligentiam suam commississe, & à summo honore in extremam vilitatem reductum, videns, paternis visceribus commotus, non illum consilij inopem, & auxilio destitutum finit; sed iterum suum agit officium, paulatim illum à vilitate liberatum, pristina restituens dignitati: simili modo bonus DEVS miseratus est Hominis.* Quibus verbis denotat Chrysostomus, DEVM procurasse, ut Adamus rediret ad illum primum honorem, & statum impassibilem Angelico statui æqualem, in quo fuerat creatus, ad hoc, ut omnes Iustitiæ Originali ornati conciperemur; alioqui si solum DEVS personam particularem Adami ad sanctitatem animæ per pœnitentiam reuocare voluit, ipso Adamo in statu abiecto Naturæ mortalis, & passibilis derelicto, neque misericordiam suam ineffabilem, & prouidentiam in illâ reductione erga totam Naturam humanam; sed solum erga primos Parentes ostendisset; neque exemplum allatum de Patre illo clementissimo, Chrysostomi instituto aptaretur; siquidem intendente, & procurante illo Patre filium in pristinum statum omninò restituere, DEVS Adamum non in illum pristinum statum, in quo fuerat conditus; sed in alium longè inferiorē, & abiectum mortalitatis, & miseriarum reuocare solum studisset. Ad hæc Chrysostomus expendens prædictam DEI Misericordiam, ex eo quod statim in reme-

dium Adami occurrerit, post multa subiunxit: *Mox ut vidit quod factum fuerat, & ulceris magnitudinem, ad opitulandum festinavit, ut ne ulcus grassando fieret incurabile vulnus; idcirco, ut praeueniat, accelerat, & velociter crescenti ulcери adest.*

S. Anast.
Sinaita.

Benignum quoque ac misericordem DEVM erga Adamum inducit Sanctus Anastasius Sinaita libro 11. in Hexameron, dicens: *Quando ergo audis de Domino DEO presente, & dicente Adamo: Vbi es? In bonum intellige hanc vocationem. Et post pauca: Sin autem cum irā, & excandescentiā (ut quidam existimant) DEVS accessit ad Adamum & Euam in Paradiso ad eos puniendos, & cruciandos; oportebat eum statim pergere ad serpentem, & punire Auctorem malorum.*

S. Ambros.

Similiter Sanctus Ambrosius lib. de Paradiso cap. 14. ad illa verba DEI; *Adam vbi es?* ait: *Hoc ipsum, quod vocat, iudicium sanatur est, quia Dominus quibus miseratur, & vocat. Postea proponit admonitionem DEI ad Adamum.*

Tertull.

Tertullianus libro secundo, in Marcion, capite 26. Interrogabat DEVS quasi incertus, & hinc liberi arbitry probans hominem in causā aut negationis, aut confusionis, ut daret ei locum spontē consistendi delictum, & hoc nomine releuandi. Paulō ante inducit admonentem DEVM, ut Adam resipisceret: *Oportebat conscientia peccati delitescens euocatum prodire in conspectum Domini, non solā nominis inclamatione; sed cum aliquā iam tunc admissi suggillatione: nec enim simplici modo, id est, interrogatorio sono legendum est, vbi es Adam? Sed impresso, & incluso, & imputatio Adam vbi es; id est, in perditione es, id est, iam hic non es, ut & increpandi, & dolendi exitus vox sit.*

Philip. Abb.

Philippus Abbas satis apertē docet, non fuisse contractam vetustatem consummatae mortis ab Adamo, nisi per impoenitentiam, & excusationem suam. In Libro enim de silentio Clericorum, capite 104. ait: *Hac vetustas illum primum parentem nostri Generis occupauit cum assumpto fructu prohibito, culpam contumaciter excusauit, cum ad vocem deambulantis DEI timore concussus ad latebras quidem fugit, sed in eis requisitus clamare nequiter non refugit. Deprehensus enim ab eo, cuius mandatum acceperat, ne peccaret, ne attingens lignum scientiae, fructum inobedientiae manducaret, cum deberet tanquam reus culpam lacrymis abolere, praesumpsit Creatorem clamore noxio ad iracundiam commouere. Postposito quippe serena deuotionis medicamine salutari, turbatus spiritu non timuit excusari, & non solum culpe sordes renouantis poenitentia lauacro non deterfit; sed eas defensione cumulans, vetustatis cuiusdam voragini se immerfit.*

Basil. Seleuc.

Sic etiam Basilius Seleuciensis Oratione 3. induit DEVM in Paradiso inuitantem primos parentes ad poenitentiam, dicens: *Miserus erroris DEVS ad corrigendum currebat. Et postea in Persona DEI alloquente Adamum, dicit: Adam, Adam vbi es? Vbi mihi manuum mearum opus? Vbi animata mea dignitatis Imago. Vbi mei Paradisi custos? Adam, Adam vbi es?*

Ex immenso Amore compellato lamento adsimilis. Vbi es? Vbi mutui congressus quilibet interfandi libertas? Vbi nostra consuetudinis confidentia? Vbi tua dignitatis celsitudo? Pro Amico fugitiuus? Ades coram compellente. Ostende Medico transgressionis ulcus, ostende plagam nuditatis: Medicamenta habeo vulnere potiora, habeo subsidium, quo serpentis morsum cures. Et rursus: Vt Index aduenit, ut Medicus rogat, & ad iudicium ferendum cum accessisset, ut Amicum increpuit. Haccine, inquit, beneficentiae meae refertur gratia? Haccine pro adeptis animi grati munus? Et post pauca: DEVS verò seductos ad Sapientiam ab errore volens reuocare, punit seductorem: dixit enim serpenti Dominus DEVS: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terrae.

Iisdem consentaneus Sanctus Bernardus S. Bernard. serm. 1. de Omnibus Sanctis, sic fatur: *Perdidit Homo Iustitiam, cum Eua serpentis, Adam Mulieris voci obediuit, potiusquam diuina. Erat tamen residuum aliquod, quod apprehendere possent, idque Dominus illo scrutinio innuebat; sed abiecerunt etiam illud conuersi in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.*

Illud etiam de mansionem in Paradiso, nisi excusaretur Adam, approbavit Sanctus Bernardus, lib. de Praecept. & dispensat. capite 14. ita dicens: *Arbitror tamen, & ipsam primam grauissimam praeruaricationem, aut non aliunde, aut inde mox indicatam grauissimam, hoc est, ex rebellionem defensionis, qua secuta est. Et paulō post subiungit: Antiqua illa tam nota, & tam noxia praeruaricatio, facile (ut creditur) indulgentiam consequeretur, dummodo confessio, & non defensio sequeretur. Neque enim tantum, ut dictum est, nocuit simplicis actionis transgressio, quantum adiuncta excusationis cum praemeditatione obstinatio.*

Idē S. Berns

Sanctus Prosper lib. de Promission. & Praediction. capite 2. explicans illud Genes. 2. *In quocumque die comederis; inquit sic: Praeceptum autem, fallente Diabolo contemnentem vetitum tetigerunt, quod peccatum, dum vir excusat per mulierem, mulier per serpentem, mortem praedictam, non tantum sibi, quam suis etiam posteris propinavunt; hanc enim expendit omne Genus Humanum.*

S. Prosper.

Sanctus Gregorius in Psalmum secundum Poenitentialium, scribit: *Imputare sibi Adam peccatum noluit, quando culpam in Creatorem refudit; dicens: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi. Vnde, quia se confiteri culpabilem renuit, mortifera damnationis sententiam in posteros misit.*

S. Greg.

Celebris ille, atque Doctissimus Praesul Iuo Carnotensis, in sermone. *Quare DEVS natus, & passus fuerit, haec habet: Adam, si humiliter se accusasset, & in Auctorem suum culpam non retorsisset, à Paradiso non exulasset. Ipsissima haec sunt Augustini verba, quae sibi usurpauit.*

Iuo Carnot.

Beatus Petrus Damianus consonat serm. 17. *vbi postquam explicans illud Psalm. 68. Non absorbeat me profundum, neque vigeat super me puteus os suum, innuit, minus malum esse corruere in profundum, quam postquam quis in profun-*

S. Pet. Dam.

profundum cecidit, claudere super se os putei, subiunxit: *Primus homo tunc quasi in profundum corruit, cum vetitum pomum per inobedientiam comedit, tunc super eum puteus os suum clausit, cum culpam suam defendere audacter presumpsit; ait enim: Mulier, quam dedisti mihi, &c. Cum iisdem Patribus sentit, & consentit Rupertus Commentariis in Genesim.*

S. Anton. Ex posterioribus autem Sanctis, & Doctoribus plures eandem tenent sententiam. Sanctus Antoninus tomo primo, Historiæ, capite primo, §. secundo, exponens illud Geneseos 3. *Adam ubi es?* Sic loquitur: *Idè requirebatur, ut pœniteret, & confiteretur; sed quia hoc non egerunt; sed se excusauerunt, retorquentes causam culpe in alterum, in DEVM, vel serpentem, eieci sunt à Paradiso.*

B Thom. Villanou. Beatus Thomas Villanouanus in sermone tertiz Dominicæ Quadragesimæ. *O si humiliati (inquit) fuissent, (nempe primi parentes) & confessi peccatum, proculdubio, ut ait Bernardus in Lib. de Præcept. & Dispensat. minori & leniori pœnâ multari fuissent; sed propter impœnitentiam morte cum suâ Posteritate damnantur. Ecce quantum officit Mundo nolle confiteri peccata.*

Incognitus. Incognitus in Psalmum primum ad illud, *Beatus vir, qui non abiit, hæc verba sic interpretatur: Idè primus Homo infelix fuit, quia abiit, stetit, & sedit. Et exponens quid sit sedere, super addit: Sedit, peccatum suum excusando.*

Abulens. Abulensis ad illud Capitis 3. Genes. *Mulier, quam dedisti mihi, sic exclamat: O primum cor! excusando se accusat; quod si non se excusasset, omnes nos ab accusatione, & iudicio liberasset.*

Titelman. Titelmanus, explanans versum quartum Psalmi 140. ait: *Excusauerunt se (scilicet primi parentes) propter quod non meruerunt audiri; sed in eos sententia ultionis probata est.*

Seraphius Porrecta, Dominicanus, in lib. cuius Titulus est, *Veritates aureæ super totam Legem veterem*, in capite tertio, Geneseos, ad illud. *Mulier, quam dedisti mihi*; conclusione 10. 11. 12. 14. & vigesimatertia. Et Guillelmus Pepinius, etiam Ordinis Prædicatorum, in serm. Sabbati post Dominicam 2. Quadragesimæ, expressè affirmant, si Adamus non se excusasset; sed tunc pœnituisset, non esse à nobis amittendam Iustitiam Originalem.

His Patribus & Doctoribus accedere possunt alij, qui dicunt, Adamum post transgressionem potuisse cum suâ Prole in statum pristinum Iustitiæ Originalis redire ex meritis CHRISTI: de quo videri potest Pennalosa, disputatione 6. capite tertio, & quarto, & alij Patres, qui idem dicunt de Sanctissimæ VIRGINIS meritis; nitentibus tamen in CHRISTI Passione. Planè Sanctus Irenæus id satis indicauit; cum dixit; VIRGINEM MARIAM obedientem, fuisse Aduocatam Virginis Eux præuaricantis, libro quinto, capite decimonono. *Quemadmodum Eua per Angelicum sermonem seducta est, ut effugeret DEVM, præuaricata verbum eius; ita & MARIA per Angelicum sermonem Euan-*

*gelizata est, ut portaret DEVM, obediens eius Verbo: Et sicut illa seducta est, ut effugeret DEVM; sic Hac suasa est obedire DEO, ut & VIRGINIS Eux VIRGO MARIA fieret Aduocata, & quemadmodum Morti adscriptum est Genus Humanum per Virginem, solvatur per VIRGINEM equâ lance disposita virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam: adhuc enim Protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, & serpentis prudentiâ deuicta est in Columbe simplicitate. Similiter Helychius Hierosolymitanus in serm. de Laudibus MARIÆ, ait: *Quæ Eux pudore, & Adamum comminatione liberauit. Significant hi Patres concurrisse Merita DEIPARÆ innixa in Meritis CHRISTI, & satisfactione eius infinitâ, ad concedenda aliqua auxilia Eux, & Adamo, ut possent resipiscere.**

§. IV.

Hic sensus prædictorum Patrum nititur in Sacrà Scripturâ.

Hic numerosa Patrum, & Doctorum phalangi non aduersantur alij, qui dicunt, Adamum statim post esum pomi incurrisse pœnam mortis: nam cum Patres possunt concordiam admittere, planè ad illam redigendi sunt, & vnanimiter intelligi; in hæc autem materiâ hoc accidit, nam qui dicunt, illicò post esum contractam pœnam mortis ab Adamo, intelligendi sunt euitabiliter. Alij autem, qui asserunt, non contractam nisi post sententiam DEI, & contumaciam, siue impœnitentiam Adami, loquuntur ineuitabiliter, hoc est, de mortalitate per absolutum decretum grassante in omne Genus Humanum. Unde, testimonia Patrum, quæ retulimus, non repugnant aliorum dictis.

Addit magnam auctoritatem tot Patrum testimoniis, & Doctorum Placitis, quod retulimus Sacræ Scripturæ Genesim tertio, nec enim ante sententiam Adami; sed post illam, illicò DEVS pepulit eum à Paradiso, dicens: *Ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vite, & comedat, & viuat in æternum.* Nimirum, quia antea non fuerat mortalitati addictus; sed post sententiam. Ipse quoque Adamus non agnouit Eux Matrem morientium donec profertetur sententia: tunc enim per ironiam vocauit illam Matrem viuentium; quod non fecerat antea, quia non erant futuri mortales filij eius, neque ipse DEVS ante; sed post sententiam, tanquam iam ineluctabiliter mortali Adamo per ironiam dicit: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus, iuxta notata à Theodoro.* Præterea, ipse modus aduenientis DEI, & requirentis Adamum, ostendit nondum damnasse illum ad mortem; sed voluisse uti misericordiâ: quæsiuit enim illum, & ubi erat, interrogabat, ut ex responsione conuenienter fieret admonitio, quasi diceret; Adam, nonne in Paradiso constitui te, ut ibi coram me gloriose incederes,

S. Irenæus.

incederes, & mecum familiariter versaberis? ubi iam es? Quo in loco, & quo in statu es? Familiare namque est DEO vel interrogatione, vel commemoratione tum loci, tum miseriae, & conditionis peccatorem docere, & ad penitentiam hortari, vt Ierem. 3. *Vide ubi non prostrata sis? Matth. 26. Amice ad quid venisti?* Prædicta igitur interrogatio, sicut & aduentus DEI ad Adam, non solum est DEI vt Iudicis; sed etiam vt Patris commiserantis.

Argumentum etiam fuit magnæ Misericordiæ, quod post conclusum iudicium non illico protulit DEVS sententiam aduersus primos parentes; sed nouâ benignitate voluit expectare eorum penitentiam, moneatque illos exemplo puniti serpentis, cui propterea maledixit antequam fulminaret sententiam in Protoplastos, prout notauit Basilius Seleucienfis.

Pudor quoque, qui occupauit Adamum, Gratia etiam & Misericordia fuit erga illum, vt inde ad penitentiam assurgeret. Quod autem timoris sui causam non assignet peccato, signum est eum, necdum illius grauitatem deplorasse: alioqui propter illud magis erubescere debuerat, quàm propter corporis nuditatem: Illa autem comminatio anterior, in quacumque die comederis, morte morieris; satis explicatur exemplo Curia Ecclesiastica, nam cum aliquid prohibetur sub pœnâ excommunicationis, non intelligitur contracta excommunicatio statim post violatum præceptum; sed postquam lata est sententia in transgressorem. Quando enim legislatores aliquod crimen sub pœnâ per verbum de futuro explicatâ, vetant, illi eam ante sententiam incurri nolunt; vt ex communi sensu Theologorum, & Iurisperitorum, supponunt, & probant Sanchez libro 2. Sum. capite 88. numero 38. & libro 7. de Matrim. disp. 12. numero 2. Suarius de legib. libro 3. capite 6. num. 3. Tiraquell. de Pœnis temp. num. 245. Machado libro 1. part. 3. tract. 2. docum. 1. & alij passim. Vnde, pœna mortis, seu mortalitatis, Adamo, & Posteris, per verbum *morieris* de futuro imposita, si ad regulas Iuris redigatur, ante sententiam, inuitabiliter incurri non debuit. Neque obstat, si dicas, leges diuinas non eo modo, quo humanæ intelliguntur, esse interpretandas; nam DEVS cum loquitur modo communi loquendi, quem homines inter se habent, accommodare se solet; & idcirco Interpretes sensum Scripturæ diuinæ ex phrasi communi Auctorum, etiam profanorum, eruere consueverunt. Quare, cum Legislatores humani, quando pœnam per verba de futuro imponunt, nolint eâ pœnâ reos ante sententiam actu ligare: idem DEVM velle in pœnis per verba de futuro à se impositis, asserendum est, nisi aliud ex ipsâ Scripturâ, vel euentu, aut aliunde constet. Accedit ad dicta, DEVM in Paradisum, vt Adamum iudicaret, aduenisse, & causâ iuridicè examinatâ, reos auditos condemnasse, & in eos sententiam mortis inuitabilis protulisse. Quod persuadet, primos parentes non ante præfatum iudicium; sed per illud pœnam inuitabilem mortis, & exilij à Paradiso, & status pristini incurrisse. Alioqui, si Adamus cum suâ Posteritate, immediatè post

præuaricationem, pœnas intentatas inuitabiliter incurrerat, neque Tribunal à DEO erigeretur, neque DEVS primos parentes iam condemnatos, ad eos iterum condemnandos examinaret, neque tandem contra eos sententiam mortis nouiter pronuntiaret. Etenim Doctores sententiam condemnatiuam à declaratiuâ in eo distinguere solent, quod declaratiua pœnam iam incursum supponit, at sententia condemnatoria illam imponit. Quare, cum præfata sententia, in primos parentes lata, videatur condemnatoria, eos ante illam pœnas inuitabiles de facto non incurrisse oportet. Neque satisfacies respondendo, prædictam sententiam fuisse declaratoriam pœnæ mortalitatis, iam inuitabiliter incursum; quod, vt DEVS declararet, iam erigens Tribunal, iam citans reos, iam illos examinans, iam sententiam ferens, introducit. Hoc, inquam, non obstat, nam verba Sacri Textus non solum præferunt prædictam sententiam fuisse verè & propriè condemnatoriam, vt ea legenti constabit; sed etiam Patres idipsum clarè significant. Chrysostomus enim sententiam præfatum cum sententiâ, quâ Iudex humanus reum ad mortem condemnat, expressè componit: Vnde, sicut hæc condemnatio est, illa quoque condemnatoria fuit. Idem comperies Patres sensisse, si eorum testimonia relata, iterum legeris; ubi animaduertes, DEVM, quando prædictam tulit sententiam, iam condemnasse, iam puniuisse, iam morti primos parentes adiudicasse, iam illos ad pœnam coëgisse, & alia similia fecisse, dici? quæ omnia arguunt, illam sententiam fuisse verè & propriè condemnatoriam.

Hanc fuisse legitimam iudicationem DEI, confirmat expositio Caietani ad illa verba Capituli tertij Genesios: *Vocauitque Dominus DEVS Adam, & dixit ei; Vbi es? Iuxta Hebraum habetur: Et vocauit Adam, & dixit ad eum: Vbi tu? Quamuis DEVS certissimè nosset, quod Adam peccauerat, & ubi tunc erat (absconditus scilicet, inter arbores) iudiciario tamen ordine procedere volens, tanquam iudicium habens à loco occultationis, tanquam loco accusante, citat Adam interrogando. Vbi tu? Vt ex ipso loco incipiat conuinci ad confitendum peccatum suum: Exemplum proinde dedit Iudicibus, vt quamuis certissimi forent, quod aliquis deliquerit, non procedant incitato reo. Et hinc manifestè habes, quod ista vox diuina, altera est ab illâ, quam audierant, de ambulante DEO ad auram: nam illa fuit, antequam absconderent se inter arbores; (fuit enim causa, vt absconderent se) ista autem fuit, postquam se absconderant inter medias arbores. Et ratione iam dictâ, hæc iudiciaria inquisitio attribuitur DEO sub utroque nomine.*

Eadem sententia probatur simul & mortalitatem incursum ab Adamo, immediatè post delictum, non fuisse inuitabilem, stabilitur. Nam Adamus adhuc post delictum Paradisum inhabitauit, & de ligno vitæ comedere, & consequenter ad immortalitatem vitæ animalis redire potuit: nam sacer Textus affirmat, DEVM post latam sententiam primos parentes à Paradiso statim expulisse. *Ne forte (verba DEI refero) mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ,*

Homil. 17.
in Genes.

Caiet.

vita, & comedat, & viuat in aeternum. Etenim, si primi Parentes iam præuicatores prædictum fructum, quo vita animalis illorum immortalis redderetur, manducare nequiuissent, Moles DEVM quasi timentem, aut sollicitum, ne illi præfatum fructum ederent, & sic immortales fierent, non introduxissent. Ex quo deduco, pœnam mortalitatis inuitabilem, non ante sententiam; sed post illam, aut per illam fuisse à primis Parentibus incursum, siquidem illis tunc medium satis facile, & præsentaneum aderat ad immortalitatem recuperandam, & aliunde ille, cui medium aliquod facile ad vitandam pœnam in promptu, eam inuitabiliter subiuisse non censetur.

Idem maximè confirmatur ex sententiâ Patrum (quibus non sunt præferendi pauci Scholastici) & aliorum Doctorem, qui dicunt vnicum esum de fructu Arboris vitæ ad immortalitatem vitæ animalis sufficere: nempe Augustinus libro 13. de Ciuitate DEI, capite 20. & 23. Auctor Quæstionum Veteris Testamenti, quæst. 19. Chrysostomus homil. 18. in Genes. Beda in lib. Hexamer. Sanctus Prosper libro 2. de Vitâ contemplatiua, capite 18. & clariùs Rupertus libro tertio, de Trinitate, capite 30. Toftatus suprà capite 13. Genes. quæstione 175. Becanus prima parte, capite quarta, quæstione secunda, numero tertio, quibus facer Textus valdè fauet; ait enim DEVS: *Ne fortè sumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat in aeternum.* Si enim vita animalis vnicâ comestione de prædicto fructu in aeternum non perennaret, neque DEVS, vt Adamus statim à Paradiso expelleretur, tantopere vñisset, neque dixisset: *Ne fortè comedat, & viuat in aeternum.* Sed, *ne viuat in longum tempus.* Confirmatur: quia rationes, quibus Auctores alterius opinionis mouentur ad efficacitatem prædictam Arboris vitæ minuendam; nimium probant, nempe DEVM diuinitus fructum aliquem create non posse, qui vitam animalem aeternam redderet: vnde eas Becanus facile soluit. Denique, vt prædictam nostram expositionem ampliùs roboremus, aduerto, DEVM potuisse pactum inire cum Adamo, ita vt terminus vitæ ad transmissionem peccati, non præuicatio; sed prolatio sententiæ post aliquod spatium temporis subsequuta esset. Quis hoc neget, cum id diuinam potestatem non excedat?

Hæc benè considerauit per Doctus Ambrosius Pannalosa, atque insuper affert, & perpendit alia Scripturæ loca pro eadem sententiâ; multaque, quæ contra hoc placitum excogitari possunt, plana facit, & facilia monstrat. Nos aliam viam adhuc expeditionem postea indicamus, & licet breuis, non minoris efficacitæ ad excludendam DEIPARAM à Pacto.

§. V.

Demonstrantur alia tria principia, seu fundamenta negandi DEIPARÆ debitum.

AD alia tria Principia descendamus, quæ planè manifesta sunt. Atque adeo ita sunt in promptu omnibus, vt vix vlllo alio rationum pendere ea stabilire superuacaneum videatur. Et quidem primum ex Scripturâ constat esse infallibile: patet enim, quod ante sententiam latam in Adam, dixerit DEVS Serpenti: *Inimicitias ponam inter te & Mulierem, semen tuum, & semen illius.* Quod planè extitit CHRISTVS: ergo prædestinatus fuit ante sententiam latam in Adam. Qui discursus est adeo perspicuus, vt alia non egeat probatione. Præterea, per illas inimicitias inter Serpentem, & Mulierem aliqua Gratia denotatur facta Generi Humano, cumque sit Gratia facta post peccatum Adami, absque dubio facta est Gratia CHRISTI Redemptoris: quare & ipse absolute prædestinatus iam erat; tum etiam contritio capitis serpentini in fauorem Generis Humani est, quare per Redemptoris Gratiam: ipsa quoque benignissima quæstio DEI, & compellatio: Adam *vbi es?* Misericordia Diuina fuit erga primos parentes iam lapsos, & egentes satisfactione infinita pro suo peccato, vt misericordiam consequerentur: quapropter fuit per merita CHRISTI. Ex quo patet id sequi quod initio huius sectionis proposuimus, scilicet fundamentum esse negandi debitum in DEIPARA.

Ex his etiam liquet secundum Principium, quod ante sententiam DEI latam, fuerit aliqua Gratia facta Generi Humano, & alicui indiuiduo eius per CHRISTVM: nam facta est Gratia Adamo, & equæ, & potissimum Beatæ VIRGINI, quæ est illa mulier, inter quam & serpentem inimicitia sunt posita. Vnde seruus DEI Petrus Ieremias, præficus dominicani Ordinis Doctor, in ferm. 1. de Annunt. dixit: *Ecce VIRGO, qua letificauit Patrem suum Adam, tristem de peccato suo, & fuit sibi reuelatio facta de VIRGINE in illis verbis, dictis à DEO serpenti; inimicitias ponam inter te, & mulierem.* Quod in sensu literali intelligunt de Beatæ VIRGINE, Sanctus Epiphanius tract. contra Anticomarianitas; Sanctus Cyprianus lib. 2. contra Iudæos; Sanctus Achanasius ferm. de DEIPARA, Sanctus Methodius in orat. de Purificat. Hefychius conc. 2. de Beata VIRGINE. Sanctus Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam; Sanctus Gregorius in Hymno de VIRGINE; Sanctus Leo Magnus ferm. 2. de Natiuit. Prudentius lib. 3. Carthemer, Alchimus Auitus lib. 2. in Gen. Sanctus Petrus Cluniacensis in prosa 2. Rupertus lib. 2. de victoria verbi. Marius Victor lib. 1. in Genes. Richardus à Sancto Laurentio lib. 1. cap. 6. Amadæus Lausanens. hom. 7. Serapion apud Lipomanum, Theodoretus, Beda, Hugo Victorinus; & ex posterioribus innumeri, aut ferè omnes.

Sed

S. August.
Auctor. QQ.
Ver. Test.
D. Chrysost.
V. Beda.
S. Prosper.
Rupertus.
Abulenfis.
Becanus.

Petr. Ierem.

S. Epiphani.
S. Cyrian.
D. Athanas.
D. Method.
Hefychius.
S. August.
S. Gregor.
S. Leo Magn.
Prudentius.
Theodor.
V. Beda.
Hugo Vict.
Amadæus.
Rupertus.

Sed negarunt Lauterus, Calvinus, Fursterus, alique Hæretici: statimque ostendam necessariò esse intelligendum de DEIPARA. Planè Sanctus Bernardinus omninò sentit, misericordem fuisse DEVM cum Adamo, & Euà statim ac peccarunt, propter amorem VIRGINIS futuræ, qui fuit cum complacentia meritorum eius; vnde supponit & ipsi VIRGINI Gratiã factã, tom.1. serm.61. articul.1. cap.2. *Adam, inquit, & Eva ex propriã transgressione, non solum mortis; sed & anihilationis exterminium meruerunt; sed propter præcipuam reuerentiam, & singularissimam dilectionem, quam habebat ad VIRGINEM, præseruauit: quia eam ab æterno super omnes creaturas DEO non vniendas, quæ creanda erant, superexcessiuè dilexit; propter eã præseruati sunt Protoplasti, nec ut merebantur, in nihilum sunt redacti. Ratio huius est, quia hæc benedicta puella in lumbis erat Ada, secundum seminale rationem.*

Denique, tertium Principium, quòd Gratia facta VIRGINI in Promissione illà inimicitiarum cum serpente comprehendat Gratiã habitualem, satis comprobatur: quoniam perfectæ inimicitia cum Dæmone non possunt esse nisi cum Gratiã habituali; quare, ista Gratia omninò promissa est Sanctissimæ VIRGINI: cumque hæc Promissio facta fuerit ante sententiam Domini in Adamum, per quam priuati fuerunt Posterii Adami eadem Gratiã; sequitur manifestè, quòd Beata VIRGO manserit exclusa ab illà sententiã, & priuatione Gratiæ, & consequenter à necessitate contrahendi Originale peccatum, ac propter eã illius debito caruisse. Hoc ipsum ex eo etiam potest probari, quòd statim ac prædestinatus conceditur Christus, concedenda quoque est Gratia suæ Genitrici per eius merita destinata, & quidem prima omnium: quòd ita cogit nos sentire pietas. Ergo cum prædestinatus fuerit CHRISTVS ante sententiam in Adamum, ante illam quoque destinata fuit Gratia suæ Matri, imò eximia Sanctitas.

Rupertus.

Confirmantur dicta ex Ruperto, libro tertio, Comment. in Genes. capite decimo nono, vbi ait: *Quis namque omnium nostrum quicumque viri, & foemina commixtum genus sumus, inimicitias cum isto Dracone integras se habere gloriatur? Nonne omnes DEI potius inimici fuimus? Ergo secundum illius quidem Gratiã, nunc filij DEI, vel amici sumus, & cum illo Dracone inimicitias habemus; secundum nos ipsos autem, vel secundum primos Parentes socij, & consentanei rebellionis fuimus.* Notari oportet, non inimicitiam; sed inimicitias dici, quoniam in originariã culpã duo sunt, quæ contemplari debemus: alterum, ipsum actuale peccatum, quo & Adamus deliquerat, & in eo posterii. Alterum noxæ habitualis, quã commaculantur nepotes statim ac concipiuntur. Quoniam igitur ab utroque contagio liberi inter natos ex Adamo solus CHRISTVS, eiusque Genitrix est: idcirco de ambobus asseuerandum, inimicitias habituros, scilicet præseruandos, ne habituali dedecorentur næuo sub animationis puncto sanctitate decorati. Verùm insuper, vt nec contrahendæ noxæ debitores strictè & propriè vnquam fuerint, & IESVS quidem à Naturã; MARIA Sanctissima

per beneficium, & Gratiã. Consequenter ad dicta idem Rupertus in illud Cantic. *Pulchri sunt gressus tui in calceamentis Filia Principis*; explicat de Beata VIRGINE, quæ pretiosissimè calceata, non est passã in calcaneo morsum serpentis: morsus enim calcanei, peccatum Originale est, iuxta Sanctum Ambrosium ad Psalm. 48. *Alia est iniquitas nostra, alia calcanei nostri, in quo Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hereditatem successionis humana suo vulnere dereliquit, vt omnes suo vulnere claudicemus.* Ceterùm, quòd iste locus intelligatur de solã antipathia physica inter serpentes naturales, & mulierem, friuola & demissa interpretatio est: nec enim in seuerò illo DEI iudicio relinquendus erat infernalis serpens sine supplicio, nec recurrendum erat solùm ad naturalia in negotio tantæ spiritualis iacturæ; præter eã ridiculum esset constituere solùm antipathiam physicam cum femine mulieris, nimirum cum CHRISTO: quare omninò explodenda est hæc limitata interpretatio, & admittendæ sunt etiam inimicitia spirituales cum serpente tartareo; nimirum inimicitia per Gratiæ oppositionem. Quòd autem hæc inimicitia intelligendæ sint cum Beatissimã VIRGINE, & Filio eius per aliquam excellentissimam singularitatem Gratiæ, Patres significant, & ipsa verba scripturæ indicant, cum dicant conterendum serpentis caput. Adeoque apertè hic locus probat Immaculatam VIRGINIS CONCEPTIONEM, vt non multùm aberrarint qui dixerunt per illum solum posse definiri, nec enim frustra ante seriam, & seueram sententiam contra primos Parentes, sententia illa contra serpentem pronuntiatur, vt per illam excepta declaretur DEIPARA à noxã Protoplastorum.

Quod si dicas, hanc Gratiã promissam VIRGINI, non fuisse promissam pro primo instanti suæ animationis; sed pro alio tempore vitæ suæ, facillè responderetur: Filios Adami non solum fuisse priuatos Gratiã pro primo instanti suæ animationis, sed pro omni tempore vitæ suæ. Quare, cum promissa fuerit VIRGINI Gratia pro quocumque tempore, iam excepta mansit à comuni lege aliorum filiorum Adæ. Cum enim peccatum Originale, ex se priuet Posteròs Adami totali Gratiã pro toto tempore vitæ, & DEIPARA non fuerit priuata habendi illam aliquandiu, sequitur alienam omninò fuisse à peccato Originali, & confortio aliorum descendentium ex Adam, & non fuisse impeditam ad habendum illam quando DEVS voluisset: voluit autem à primo instanti, cum nullum esset impedimentum.

Si verò adhuc obiectet aliquis, illam Gratiã promissam in inimicitias, non pertinere solùm ad Personam VIRGINIS; sed ad Genus Humanum redemptum per CHRISTVM, & mundatum in electis, & sanctis à peccato Originali, contra est: quia nondum erat præsum absolute futurum peccatum Originale, quòd euenit post sententiam pronuntiatam in Adamum, non ante. Vnde, si post præuisum lapsum Adami, & nondum præuisam condemnationem eiusdem ad mortem, & transmissionem peccati

S. Ambros.

peccati originalis, promitteretur gratia generi humano, aut parti eiusdem implicaretur, aut impediretur contractio peccati originalis in Progeniem humanam: quare, non potest intelligi prædicta Promissio nisi de ea personâ, quæ exclusâ fuisset à pacto, & culpam originalem non esset contractura; alioqui vicissim pugnarent decreta diuina, & vnum alterum destrueret, & fallibile aliquod esset.

§. VI.

*De Beatissima Virgine, potius
quàm de Eua, Inimicitia
cum serpente sunt intel-
ligenda.*

Posset etiam aliquis dicere, illas inimicitias intelligendas de primâ muliere Euâ, postquam respiciisset per veram pœnitentiam, & in his verbis promissam esse illi gratiam reconciliationis cum Deo; quod independens est à peccato originali, siue id fuerit contractum à posteris ante sententiam; siue post illam. Verùm contra est: quia non solum inimicitia erant ponendæ inter serpentem & Mulierem; sed etiam inter semen eius. Siue enim per semen Mulieris intelliguntur omnes, aut plures posteris Eux, siue singulariter CHRISTVS, nequit persistere responsio prædicta; nam Posteris Eux non poterat promitti gratia reconciliationis: quia nondum erant præuisi absolute peccatores, quoniam hoc accidit post sententiam posterius in Adam latam, nec potuit promitti iisdem alia gratia, nam hæc promissio destrueret incurSIONEM Peccati originalis. Neque etiam potest intelligi Christus, qui nullâ gratiâ pœnitentiæ, seu reconciliationis egebat; nec decuit vt sociaretur cum Eua peccatrice in gratiâ reconciliationis, siue alterâ quâcumque is, qui naturaliter habebat infinitam Sanctitatem. Nec enim ita aptè copularentur in ratione sanctitatis is, qui per essentiam fuit sanctus, atque ea, quæ sanctitatem tam facillè amiserat; sed potius ea, quæ nunquam perdidit gratiam, nec vnquam caruit sanctitate, simulque cum Christo electa est, vt repararetur ruina humani generis; & spoliatio gratiæ, Initiumque fuit cum Christo, & per Christum Restitutionis humanæ & Regenerationis supernaturalis. Sicut enim Adam, & Euam elegit Deus, vt essent principium Nostri generis, illud tamen in perniciem dedissent: sic etiam destinavit Christum, & MARIAM, vt dedissent Principium regenerationis ad vitam. Vnde sanctus Augustinus lib. de Fide, & Symbolo, dixit: *Derestandi etiam illi sunt, qui dum nostrum Iesum-Christum, Matrem MARIAM in terris habuisse negant, cum illa dispensatio vtrumque sexum, & masculinum, & femininum honorauerit, & ad curam Dei pertinere monstrauerit, non solum quem suscepit; sed etiam illum, per quem suscepit, Virum gerendo, nascendo de Femina.*

Oportebat vt Mater Redemptoris esset etiam Adiutrix eius, reconciliatrix & mediatrix hominũ cū Deo. Vnde, S. Ephrem de Laudibus Virginis, sic
Ioann. Euseb. Op. Parth.

illam salutat: *Aue mundi Mediatrix gloriosissima; Aue mundi salus; Aue Vniuersi Terrarũ orbis Conciliatrix.* Similia in Arnaldo Carnotensi, tractatu in illa verba, *Mulier ecce Filius tuus,* Leges quemadmodum in Anselmo de excellentia Virginis, cap. 9. & 11. de quo in parte primâ latè egimus. Sicut enim Adamo ad principium generis humani data est in adiutoriũ Eux; sic etiam Christo, vt præstaret principium regenerationis, data est Adiutrix MARIAM: tum etiam sicut Adam obsecundans voluntati Eux, perdidit humanum genus; sic Christus condescendens precibus MARIÆ reparauit. Vnde, Sanctus Bernardus, sermone de verbis Apocalypsis, ait: *Iam vniue neque ipsa mulier Benedicta inter mulieres videbitur otiosa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione, opus enim est mediatore ad mediatorem istum, nec aliter nobis utilior quàm MARIAM.* Idonea autem copulatio Eux est cum Adam, non cum Christo, & apta combinatio est Christi cum MARIAM, non cum Euâ; nec Sancti Patres aliter copulant Euam nisi cum Adam, nec Adam, nec Christum nisi cum MARIAM, nisi quod per antithesim opponunt Christum Adamo, & MARIAM Eux: atque vt alios Patres prætermittam, solum afferam S. Irenæum, qui lib. 3. contra Hæreses cap. 33. duas coniugationes faciens, Adami & Eux vnã, quam primam vocat; Christi & MARIÆ alteram, quam secundam appellat, docentique per hanc secundam illi primæ salutem comparatam esse, ait: *Ita euenit, primam quidem compaginem à secunda coniugatione solui, secundam verò coniugationem primæ solutionis habere locum, & nouissimos futuros, & nouissimos primos. Propter hoc Dominus dicebat, primos quidem propheta autem hoc idem significat. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Propterea etiam & D. Lucas initium generationis à Domino inchoans, in Adam reuoluit, significans, quia non illi hunc; sed hic illos in Euangeliũ vita regenerauit. Sic etiam & Eux inobediencia nodus solutionem accepit per obedientiam MARIÆ; quod exim alligauit Virgo Eua per incredulitatem, hoc VIRGO MARIAM soluit per Fidem.* Quod in hoc Patre notandum occurrit, est, secundam illi coniugationem CHRISTI Domini, & MARIÆ Parentis sanctitatis primæ locum obtinuisse. Videamus quâ in re. Certè non quod superauerint gratiâ secundus Adam, & secunda Eua duos illos Primos, hæc enim ratione idem asserere de Apostolis Irenæus potuit, qui sanctitate, ac gloriâ eos non parum vincunt; sed quod vnâ cum insigni animorum institutâ nulli ambo subiacerint sceleri, nulli debito, vt nulli subiecti formati sunt illi, cum non minùs origineâ innocentia, & puritas ipsis fuerit data quàm infusa protoplasto, & coniugi olim fuerit. Hoc reuera est, *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, & Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*

Prima sanctitatis classis est, nec peccatum, nec huius debitum pati, sed præstantissimâ ornari iustitiâ. secunda, pati, mundari, & non committere. Tertia pati, committere, & post abstergi. Non quod à sanctitate crimen pati, multò minus committere illud proueniat. Sed quod inter sanctos reperiantur, qui passi tantum hoc fuerint, à quo mundati sancti effecti sint, vt decedentes paruuli cum Baptismo, quemad-

T c modum

Plal. 44.
ver. 18.
Lucæ 15.
ver. 30.

modum & qui post crimen propriâ voluntate commillum in DEI amicitiam per Gratiâ traducantur prima ex istis classibus primis hominibus principio contigit; à quâ ruentes miserè in tertiam redacti sunt, cum post violatam diuinam legem Pœnitentiæ virtute ad sanctitatem, vnde exciderant. Christus verò & MARIÀ nouissimi quidem Homines, cum nec peccauerint vnquam, nec peccatum perpessi, aut debitum sint, ingenti Gratiâ præditi ad primam euecti classem primorum locum mortalium occuparunt. Sed cur nouissimi nuncupantur? Quod omnium humillimi, omnium postremi à cœteris, carnis oculis reputati; despecti à mundo fuerint. Ex his satis colligitur, in dictis inimicitis, non promissam Gratiâ Eux, sed MARIÆ, iuxta S. Irenæum, & immunitatem peccati originalis per Christum, & cum Christo.

Præterea per *semen eius*, non aptè intelligitur semen Eux: nam filij non dicuntur semen, seu de femine Matris: sed Patris: atque in Scripturâ hic est modus loquendi, diciturque Christus semen Abrahæ, non Saræ, & de semine Dauid, non Bersabæ: solum autem Virgini MARIÆ potest competere dici Christus semen eius; quia cum conceperit Virgo caruit semine virili. Vnde, cum vocatur Christus semen, potuit dici semen matris, quoniam caruit patre humano, & in se immediate femine virili. Ideò dixit Lucas Brugensis in commentariis ad Lucam, capite. 1. *Beauissima Virgo plus quàm cœtera mères præstitit Filio suo: cœtera enim cum maribus in partem generationis contribuunt, ita, ut principalior pars corporis cuiusque generati, & vis actiua viri semini attribuatur. At verò in Incarnatione Filij Dei, spiritus sanctus ex propria & unica Virginis corporali substantia totum corpus Christi vno momento Anima rationali præditum formauit.* Aptissime etiam obseruauit Sanct. Epiphanius lib. 3. aduersus Hæreses: *Nusquam autem reperitur Semen solius Mulieris, nisi in MARIÀ; proinde non potest totum in Eua impleri. Quia quæ à serpente conculcata, & decepta erat, eius caput conterere, & Mater Gratiæ, & Benedictionis esse non poterat.* Sic Rupertus de Gloria, & Honore Filij Hominis libro 2. capite 2. *Certissime hic illius semen mulieris promittitur, quod est Christus, per quod sexus idem, qui deceptus est, deceptionis caput omne contriuit, quando ad destructionem peccati Beata Virgo sine peccato nouum hunc & cœlestem Hominem mundo edidit.* Ita & Amædeus Lausanensis, Homil. 9. de Laudib. Virg. scitè docet: *Eua infecta est veneno lethali, quod transfudit ad posteros MARIÀ infusa est vitali antidoto, quod fidelis transfudit ad vniuersos. Corruit illa malè credula serpenti, surrexit ista, & iuxta verbum, quod dixerat Deus in Genesi, contriuit caput serpentis.* Præterea, in hoc loco significatur quædam Mulier, quæ Virgo paritura erat; vnde non potest intelligi de aliâ, nisi de Sanctissima Deipara diabolo enim (vt ait Cardinalis Toletus in caput 1. Luc. annot. 111.) *comminatus Dominus dixit: inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum, & semen illius. Proferant Iudai causam, cur dictum est, semen mulieris, si enim de viro conceptus est Christus, potius viri semen, quàm femina di-*

cedus esset; si igitur semen mulieris dictum est, futura ergo erat mulier, quæ sine viro conciperet. Hanc nos dicimus Beatam Virginem Christi Matrem. Vnde meritò Cyprianus hoc testimonio vsus est libro. 2. contra Iudæos, caput 8. ad hanc Virginitatem confirmandam. Sic etiam Helias Schedius syntagmati de Diis Germanis, capite 13. ait de Iside, hoc est, Virgine: *Huius cultum institutum esse arbitror ex certa persuasione, quam perceperant, ex VIRGINE nasciturum Humani Generis redemptorem. Namque patres primi salutarem illam promissionem de Messia nascituro acceperant ex primo Dei promisso, Gen. 3. Hinc Druidæ statim in intimis penetralibus erexerunt, Isidi seu Virgini hanc dedicantes, ex qua Filius ille proditurus erat.*

Inde etiam potest dici Christus semen MARIÆ, quatenus semen immediatum, ex quo concepta fuit Virgo, solum, interuenit medietate ad Conceptionem Christi formati ex carne MARIÆ; quod sic explicat doctissimus Ioannes Bacho in 4. dist. 2. quæstion. 4. art. 1. *Ioannes Bacho. Quod dicitur, factus est ex semine Dauid, & quod dicitur prædestinatus secundum spiritum sanctificationis, non verificantur, nisi intelligendo hoc de semine, de quo mater Christi concipiebatur, quia CHRISTVS non fuit ex alio semine carnali: ergo Conceptio MARIÆ, ut ipsa erat prædestinata mater Dei futura, fuit Sancta. Et quod verba Apostoli intelligantur de Conceptione Matris, hoc satis declaratur per Glossam S. Item; si non intercessit semen Hominis in Conceptione Virginis, rectè tamen Christus dicitur factus ex semine, quia ea in carne, scilicet Matris, Christus formatus est, quam constat esse ex semine.*

Nec opportunè hic introducitur in hac promissione benedictio Eux, præsertim communis cum benedictione Christi, cum iam erat conuicta, & iudicata digna maledictione, quæ statim per diuinam sententiam denunciata est illi: æquè imò potius etiam benedicendus erat Adam, caput Generis Humani, & non dedit primum principium, siue occasionem nostræ ruinæ, quæ cepit per Euan. Neque Adam minorem Pœnitentiam egit, quàm illa. Item, si consideremus ea, in quibus maledicta fuit Eua, iisdemque libera fuerit MARIÀ, quæ sine corruptione concepit, sine dolore peperit, sine grauamine grauida, sine ærumnis puerpera, & sine multiplicatione conceptuum, mater omnium est regeneratorum; inuenimus illam ab Eux maledictione prorsus exclusam fuisse per illam Benedictionem antecedentem, nec eam pertinere ad Euan, & per consequens exclusam fuit à maledictione Adami; vt notauit Gerfon tom. 2. sermone de Conceptione: *MARIÀ fuit exempta à maledictione Eux, cui dictum est, in dolore paries filios: ergo etiam exempta à maledictione Adæ, cui dictum est: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Ex quo probat Sanctus Augustinus, quod non decuit MARIÀ incinerari secundum carnem; ergo exempta fuit à maledictione Viriisque; quia minus decuit secundum mentem deformari & maculari. Sicut enim prædictio malorum, fuit maledictio*

Ioannes Bacho.

Gerfon.

S. Augustinus.

in

in Euâ, & Adam: sic & promissio illa bonorum per inimicitias cum serpente, & contritione capitis eiusdem, est benedictio Dei, per quam benedicta fuit **MARIA** in mulieribus, & benedictus fructus ventris sui; quam benedictionem respexerunt Sanctus Gabriel, & Sancta Elisabetha, atque vniuersa Ecclesia in Oratione Salutationis Angelicæ. Quod autem in diuinis promissionibus contineatur diuina benedictio, & in benedictione **CHRISTI**, & Matris suæ comprehendatur carentia peccati etiam Originalis, satis significauit Sanctus Thomas in capite 3. Epistol. ad Galatas, lect. 6. vbi ait: *Promissiones sunt quasi testamentum Dei, quia sunt quedam ordinatio de hereditate danda Abrama, & semini suo. Veritatem autem testamenti aperit eodem spiritu, quo testamentum ceditum est. Et hoc patet ex verbis testamenti, non dicit in seminibus, quasi in multis, id est, sicut faceret, si de multis illud valeret; sed in vno, quod est **CHRISTVS**, quia ipse solus est per quem, & in quo omnes poterunt benedici: nam ipse solus & singularis est, qui non subiacet culpæ maledictioni, nisi maledictio nobis dignatus sit fieri. Vnde dicitur in Psalm. singulariter sum ego &c. Item, non est qui faciat bonum, &c. Ecclesi. 7. Virum de mille vnum reperi, scilicet **CHRISTVM**, qui esset sine omni peccato, mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omni immunis esset, ad minus originali, vel veniali; excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo **MARIA**. Hæc ipsa sunt verba Sancti Thomæ in impressionibus antiquis, quæ egomet vidi, & legi, & apud me habeo editionem Parisiensem anni 1541. in quâ omnino reperitur. Ad hoc etiam alludunt Sancti Patres, cum Euam dicunt maledictam, & **MARIAM** benedictam eodem respicit Sanctus Augustinus Sermon. 1. de Annuntiatione, dum scribit: *Maledictio Eua in benedictionem mutatur **MARIÆ**. Hieronymus verò Sermon. de Assumpt. ait: Quidquid maledictionis infusum est per Euam, totum abstulit benedictio **MARIÆ**. Petrus quoque Damianus, Sermon. de Natiuit. Virginis: **MARIÆ** Benedictionis noua fluendum, totum deterisit maledictionis antiqua contagium. Et sanctus Fulgentius de Laudibus **MARIÆ**: *Maledicta enim Eua fuerat, quam nunc credimus per **MARIAM** ad benedictionis gloriam remeasse. Plura sanctus Ildephonus serm. 1. de Assumptione. Hec est illa (dicens) per quam omnis maledictio soluta est primorum Parentum, & cælestis benedictio in toto venit mundo. Subdit: Quia in nullo horum contaminata reliquarum exemplo fuit, quæ neque Adam ad se admisit. Nota hæc. Admisisset enim, si peccasset in illo; imò, si debitum in se contraxisset, quin etiam admisisset (licet minus) si peccandihabuisset in eo debitum.***

Adiicio ad dicta, quòd licet abstrahendo à conditione gratiæ, siue fuisset reconciliationis, siue non, & sanctitate siue finitâ, siue infinitâ, posset promitti in abstracto sanctitas Eua, & semini eius: quia nec ad Euam in suâ personâ, nec ad **CHRISTVM** attinebat peccatum originale; verum non obstarèt hoc quominus per semen eius intelligeretur etiam **MARIA** simul cum suo Filio, quoniam iam præuisa erat mater eius, ac proinde vt talis cum

Ioann. Euseb. Op. Parth.

gratia, quia cum **CHRISTO** simul intelligitur in multis eius mater, licet non exprimat. Sicut etiam sub nomine solius Adam intelligitur etiam Eua, vt notauit sanctus Anselmus de Conceptu Virginali, capite 9. inquit: *Cur sapius, & specialius peccatum, quo damnatum est humanum Genus magis impuretur Adæ, quam Eua, cum ipsa prius peccauerit, & Adam post, & per illam; dicit enim Apostolus: sed regnavit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem prauaricationis Adæ. Multa quoque alia leguntur, quæ magis Adam, quam Euam criminari videntur. Quod idè fieri existimo, quia illa duorum copula tota intelligitur in nomine principalis partis, sicut sæpè per partem totum solet significari; aut quoniam Adam cum costa sua, quamuis in mulierem edificata, dici poterat Adam sicut legitur: quia Deus masculum, & feminam fecit eos, & benedixit eis. Et vocauit nomen eorum Adam in die, quo creati sunt Eodem modo Hincmarus in Epist. Synodali Conc. Tullensis, dixit: Primus homo, quia & Eua ipsa est Adam, conditus, vt dominaretur creature, &c. Similiter Rupertus Tuitiensis lib. 2. in Genesim cap. 21. Quia uterque, scilicet, masculus, & femina prauaricator, & uterque Adam, id est, homo est, rectè is, qui nascitur, & moritur, in Adam mori dicitur: quia videlicet, hereditate vite, quam parens uterque iuste perdidit filius iuste priuatur. Sic etiam caro Virginis, sub nomine carni Christi comprehenditur. Vnde Gerfon serm. de Conceptione, qui extat tomo 2. concludit: **CHRISTI** caro Virginis, vt ibi assumit Augustinus in sermone Assumptionis, sed caro Christi non fuit obnoxia peccato, vt in se, formaliter, ergo, nec caro Virginis fuit obnoxia peccato, vt in se vel in sui persicitate. Similiter Tertullianus, eandem supponens carnem **CHRISTI**, & **MARIÆ**, siue potiùs vnam, vtrique denegauit debitum, dicens de præuaricantibus Protoplastis libro 2. metricorum aduersus Marcionem:*

*Arguit hos lignam nudos, mors atra
coegit
Ex eadem massâ simili ratione re-
fecta;
Iam renouata redit flos carnis, & hospi-
ta pacis
Virgine desponsa caro, non ex semine
nato
Artifici coniuncta suo, sine debito
mortis,
Angelus hæc mandata Patris per syde-
ra defert
Lucida in Angelicâ credantur nuncia
famâ
Virginis vt Virgo; carnis caro debita
soluat.
Talibus ingressus sequitur vestigia
mortis.*

§. VII.

Eiusdem materia Appendix.

Magna quoque illa gloria conterendi capitis serpentini, maior est, quam congruat Eux, quapropter de Dei Matre intelligenda est. Nec obstat, quod in illis verbis *Ipsa conteret*, multa sit varietas codicum: aliqui enim habent *ipse*, alij *ipsum*; latini ferè omnes *ipsa*, quoniam hanc lectionem Ecclesia Romana semper fuit secuta. Et omnia penè exemplaria Latina ita legunt cum S. Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Gregorio, Beda, Alcuino, Bernardo, Eucherio, Rabano, Fulberto, Richardo, Hugone de S. Vict. Ruperto, Mario Victore, & aliis, & apparet ita olim in septuaginta lectum fuisse, cum illi antiqui Patres non fuissent vsi alià versione. Vocabulum Hebræum sine punctis scriptum (quomodo Hebræi primitus fuerunt scripti & adhuc temporibus nostri interpretis legebatur) tam vsitate est fœmininum, quam masculinum; vt probat Leonardus Marius. Neque huic lectioni obstat, quod verbum *conteret*, dicatur esse masculinum: nam illud etiam ponunt pro fœminino, præsertim vbi significatur aliquis actus fœminæ masculus, seu heroicus, sicuti hic. Nec refert quod aliqui nimis inhæreant ad vocem *αὐτός* quam Sept. Scripserunt. Solemne enim est Græcis iungere adiectiua masculina cum substantiuis fœmininis; cur negabimus hîc factum in pronomine ab Sept. Adde quod non est in Græco substantiuum masculinum huic pronomini respondens genere, sed aut fœmininum *γυνή* aut neutrum *σπίσμα*: neutris autem masculinum adiungere Græcos non inuenies. Quid ergo dubitandum, quod ab aliis sæpè numero fieri non ignoramus, factum à Septuag. vt fœminino illud iunxerint? Quod si velis, vt Septuag. vel non spectauerint *σπίσμα* quod scripserunt, sed *σπίρον* eiusdem cum illo significationis, quod non scripserunt, vt vocem Hæbream masculinam, aut Christum femine mulieris significatum: vtrumque difficile est dicere. Quare potius quod facile, & Græcis familiare est non vis cum scripserunt *αὐτός* cogitasse vocem fœmininam *γυνή* quæ est in oratione? At enim inquit Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, & alij ex Septuag. referentes legerunt. *Ipsa*? Respondeo omninò, ita legerunt, sed non constanter. Nam Ambrosius, & Augustinus in superioribus citati habent ipsa. Hieron. Ps. 9. sic loquitur: *Tu conteres caput illius, & illa calcaneum tuum obseruabit: mulier Ecclesia, serpens Diabolus.* Pseudohier t. 9. cap. 7. ad amicum ægrotum. *Ipsa calcabit caput tuum.* Prudentius in Cathem. Sym. 3. *Mulier colla trilingua calce terat.* prout annotauit. Ioannes Columbus.

Verum quidquid sit siue vno siue alio modo legamus sensus eodem redit. Nam & Christus, qui Beata MARIÆ Virginis semen est, propria virtute Diabolum vicit, & ipsa B. Virgo eundem vicit virtute sui filij. Itaque aptissime potest legi *ipse*, & *ipsa* etiam, vt innuat Spiritus sanctus non solum Christum Dominum naturali suâ virtute debellaturum originale peccatum, sed etiam virtute, & Christi gratiâ Virginem Matrem illud superaturam. Vtrumque autem sacri scripse-

runt Poëtæ. Alchimus Auitus lib. 2. in Genesim. ita cecinit.

Nam qui

*Ambos vnâ operâ vicisti subdole serpens
Olim erit, vt sexum muliebrem pronus adores
Cuius tu pauidus quanquam insidiabere calci
Conteret vna caput tandem tibi fœmina vi-*

trix,

Nascendumque etiam tali de stipite germen.

Vbi vtranque Alchimus amplexatur lectionem, quod & fecit Marius Victor libr. 1. in Genesim.

Pedibus repens, & pectore prono.

*Teque tuo mulier perimit cum semine, cuius
Callidus extremis tantum insidiabere plantis
At trepidanti etiam capiti vestigia figet.*

Etenim si Christo Domino competit contritio Colubrini cerebri, vtique ratione Redemptionis: quia Redemptor noster est. Idem quoque congruit matri eius, per ipsum tamen Christum: quoniam Corredemptrix, & Adiutrix eius fuit ad opus Redemptionis; non quidem vt Eua erga Adamum, cum noxia ei fuerit, cui data est in adiutorium; sed vtilissimum adiutorium Christi fuit, & salutare vniuerso Generi Humano: illa humanam Naturam debilitauit, hæc reparauit. Per omnia MARIÆ fuit opposita Eux. Vnde Cardinalis Hailgrin in Cant. 4. ait: *Libeat igitur attendere in hac sponsa qualiter prima sponsa sit opposita. Prima sponsa de costâ viri sui formata est; sed de carne huius sponse formatus est sponsus eius: vnde in Ecclesiastico dicitur ad Dominum: Innoua signa, & immuta mirabilia. Mirabile si quidem fuis, de costâ viri formare mulierem. Immutatio mirabilem est, quod de sola carne mulieris formatus est homo. Caterum, cum de osse viri formata est caro mulieris; signum fuit quod per mulierem humana infirmaretur natura. Facta est autem signorum innouatio, cum de carne mulieris factus est vir: per quod significatum est, quod per hanc generationem humana Natura ab infirmitate reuerteretur ad firmitatem.* Vnde rectè potest dici MARIAM contriuisse caput draconis, per integras inimicitias cum illo, & perfectam de illo victoriam, propter immunitatem à peccato Originali, ad quam satis spectat illud: *Obumbrasti super caput meum in die belli*, vt doctissimus Hispanus Abulensis Episcopus exponit, dicens: *Caput prout principium Vita est, dies autem belli est instans illud Conceptionis, in quo Demon peccati Originalis macula dominatur de anima.* Principium autem vitæ Beatæ Virginis obumbratum fuit ab instanti Conceptionis, ex vi præuisionis meritorum Christi, & nullam contraxit maculam originalem. Vnde gratias agens Deo pro tanto beneficio, potuit dicere: *obumbrasti caput meum in die belli.*

Propterea inuictus ille Imperator Carolus Quintus, studiosissimus colendæ Purissimæ Conceptionis ob memoriam huius victoriæ, & eximiam eius pietatem, vt per MARIAM obtineret ipse victoriam ab inimicis Ecclesiæ, gestabat in thoracibus suis calybeis effigiatam ante pectus iconem immaculatæ Conceptionis, vt purissima Virgo illum protegeret, victoriamque à Filio suo impetrasset: quod planè constabit cuilibet, qui velit adire Hoplotheam Regiam Matritensem, vbi seruantur Arma Caroli Quinti; quæ ipse vidi: & in omnibus, quæ iussu eius sibi fabricata sunt, habent in

Cardinal,
Hailgrin,

Abulensis
sup. Matth.
cap. 1.

Arma

thoracibus prædictam effigiem Conceptionis, quæ solùm carent ea, quæ dono missa sunt illi ab aliquibus Principibus Europæ, & sunt pauciora. Atque vt demonstratur magna huius Cæsaris pietas, illa ipsa Arma, quæ ante pectus gestant imaginem Conceptionis, vt vinceret suos hostes; a tergo etiam habent imaginem sanctæ Barbaræ, ne ipse sine Eucharistiæ Sacramento obiret in tot Bellorum discriminibus: coniungens has duas deuotiones, erga sanctissimam Eucharistiam, & erga immaculatam Conceptionem.

Quod si adhuc persistat aliquis in interpretando literaliter hoc de Euâ, fiet satis cum his, quæ aduertit Episcopus Oriolensis, quoniam non obstat, quòd illa verba verificentur de Euâ, licet antea peccauerit, quæ per pœnitentiam peccatum deleuit: quia ex hoc non sequitur, in eodem sensu esse de Virgine verificanda; imò ex hoc sequitur, quòd quia rigorosus verborum sensus de contritione per immunitatem à culpâ, non potest in Eua verificari, debet in Virgine, figurata literaliter per Euam, vt omnes docent, adimpleri. Vnde Hieronymi regula est, quòd cum non potest aliquid de Historiâ exponi, de Prophetiâ intelligatur; nam sæpè Prophetæ dum vnum loquuntur, alio se transferunt, vt scriptura, non enarratio sed Prophetia sit. Hæc sunt verba Hieronymi, Isai. 16. *Emitte Agnum &c. Quod non interpretatur de Historiâ; sed de Prophetia, omnis autem Prophetia anigmatibus innouitur, & præcisissimis sententiis, dum de alio loquitur, transit ad aliud, ne si ordinem scriptum conseruet, non sit uaticinium, sed narratio: quod adeò verum est, vt etiam si non iuxta versionem vulgati; sed iuxta aliam probatam legeretur, Ipsa contereret, deberet intelligi locus adimpletus in personâ figuratâ per Euam. Ad quod probandum sufficiat vnicum Augustini testimonium, in ilud Dauidis factum coram Achis, vbi Dauid immutato vultu, dementiam simulauit; quod factum figuram fuisse Eucharistiæ, in sensu literali docet Augustinus Præfat in Psal. 33. vbi Vulgatus legit, & collabebatur inter omnes manus eorum transtulit Augustinus, & ferebatur in manibus suis, super quæ verba, hæc habet: *Quomodo autem in Dauid inuentum sit secundum literam, non inuenimus, in Christo optimè inuenimus, ferebatur etiam Christus in manibus suis, quando commendans corpus suum, ait: Hoc est corpus meum? ferebat enim corpus suum in manibus suis, &c.* Vide, quomodo Augustinus probet, sensum literalem illorum verborum esse de Christo, quia in Dauidè impleri factum illud non potuit. Ex quo aperte colligitur, debere verificari in figurato, quæ in figurâ verificari non possunt: sic enim multa, quæ de Salomone scripta dicuntur, & de ipso vera esse non possunt, in Christo impleri docent communiter Interpretes. Ergo similiter in nostro casu verificandus est in MARIA sensus ille verborum de contritione præseruatiuâ; quia non potest in Eua verificari. Addo, notandam Theodoretæ sententiam, qui in quæstionibus in Genesim ad caput tertium, quæst. 19. dixit: *Non igitur oportet adherere nuda litera Scriptura, tanquam vera; sed thesaurum in litera latentem querere, eo quòd ipsa litera Diuina Scriptura interdum falsum dicat. Quod sane intelligendum est, si nuda litera attendatur, & non sensus latens.**

D. Hieronymus.

D. Augustinus.

§. VIII.

Confirmantur eadem, licet sententia in Adamum, quæ extat in Scriptura fuisset declaratoria, subsequens aliam condemnatoriam.

Hæc omnia, quamvis improbanda non sint, haudquaquam tamen necessaria censo ad institutum nostrum, quoniam independentè à conditione, & tempore sententiæ Domini in serpentem, & Protoplastos expressæ in Scripturâ comprehendentis in illâ immunitatem Virginis à peccato originali, & transmissionem eiusdem in cæteros Adæ posteros, consistere potest nostrum placitum, & speculatio ad id confirmandum. Fortasse enim aliquis adhuc post omnia dicta, insistet, quòd iudicatio Domini explicata in sacrâ Scripturâ, aduersus serpentem, Euam, & Adamum, non fuerit sententia condemnatoria; sed declaratoria præteritæ condemnationis; quæ condemnatio accidit statim, ac Adamus comedit de ligno vetito, nec dilata amplius fuit eius condemnatio, vt Persona publica, siue egisset pœnitentiam, siue non. Nam contra hoc est, quòd siue hæc sententia fuerit declaratoria, siue condemnatoria, eandem vim obtinebit nostra ratiocinatio, quoniam si condemnatoria sit, intentum habemus iuxta prædicta, si autem declaratoria præteritæ condemnationis, idem dicendum est, cum idem ordo obseruatus fuerit, & obseruandus erat in condemnatione priori, qui seruatus est in declaratione posteriori; alioqui diuersæ essent sententiæ, & pariter condemnationes; in hac autem declaratione sententia, siue maledictio in serpentem antecedit sententiam aduersus Adamum; ergo etiam in condemnatione, licet fuerit illicò facta. Quare, quod philosophati sumus propter antecessorem temporis, philosophandum quoque est propter prioritatem rationis. Vnde fiet, vt cum ratione prior fuerit in diuinis Decretis maledictio Serpentis, sequentia decreta, siue sententiæ in Euam, & Adamum, supponunt illam, & consequenter ad eius veritatem, & promissionem intelligendæ sunt: cum ergo, iuxta hunc ordinem promissâ fuerit Virgini Gratia, ante præuisionem, & decretum absolutum peccati originalis, quod in eo instanti non fuerat præuisum, sequitur, Deiparam non potuisse habere peccatum originale, nec debitum eius, secundum ratiocinationem superius factam.

Sed demus, sententiam aduersus serpentem, non antecessisse prioritate rationis sententias in Protoplastos; sed simul fuisse. Planè in hoc casu idem dicendum est: alioqui implicarentur, & pugnarent inter se Decreta diuina; quia vnum esset de habendâ Gratiâ, concessum Virgini MARIE, per speciale Decretum, aliud de non habendâ per generale Decretum filiorum Adæ: quare, vt componantur, necesse est, vt non includatur Deipara in Generali Decreto, cum per speciale excludatur. Ad nostrum igitur institutum sufficit, quòd non sit posterior sententia serpentis posterioritate temporis, vel rationis; & quidem nulla est ratio, cur possit dici posterior.

Quæro adhuc, an sententiæ explicatæ in Scripturâ, aduersus Adam, & Euam habeant in se aliquam vim, aut non. Si nõ habent vim, cur forum,

& strepitum illum iudiciale disposuit Deus, citatis reis & conuictis; quod non ante factum fuerat, si sententia ferenda exerimis, siue euanda sine efficacia, & tantum fuerit verbalis, & sententiæ relatio, potius quam pronuntiatio. Si autem habent illæ sententiæ aliquam vim ex se, & in se ipsis, nostra etiam ratiocinatio non parum præualebit, & quidem habuisse ex se talem vim, ut licet non essent antea condemnati Adam, & Eua, per illas omnino condemnarentur, satis probatur ex iudicatione Dei cum circumstantiis ad eum iudicis, ne inanis, seu superuacua fuisset illa iudicatio. Deinde, illud suadet exemplum aliarum sententiarum diuinarum. Et enim, cum quis mortaliter peccat, damnatur ad inferos; sed declaratio huius damnationis, & intimatio eius reo in iudicio particulari, non minorem vim habet: nam ex vi ipsius omnino damnaretur; imò, absoluta damnatio est, quia altera prima, quæ accidit, statim cum peccatum committitur, euitabilis est, & quasi conditionalis, si non recipiat: quod planè videtur accidisse in nostro casu. Unde, tota nostra argumentatio consistit. Quod si hoc non placeat exemplum, afferam aliud, quod refelli nequeat. In omnium hominum morte iudicium Dei peragitur de eorum vitâ, & prauis inuenti per sententiam diuinam condemnantur ad pœnas æternas; rursusque in finali iudicio declarabuntur hæ sententiæ per illam, *sic maledicti*, &c. Quæ sententia licet sit declaratoria antecedentium, non minorem efficaciam habet; sed per illam, si non essent condemnati, condemnarentur. Idem potest dici in nostro casu, quod licet essent condemnati per aliquam priorem Dei sententiam protoplasti, condemnarentur quidem ad mortalitatem per sententias prædictas.

Hinc iam argumentor: sententia Dei aduersus Adam, relata in scripturâ, ita condemnauit eum, & suos posteros contaminandos peccato originali, ut ex vi eius damnati ad illud manerent, & ante hanc sententiam fuit promissa gratia Deiparæ in maledictione serpentis: ergo in hac fuit Virgo exclusa, & in illa non inclusa iuxta difficultatum prædictarum. Unde, si in hac sententia Adami, quam dicunt declaratoriam, sed cum efficaciâ condemnatoriâ, non fuit comprehensa Deipara; ergo nec in priori condemnatoriâ, cum deberent hæ sententiæ conformare secum vicissim, & sic pronuntiarî prima condemnatio, ut non arctaretur ad includendam in se absolutè Deiparam.

Benè autem, si causa subesset, ita componi res possent in his condemnationibus, ut per primam fuissent omnes Filij Adæ damnati ad priuationem gratiæ; ita, ut nec excluderet Virginem, atque obindè contraxisset debitum. Deinde, per maledictionem serpentis, remissum fuisset illi debitum, promissaque gratia in Conceptione, tandem in sententiâ secundâ aduersus Adam, fuisset omnino exclusa ab illius condemnatione, iuxta præcedentem promissionem gratiæ: unde in quocumque euentu maneret Deipara libera à contrahendo de facto peccatum originale, imò etiam à debito eius, saltem à pronuntiatione maledictionis in serpentem, quamuis per primam condemnationem incurrisset in debitum. Verum, non est causa, cur primam condemnationem extendamus ad comprehendendam Matrem Dei, cum non sit causa assignandi in Deo tantam mu-

tationem in suis decretis: nam si aliqua causa posset esse, solum est, quod non essent præuisa merita Christi in prima condemnatione, per quæ excludi posset, & dici ab illo Redempta. Sed hæc causa non subsistit: nam postquam lethaliter peccauit Adam per consensum comedendi pomum, fuit prædestinatus Christus, antequam opere consummato, pomum realiter comedisset, propterea videbimus. Quare, cum eadem causa fuerit excludendæ Virginis, à pacto in primâ, & in secundâ condemnatione, in utrâque dicendum est, non comprehensam, & perstat cum suâ vi nostrum ratiocinium.

§. IX.

Illustrantur Dicta ex aliquorum dubiorum explanatione.

Nec obstabit dictis, qui obieciisset, quod ineluctabile fuerit semel inclusa Deipara in pacto ab eo excludi postquam Adam pomum gustasset: nam sicut in Adam posita fuit voluntas tuorum posterorum, concurrentium moraliter cum illo; sequitur quod statim ac peccauisset ille, omnes posteros etiam peccasse, & peccato Originali fuisse obnoxios, sicut docent aliqui Theologi, scilicet; nos peccasse in Adamo, esse perindè ac nos, ut pote diuinitus alligatos voluntati Adami, ad eius præuaticationem moraliter concurrisset. Verum hæc opinio Neothericorum est, & auctoritate Patrum non solum destituta; sed opposita; multisque modis huic objectioni potest responderi, imprimis quia plures Sancti, & Patres illam refellunt, contrarium potius docentes. Sanctus Cyrillus Alexandrinus aduersus Antropomorphitas, c. 8. ait: *Audierunt, terra es non enim omnino veluti cum ipso præceptum, quod ipsi Adæ iniunctum erat, infringentes punimur; sed quia, ut dixi, mortalis factus, execrationem in progeniem suam transmisit.* Sanctus Anselmus lib. 10. de Concept. B. Virginis, cap. 7. ait: *In Adam omnes peccauimus, quando ille peccauit; non quia tunc peccauimus ipsi; sed quia de illo futuri eramus.* Idem tradidit cap. 22. eiusdem libri: *Quod in illis non sit iustitia, quam debent habere, non fecit hoc Voluntas eorum personalis, sicut in Adam, sed egestas naturalis, quam ipsa accepit Natura ab Adam.* S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 13. ait: *Illud, quod in paruulis dicitur Originale Peccatum, cum adhuc non utantur arbitrio libertatis, non absurdè vocatur voluntarium, quia ex primâ Hominis malâ voluntate contractum factum est quodammodo hereditarium.* Idem Augustinus lib. 3. de libero Arbitrio, cap. 19. serm. 14. de verbis Apostoli inquit: *Nos non in Diabolo, licet Primus peccauerit; sed in Adam deliquisse; quia ex hoc nascimur, & in lumbis eius continebamur, quando peccauit.* Sanctus Cyprianus lib. 3. cap. 8. *Infans natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus.* Diuus Bernardus serm. de eo quod legitur in Iob, *in sex tribulationibus liberauit*, sic scribit: *Peccatum originale paruulorum neque ex corde, neque ex corpore, neque ex consensu illorum processisse.* Innocentius III. ut refertur in cap. *Maiores*, de Baptismo, §. *Verum*, hæc scribit verba: *originale Peccatum, quod sine concursu contrahitur*

trahitur, remittitur in Baptismo, etiam non consentienti.

Alio modo potest satisfieri ex patribus præfate obiectioni, dum immunem Virginem à peccato colligunt, ex eius exclusione à pacto, ita vt non comprehensa fuerit in sententiâ Adami: quod supponunt Sanctus Augustinus serm. 111. in Natali Domini; Sanctus Ildephonus lib. de parturitione Virginis; Sanctus Fulgentius, serm. de Laudibus *MARIÆ*, & alij, dum dicunt, exclusam iram primæ sententiæ in B. Virgine; latius, & clarius id collegit Iacobus Christopholanus. Itaque, nullam rationem habuerunt illius existimationis de concursu morali nostræ voluntatis cum voluntate Adam.

Aliqui Doctores cum doctissimo Cardinali Lugo, tradunt peccasse in Adamo, non esse nos ad eius peccatum verè, & liberè concurrissè; sed ita nos, quando concipimur, haberi ac si verè, & physicè in dictam culpam influxissemus. Vnde qui perinde se habet in suâ Cœceptione ac si physicè cum Adamo comedisset, ad dictum peccatum per æquivalentiam, & moraliter concurrissè censetur. Cum autem B. Virgo, eo ipso quòd ante infectionem Naturæ, à pacto fuit extracta, non se habuerit eodem modo in suâ Conceptione, ac se habuisset, si physicè ad delictum Adami concurrisset: ideirò illa, licet tempore comestionis, in pacto inclusa permaneret, in præfatum delictum moraliter non influxit. Quod magis sic declarat idem Cardinalis Lugo. Deus inclusit in pacto omnes Fœminas, quæ in Matrem Dei non essent eligendæ, non determinando, an ipse esset, peccante Adamo, aliquam ad præfatam Dignitatem assumpturus. Ex quo infert: Fœminas inclusas in pacto, non intelligi peccasse in Adamo, in signo quo ille deliquit; sed in signis subsecutis, nempe, quando post Christum prædestinatum, B. Virgo ad Dignitatem Matris Dei eleuata fuit: in illo enim posteriori, signo, ait idem Cardinalis, fœminas peccasse per æquivalentiam nempe, quia eodem modo se habent ac si physicè deliquissent. Attamen, quia B. Virgo per electionem prædictam peccatum Adami, imò Decretum mittendi Christum, subsecutam, non se habuit eodè modo, ac si physicè comedisset; ideò illam præfatus Cardinalis moralitèr ad dictum peccatum concurrissè negat. Ita, posset quis dicere, B. Virginem sicut reliquos posteros Adami, in pacto inclusam fuisse, quando Adamus fructum vetitum deglutiuit: tamen quia ipsa per sui exclusionem à Pacto, antequam tota Natura inficeretur, non se habuit eodem modo, ac si physicè concurrisset ad culpam Adami; ideò non illa; sed solum reliqui posteri primorum Parentum, statim ac Adamus, horâ, verbigratiâ, nonâ impœnitens repertus est, moralitèr ad præfatam comestionem concurrissè censetur. Vide citatum Cardinalem doctissimum de Iacarnat. disput. 7. sect. 3. & 4. vbi argumentis, quæ contra suam doctrinam, & consequenter contra præfatam solutionem obijciuntur, respondere conatur. Vnde iuxta modum, quo Cardinalis Lugo defendit concursum moralem posterorum in culpam Adami, poterit modus designatus defendendi omnimodam Puritatem Marianam componi, & vtraque opinio teneri. Mox dabimus alium satis expeditum modum philosophandi circa hanc materiam.

§. X.

Facilis modus excludenda Virginis à pacto, & debito Peccati.

ADdamus alium modum, qui ostendit B. Virginem necessariò caruisse debito, etiam si fuisset inclusa in pacto Adami, & pariter non concurrissè cum eius voluntate in illicitâ comestione vetiti fructus quia licet non videtur indecens illam immittere intra alios ob contingentiam lucrandæ gratiæ: sic etiam non esset decens, vt non excluderetur ab illo, cum instaret periculum peccati contrahendi. Potuit igitur Deus primùm includere Virginem in pacto, & ante condemnationem Filiorum Adæ Euam extrahere, ita vt cum accederet consummatio facti fœderis ab Adamo, iam non pertineret ad illud B. Virgo, & ideò immunis maneret à culpâ originali, & debito eius; quod huiusmodi explicabo. Potuit Virgo sanctissima excludi à pacto antequam frangeretur; ergo exclusa fuit, nec enim decebat, vt Mater Dei non semoueretur ab hoc periculo, si fieri posset: posset autem fieri, non solum per gratiam Dei sine meritis Christi; sed etiam per gratiam Christi ex meritis suæ Passionis; quippè electio Christi Redemptoris fuit statim ac opus habuit Redemptione Adam, sed ante consummatam transgressionem pacti, necessaria fuit Redemptio Adami statim ac commisit peccatum mortale, etiam per cogitationem, quoniam illicet ac per consensum internum peccauit mortaliter, diuina Misericordia prædestinavit illi Redemptorem, à quâ prædestinatione vsque ad opere completam transgressionem, sufficiens intercessit tempus, vt extraheretur sanctissima Virgo à pacto, & illæsa maneret. Cuius exceptionis signum est, sententia diuina lata in serpentem, in quâ excepta supponitur Deipara per inimicitias cum serpente & contritionem colubini capitis.

Necessariò videtur hoc dicendum, quoniam statim ac prædestinatus fuit Christus, destinata quoque est gratia matri suæ; quod fas, & decens, & dignum, & necessarium ita est sentire, nemoque negabit hoc: verum cum tot Theologorum sententia sit non prædestinatum Christum nisi post præuissum peccatum originale in posteros Adæ transmissum, quamuis dicant statim gratiam Virgini destinatum; non tamen propterea eam eximunt à debito peccati, quia sero accedit Prædestinatio Christi, vt ab illo eam præseruaret. In prædicto autem modo cum Prædestinatio Christi assignetur statim ac opus fuit Adamo satisfactio infiniti meriti post consensum internum mortalem, & voluntatem efficacem frangendi præceptum; sed ante transgressionem externam, & transmissionem peccati originalis: ideo datur locus excludendi Deiparam à pacto, cum ei fuerit gratia destinata statim ac eius Filius prædestinatus fuit; nam æquum non esset aliter sentire; & prædestinatus fuerit ante originalis culpæ præuisionem.

Explicabit hoc, quod aliqui Theologi notant conditionem adæquatam, ex vi pacti necessariò requisitam ad transmissionem Peccati Originalis, non fuisse solam voluntatem Primorum Pa-

entum comedendi pomum interdictum, sed eandem vt simul coniunctum cum comestione externa pomi vetiti: vnde si Adamus illud edere efficaciter determinasset, imò accepisset, & masticasset, & tamen partem illius non transmisisset ad stomachum, omnes iustitiâ originali condecorati nasceremur. Ex quo apparet, inter voluntatem efficacem Adami comedendi pomum vetitum, & esum præfati pomi, intercessisse aliquod medium tempus, in quo Adamus accepit pomum, ori admouit, momordit, & illud masticauit: si quidem præfata actiones tempus aliquod consumpsisse necesse est. Addunt præfati Doctores, in medio illo tempore interiacente inter voluntatem efficacem Adami comedendi pomum prohibitum, & deglutionem illius, extitisse peccatum Adami nobis non imputatum: siquidem adhuc non erat deglutio requisita ex vi pacti, ad hoc vt prædicta voluntas interna & peccaminosa Adami, nobis imputaretur. Secundò notant, Deum in hoc medio tempore inter præfatum voluntatem Adami, & deglutionem pomi interiacente, efficaciter decreuisse mittere Christum mortalem in Remedium generis humani, nondum maculati, sed in periculo peccandi in primo Parente constituti. Quod periculum Deus præuidens, ob merita Christi mortalis iam præcognita, B. Virginem à pacto exemit, priusquam pomum prohibitum præintelligeretur deglutitum ab Adamo. Quo factum est, vt postea primo Parente deglutiente pomum, non B. Virgo; sed reliqui posteri peccarint in Adamo, qui tempore deglutionis pomi in pacto erant inuoluti; & aliunde non B. Virgo; sed reliqui posteri tunc temporis in illo perseuerabant inclusi.

Adiicimus ad dicta (nam fortasse aliquis opponet gratis dici comestionem externam pomi fuisse ex vi pacti necessariam ad transmissionem peccati originalis) quod desiderium solum comedendi non esset sufficiens ad effectum arboris vetitæ: sicut etiam ad fructum percipiendum ex arbore vitæ non erat sufficiens desiderium comedendi de illâ; sed ipsa realis comestio necessaria fuit. Sicut enim Adam non fuisset immortalis per votum dumtaxat comedendi de arbore vitæ, nisi reuera & in actu exercito comedisset de illa: sic etiam nec mortalis fuit per consensum dumtaxat comedendi de arbore mortis nisi realiter manducauisset illius pomum. Cum enim excedat semper benignitas Dei seueritatem & rigorem, cum ad benefaciendum in largitione immortalitatis requisisset non solum affectum, sed effectum comestionis, non decebat faciliorem aditum ad mortem constituere, quam destinauit ad vitam: vnde, non satis erat consensus internus Adami ad pœnam contrahendæ mortalitatis, quamuis sufficisset ad culpam animæ.

Adnotandum quoque est periculum illud peccati, in quo post præuaricationem Adam B. Virgo versabatur, duas conditiones habuisse, quæ illud Virginis non indecens, sed planè decens reddunt. Primò, fuit ab alio, nempe Adamo causatum, & periculum proximum ab alio immisum, non sua imperfectio non est. Secundò, B. Virgo ex magna causâ illud periculum intrauit; nam eidem & aliis omnibus hominibus donum iustitiæ originalis, & gloria æterna, quæ illis prorsus indebita erat, promittebantur, si primus parens facile in conditionem adimpleret. Quæ causa intrandi pactum, aded rationabilis erat, vt imprudenter à

quocumque reiici videretur. Vnde etiam si B. Virgo tunc esset existens, illam conditionem eligere posset, & consequenter periculum, in quod post Adami præuaricationem potuerit incurrere, quid ei vlllo modo, vt nauus imputaretur. Finge, Deum produxisse ante pactum Humanitatem Christi, Diuinitate denudatam; & ei proposuisse, an vellet eâ conditione in pactum initum cum Adamo intrare, vt si præfata conditio adimpleretur, ipsa ad vnionem hypostaticam assumeretur; sin minus ea ei denegaretur; absque dubio Humanitas pactum ingredi vellet. Inde etiam si postea peccaret Adamus, & sic ipsa periculum amittendi Sanctitatem, & Diuinitatem incurreret; non ided Humanitas, si tunc à Pacto eximeretur, indigna nexu ad Verbum redderetur, quia vt intraret pactum, causa vrgens fuit, & periculum, in quo post Adami inobedientiam versaretur, non ab ipsa, sed ab alio dimanasset. Pari ratione assero præfatum periculum Dignitatem Matris Dei non dedecere; quia magna causa intrandi pactum adfuit: & insuper periculum non ex ipsa, sed ex alio dimanauit.

Addo ad dicta: quod multa pericula laudabilia, sint & gloriosissima quandoque subire, & quod plurimum videbitur, Ecclesia ipsa commendat periculum quoddam Sancti Patris nostri Ignatii, eidemque tanquam gloriosum imputat: sic enim in lect. 3. nocturni secundi in suo festo dicit; *audius aliquando dicere: si optio daretur, malle se Beatitudinis incertum viuere, & interim Deo inseruire, & proximorum salui; quam certum eiusdem gloriæ statim mori.* Nec dubitandum est de quolibet caelestium ciuium, qui securissimo illo Beatitudinis statu fruuntur, quin si voluntas Dei fuisset, quod relinquerent illum, & redirent ad statum viæ, in quo non solum potentia; sed pericula sunt peccandi, illic securitatem illam æternæ felicitatis postponerent executioni diuinæ voluntatis, licet expositi ad discrimina peccabilitatis: & quidem laude dignum hoc haberetur, & gloriosum foret subeunti illud periculum propter diuinam obedientiam; imò Sanctus Augustinus potentiam, & periculum peccandi in seruis Dei ad honorem laudis retulit his verbis lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. *Quamvis ergo aliam legem videamus in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ; non solum tamen necessitatem criminis non habet, sed habet potius honorem laudis, cuius spiritus spirituali munere adiutus, aduersus carnis concupiscentiam concupiscit.*

Præterea, debitum ex prædicto periculo imaginarium potest reputari; quatenus ex suppositione esset, & nõ subsistens, nec absolute existens; sed conditionatum dumtaxat; rerum autem conditionatarum nulla ratio habenda est. Sicut enim merita conditionata non habent laudem, neque vllum apud Deum meritum, nec apud Homines gloriam: sic etiam nec peccata conditionata demerentur, nec in opprobrium, seu improprium cbiici possunt alicui; quanto minus erit vituperabile (quod minus est) illud periculum peccati. Deinde, quia hoc periculum non erat de peccato per propriam voluntatem commissum. Conditio autem annexa illi hæc erat, si Virgo non exclusâ à pacto crearetur ex naturali propagine Adami: quoniam si non crearetur, nullum periculum habebat, imò etiam si crearetur, sicut Adam formata ex terrâ, vel sicut Fua ex costâ alicuius Hominis. Vnde, illud periculum potius est

est dicendum potentia peccandi, quæ complectitur omnes homines possibiles, si crearentur eiusmodi, imò ipsam Humanitatem Christi sub hâc conditione, si crearetur ex naturali propagine Adami, sine vnione Hypostaticâ.

Ob illam etiam rationem ille noster modus dicendi magis expeditus videbitur, quoniam prædestinationem Christi passibilis, & Redemptoris per mortem, & sanguinem suum semper supponit. Alter autem modus de expectata pœnitentia Adami vel impœnitentia eius, vti posterius eius mortem non contraherent, vel in illam incurrerent, magnam patitur difficultatem in hoc, quod non potuerit Christus infallibiliter passibilis, & mortuus præiuderi ad præstandam Gratiâ Adamo, & posteris eius, si verè pœnituisset antè sententiam Domini: tunc cum omne Genus Humanum immortalitatem haberet, quomodo solus Christus moriturus erat? Scio aliquibus non videri hoc absurdum, & ipsum argumentum militare cõtra Vazquem, Suarium, Becanum, & alios, qui sentiunt Christum ante visum originale peccatum, & consequenter pœnas comminatas, in posteris contractum, fuisse vt mortalem, imò vt mortuum præuisum; vnde aiunt, illum sua morte potuisse omnes à peccati, & consequenter aliarum pœnarum comminatarum incursione liberare: potuit ergo contingere, etiam supposito Pacto inito cum Adamo, & eius præuaricatione vt nobis immortalitas corporis, imò tot auxilia efficaciacia per mortem Christi impenderentur, vt nullus peccaret, in quo casu immortales, & quodammodo per auxilia specialissima impeccabiles essemus, & nihilominus Christus moreretur.

Vnde Ambrosius Pannalosa censet in casu dictæ hypothesi, nobis immortalibus existentibus Christum moriturum; in quo nulla indecentia; sed argumentum immensæ charitatis Patris, & Christi apparet, si quidem vt nos vitâ animali immortali, & vitâ spiritali æterna Viueremus, Christus mori voluisset. Neque hunc discursum eneruat illud, quod in argumento addebatur; scilicet, tunc Homines, vt potè Iustitiâ Originali ornatos, futuros impeccabiles, & ita nullum futurum fuisse, qui Christum occideret: tum quia Suarius lib. 5. de opere sex dierum, cap. 9. num. 3. Scotus in 2. dist. 20. Pereira lib. 4. in Genes. quæstione de procreatione Mulieris ad illud, *Non est bonum hominem esse solum*, & alij communiter tradunt, futura personalia peccata, etiam si Iustitia originalis in posteros transmissa fuisset; vnde qui tunc Christum occiderent, reperirentur; tum quia data impeccabilitate posterorum, Deo modus non defuisset ad hoc, vt Christus nullo intercedente peccato, moreretur, vt notat Becanus de Incarnat. cap. 1. quæst. 9.

Sed ex his videtur ille status labefactari imò & dispositio suavis diuinæ Prouidentia minùs exaltari. Promptius responderi posset, dum expectaretur pœnitentia Adæ, vsque ad sententiam Dei præuisam, fuisse Christum in se, sine conditione mortis, aut immortalitatis; mansurum tamen immortalem, si Adam tempestiuè pœnituisset: fat enim merita habuisset, vt sine mortis supplicio posset vniuersos redimere.

Hæc satis pro breuitate, quam in hâc speculatione curauit.

§. II.

Duo modi Redemptionis Virgineæ, non tamen à peccato.

Quare prætermitto disceptare de aliis modis tuendæ Redemptionis in Virgine conceptâ sine labe. Nam ad Redemptionem eius à peccato sufficiunt dicta: ad Redemptionem autem Virginis non à peccato sed ab aliis accidentibus ex peccato non est opus stringere eius Redemptionis gratiam. Sunt enim qui Redemptionis opus non considerant in Virgine respectu peccati (quod nec in se habuisse nec in Adamo vllatenus commississe volunt) sed ratione resuscitati, & glorificati corporis. Redemptionem namque vocant, vel ad veram Redemptionis rationem sufficere, dicunt resurrectionem, & glorificationem corporis. Huius sententiæ statuunt ducem Franciscum Turrianum, qui eam probare videtur ex Apostolo ad Rom. 8. & ipsi, inquit, *intra nos ingemiscimus adoptionem filiorum Dei expectantes, Redemptionem corporis nostri, tunc enim apparebit quod sumus Filij Dei*; & subiungit. Etsi enim adoptionem filiorum Dei iam non habemus, nondum tamen sicut ait Ioannes Epist. 1. cap. 3. apparuit quod erimus. Imò inquit & anima Virginis simul cum corpore redempta est, siquidem per Christum liberata est ab hac peregrinatione molesta, & laboriosa. Quandiu enim sumus in corpore ait Apostolus 2. cor. 5. Peregrinamur à Domino. Addunt aliqui pro confirmatione huius sententiæ illum ex Osee 13. locum. *De morte redimam eos*, atque alias huius generis ex sacra Scripturâ loquutiones.


Alij, de quibus tractat Wadingus de Redemp. Virg. p. 2. cap. 3. in eo constituunt Virginis Redemptionem, quod concupiscentiæ formes omnibus in statu naturæ lapsæ cõgenitus; vel extinctus sit in Virgine in primo suo esse, in ipso Conceptionis instanti, vt cum Scoto plurimi præter Scotitas volunt, vel ligatus fuerit, & postea omnino ablatus, vt docent D. Thomæ sectatores. Etenim cum ad rationem Redemptionis nil aliud requiri dicatur, quàm vt præcedat, vel immineat captiuitas, & subsequatur pretij solutio, per quam captiuus libertatem obtineat; nihil hic putant deesse ad rationem Redemptionis. Fomes namque hic molestus, quem Apostolus ad Rom. 7. vocat peccatum, & legem membrorum repugnantem legi mentis captiuat (vt ait idem Apostolus) hominem in lege peccati quæ est in membris; quocumque autem modo ex duobus iam relatis B. Virgo ab eâ liberata sit, nõ nisi Christi meritis, & passione præuisis, beneficiû hoc cõsequuta est.

Post hæc addit sequentia Wadingus *longe alienam à me volo quorundam censurandi facilitatem, quia ad omnes, quas non probant sententias rigidas, adiiciunt censuras, vt maiorem suo dogmati concilient auctoritatem, quò duriore oppositas opiniones affecerunt iudicio. Ego sanè iam relatas non condemno, quas plures viri docti non condemnandas probè defendunt, & quas robusta Theologia Magistri multis probatas volunt argumentis.* Hactenus ille; nec mihi lubet in his immorari; solum aduerto priorem sententiam, vt refertur, non esse doctissim viri Francisci Turriani, provt satis probat Lucas Wadingus.

Libro de Redempt. Virg. cap. 4. p. 2.



IOANNIS EVSEBII
 NIEREMBERGII,
 E SOCIETATE IESV.



PARS QVARTA.

DE IMPOSSIBILITATE DEBITI
 Realis in personâ Virginis, in omnium
 opinione concedendâ.



REVITER me expediam ab hac Tractatione, quam supra in Parte prima insinuavi, illamque partim disceptavi in Tractatu de Obiecto Festi cap. 3. §. 1. & in Epistola ad Vice-Cancellarium; quam nunc premere est opus, ut constet necessario esse eligendum aliquem ex tribus modis in hoc opusculo expositis, aut alium meliorem componendi Redemptionem Christi cum carentiâ debiti in Virgine.

Illud ramen commemorandum est, quod superius variis rationibus conati sumus probare, Matrem Dei non potuisse habere debitum peccati, ortum ex pacto Adami; quoniam ipsa non crearetur, si Adam non peccaret. Quare ad illam non attinebat pactum, sicut spectavit ad alios posteros Adami: ac proinde nec debitum ex illo Virginem attigit. Deinde, quia Mater Dei non debebat accipere gratiam ab homine inferiori in Sanctitate, nec subesse capiti, quod esset purus homo, quæ erat Regina Angelorum, & hominum: tum etiam, quia gratia Maternitatis Diuinæ, quæ continet impeccabilitatem, excedit spheram gratiæ communicandæ per Adamum peccabilem. Præterea, quoniam non aptatur debitum cum officio Cor-redemptricis, quod tribuunt Patres Deiparæ. Adici etiam potest sensus Sanctorum, iuxta Ecclesiam, & Scripturam: qui Christum, & Virginem supponunt decretos ante omnem aliam creaturam: unde constituitur consequenter munda, & Immaculata Deipara ante omne pactum Adami absolute decretum. Sententia pariter Dei aduersus

fus serpentem , per cuius inimicitias promittitur gratia B. Virgini ante condemnationem Adami, à cuius exitio supponitur exclusa : ordinem quidem diuinorum decretorum declarauit Ordo Sententiarum. Omnia hæc latius probauimus , & explicauimus in superioribus Tractatibus.

Vt veniam iam ad specialia huius , aduerto, Haud mirum esse in hac materia de debito Virginis , si paulò aliter procedam , quàm aliqui antiquiores Auctores sunt locuti ; cum ipsi etiam locuti fuerint aliter quàm antiquissimi , & circa eandem materiam successu temporis facta fuerit variatio etiam circa distinctionem debitorum , à quibus possit excludi , vel includi B. Virgo. Ægidius Lusitanus, lib. 2. de Concept. quæst. 4. fatetur Scholasticos antiquos non agnouisse distinctionem debiti proximi , & remoti , ipse tamen illam agnouit , & admittit. Deinde , circa declarationem horum debitorum discordes satis sunt Auctorum sententiæ : plures affert ipse Ægidius in art. 8. §. 1. & in art. 4. §. 1. Plurimas tamen refert Franciscus del Castillo super 3. Sentent. Scoti, disp. 1. de immunitate Virginis quæst. 6. Tum etiam Hondegem in Append. ad lect. 2. Immaculatæ Conceptionis fatentes difficile explicatu esse debitum.

Præterea , circa negationem , aut concessionem debiti in B. Virgine maxima , & diuersissima Scholasticorum censura : quippè , sententiam Catharini , negantem in Deipara debitum , non esse tutam expressè testatur Bellarminus tom. 4. & lib. 4. de amissione gratiæ , & statu peccati cap. 16. §. *que sententia* , pag. 250. Cum Bellarmino expressè consentit Ioannes Ouandus ad 3. Scoti, dist. 3. in tit. *an Virgo fuerit proprie redempta* : vbi postquam retulit opinionem Catharini , asserentem B. Virginem in Adamo non peccasse , & tamen ex Christi meritis fuisse Redemptam , pag. 128. col. 2. §. *Dico secundo* , asserit , opinionem illam absolutè esse falsam , & aliquo modo non tutam : Plures volunt illam propositionem vt hæreticam notari à Cordubensi lib. 1. quæst. 44. conclus. 5. & quidem Zumelius 2. tom. ad 1. 2. quæst. 81. art. 3. disp. vnic. conclus. 3. pag. 548. satis videtur significare eam dignam esse censurâ saltem erroris. Pro eadem censura satis expressè stat Franciscus de Pitigianis ad 3. Scoti, dist. 3. quæst. 1. art. 1. in fine : etenim postquam affirmauit B. Virginem in Adamo peccasse , & in eo aliquo modo fuisse mortuam ; ad finem §. *Verum mihi* ; satis exprimit , id sine errore negari non posse. Plura de hoc inuenientur apud Ægidium lib. 2. quæst. 4. art. 7. §. 3. Nihilominus sententia Catharini à tot Auctoribus cruentè vulnerata , celebris est iam , & communis apud doctissimos Theologos , quos , cum notissimi sint , & plures non est opus hîc referre : satis est memorare doctissimum , & religiosissimum Patrem Iacobum Granados dixisse , neminem meliùs de hac materia locutum fuisse , quàm Catharinum , sic enim prædictus Pater tom. 4. in 3. part. tract. de Concept. disp. 3. sect. 2. 2. §. 3. ait : [Inter omnes tamen quos legerim rem assertionis huius sectionis propositam optimè declarauit Ambrosius Catharinus suprâ his verbis : nos gratiam , & merita Filij eius Iesu-Christi perspicentes contra asserimus , ita , vt liberam illam (scilicèt Virginem Beatissimam) ac liberatam ab ea lege omnino constituamus. Dico liberam , quia Dominus non constituit Matrem sub illa lege. Dico liberatam , quia ne concluderetur , Fautor fuit , Prærogatiua fuit , Priuilegium fuit.] Doctissimus etiam Lezana in cap. 3. Apologetici late , & dilucide probat prædictam sententiam nullius censuræ capacem esse , vt relinquam multa , quæ plurimi auctores in eius commendationem modo dicunt.

dicunt. Adeo potest tempus immutare res, explicans minùs nota, & leuigans olim aspera. Plura enim recentiores Doctores notant, addunt, & explorant, quæ pristinis minùs erant plana, aut explanata: nec hoc debet imputari audaciæ posteriorum Theologorum, si cum reuerentia antiquorum promoueant veritates, & sensa Theologica. Et ego quidem cum magna veneratione antiquorum, & recentiorum Doctorum proponam quid ipse sentiam in hac parte, vt à Doctis corrigar, quamuis nihil noui dicam, tum si quæstionem de nomine aduertam posse misceri in hac materia de debito, cum Lazana cap. 3. 1. & alij iam id notauerint. Tum, si ex negatione contracti peccati originalis de facto, colligam etiam negationem debiti in Deipara: nam iuxta alios Doctores, etiam antiquos id asseram. Etenim Ambrosius Catharinus in 1. part. de Immaculata Conceptione ad Concilium Tridentinum, in fine discussionis Epistolæ Sancti Bernardi idem censuit; ad quod etiam allegat Sanctum Anselmum, dicens: apud illum de facto peccatum originale contrahere, qui peccandi necessitatem trahit, quod de B. Virgine non admittit. Similiter & Scotus, ex negatione peccati collegit negationem debiti, cuius testimonij verba infra asseremus. Accedunt his nonnulli antiqui, qui non agnouerunt distinctionem debitorum, quoniam concesso in Virgine debito, censuerunt concedendum quoque peccatum. Valdè ego reuereor, & suspicio non solum antiquos Scholasticos; sed & recentiores, imo & superstites adhuc Doctores, adeò, vt non inficier excitatum fuisse ad exactè explorandum & speculandum super hac materia, quòd obiter audissem doctissimum Theologum, & in omni genere eruditionis, præsertim sacræ, eruditissimum virum Abbatem sanctæ Anastasiæ, Dominum Alphonsum Vazquez, dicere controuersiam de debito Virginis pene sibi videri quæstionem de nomine. Cumque huius Doctoris ego venerer notitias sacras, & Theologicas, ansam inde accepi ad examinandam rationem eiusmodi Pronunciati: quod sanè non omnino falsum inueni.

§. I.

Quæstio de debito culpæ Originalis, æquiuocationem pati potest, quod nequit esse in Beatissima Virgine, concepta sine Peccato.

HÆc Controuersia Scholasticorum de Originalis culpæ debito in sanctissima Virgine, illustratione nonnullâ aut suorum terminorum explicatione apud aliquos videtur indigere; quæ reuera, aut magni momenti est, aut nullius: nam si quæstio sit de Reali, absoluto, & existente ante instans Conceptionis debito, magni momenti est, tanti penè ac est quæstio de ipso peccato. Si verò sit de imaginario, possibili aut condizionato debito, nullius. Quæ enim possibilia solum sunt, & essent duntaxat sub conditione, nihil referunt, nullaque illorum ratio habetur quoad laudem, aut vituperium. Nec enim sancto Michaëli potest esse

ignominiosum hoc debitum sub conditione: Si non fuisset præseruatus gratia Dei extitisset Demon sicut Lucifer; deberetque esse in aternâ Dei maledictione, & sempiterno peccato. Sic etiam nec derogat Christo istud, Si Anima Christi non esset munita unione hypostatica, & peccaret mortaliter, deberet damnari aternaliter. Hoc debitum conditionale damnationis, & æterni peccati, nihil derogat excellentiæ, & puritati sancti illius Angeli, nec infinitæ sanctitati Christi. Sic nec summæ puritati Deiparæ quidquam detrahit hæc conditionalis: Si non fuisset præseruata, contraheret peccatum originale, siue, debitum illius haberet, quod perinde videtur esse. Cum quotiescumque fuerit de facto peccatum, necesse est præcisè debitum, quod est, vt ita dicam, quasi ipsum fore peccati: & è contrâ, vbi est verum, & reale debitum infertur peccatum. Hinc est, quòd si quæstio sit de absoluto, & reali debito, duo sequantur. Vnum, quòd tanti momenti hoc sit, ac si de ipso peccato agatur. Alterum, quòd ij, qui Virginem affirmant non contraxisse Originale, nihil habent, cur vltra tractent de debito, nisi velint de nomine, potius quam de re disputationem instituire.

Quod autem semel negato in Virgine peccato originali, impossibile sit eiusdem debitum reale, &c

le, & absolutum; sic facile potest suaderi: nam obiectum debiti est ipsum peccatum per priuationem gratiæ in primo instanti Conceptionis; sed in Virgine non fuit istud obiectum: ergo nec habuit debitum. Relatiua quoque sunt debitum, & peccatum; quare, vnum non potest esse sine alio: sicut pater non potest esse sine filio. Præterea, debitum est, vel futuritio peccati, vel non sine illa: nam est fore peccatum; sed peccatum nunquam fuit: ergo nec ipsius fore, nec debitum. Tum etiam si dicas, debitum nil aliud esse, nisi quod Virgo habuisset peccatum, nisi infunderetur illi gratia in Conceptione: bene ista: sed hæc conditio non subsistit: ergo non habuit debitum reale, & existens.

Hæc planè confirmari videntur, & quidem satis validè; quia debitum peccati secundum omnes Scholasticos est necessitas contrahendi illud; sed in Deipara non fuit talis necessitas: sequitur ergo, quod illud non habuit. Quod autem in illa non fuerit hæc necessitas, de qua iterum agemus statim, colligitur euidenter ex eo quod in ipsa Virgine fuerit necessitas contraria, nimirum necessitas habendi gratiam in primo instanti; quæ necessitas fundatur in decreto diuino, quod destinavit illam concipi sine peccato. Cum hæc autem necessitate decreti diuini, non potest constare alia necessitas absoluta priuationis gratiæ, nec per consequens aliud decretum absolutum, & hæc necessitas ex decreto diuino absoluto maior est quacumque aliâ, aut emanationis, aut consequentiæ, aut cuiuscumque conditionis. Quod si nihilominus dicat aliquis, quod in prioritate naturæ post præuissum peccatum Adami, antequam decerneret Deus ex priuilegio concedere Virgini gratiam in primo instanti, præcessit debitum contrahendi peccatum; contra est: quia tale debitum nequaquam potuit necessitatem aliquam absolutam secum asserre; neque ex vi illius posset inferri priuatio gratiæ, donec accederet decretum Dei de negandâ gratiâ, alioqui debitum posteris Adami. Hoc autem decretum non poterat esse circa Personam Virginis, cum circa illam sit de facto euidenter decretum de contrario omnino disponendo in illa, nimirum, de concedendâ gratiâ; duo autem decreta contraria circa idem subiectum, si sunt decreta absoluta, non possunt coherere, quantumuis assignetur quacumque prioritas naturæ. Quare illud decretum de negandâ Virgini gratiâ, impossibile est, quod sit absolutum; si autem dicas esse conditionatum, nihil ad rem spectat, cum iam debitum ex illo consequens non possit esse reale, absolutum, & constans. Conditio autem, quæ illud decretum posset afficere, hæc est: si per aliud posterius decretum non præseruetur Deipara. Cum autem hæc conditio non subsistat, quandoquidem Virgo fuerit præseruata, euanescit omnino illud debitum, quod ex decreto conditionato potuit oriri. Præterquam quod prius illud decretum de negandâ Virgini gratiâ, aut otiosum in Deo videbitur, aut magnæ mutabilitatis, atque idè indignum diuinâ constantiâ. Ad quid enim Deus decerneret absolutè negare Virgini gratiam, & mox immediatè decernere donare illam gratiâ in primo instanti. Ad quid igitur seruiret illud prius decretum absolutum, quod fuit rei futuræ, si nunquam habuit fore, nec in prioritate temporis, nec in prioritate naturæ, cum in instanti sequenti nulla eius futuritio extiterit abrogata

Ioann. Euseb. Op. Parr.

omnino per decretum immediatè sequutum. Quod enim reale est, aliquandiù debet existere, saltem per vnum instans, aut est præsens, aut futurum, aut præteritum: hoc autem debitum non potest iam esse præsens, nec futurum; sed neque præteritum est, cum ab æterno sit à Deo decretum concedendi Virgini gratiam, cum quo ab æterno tale debitum nequit existere: ergo nec præteritum fuit: ergo nec reale, nec verum est.

Item debitum hoc non fuit in Virgine, nec fuit in decreto Dei. Vnde igitur ortum est. Dices, quod fuit in Adam; sed hoc laborat æquiuocatione: nam quod in Adam fuit, non est debitum priuandæ Virginis gratiâ, cum nulla huius sit necessitas absoluta, vt diximus, nec istam necessitatem potuit inducere absolutè in illam solum peccatum Adæ. Quod autem in Adam fuit, istud est, scilicet, quod illi sit debitum, vt nulla gratia per ipsius peccatum sit concedenda suis posteris. Sed hoc nullatenus inficit **MARIAM**, quæ præseruata à Deo fuit aduersus grande illud Protoplasti venenum per theriacam gratiæ, & abstracta ab eius virulentâ spherâ fuit. Sicut enim pestilens serpens spargens vndeque virus, plurimam in se habet virtutem nocendi, verum non propterea minuitur valetudo eius, qui validissimo antidoto protectus est, aut procul abiit remotus ab illo colubro. Sic etiam nec sordida Adami pestis imminuit puritatem **MARIÆ** præseruatione diuinâ protectæ.

Vnde sicut Adamo debetur nocere, & venenare, sic Virgini non debetur venenari: quoniam venenum in Adam fuit, non in Deipara. Ideo non nocet Basiliscus absentibus, nec munitis amuleto præseruatiuo: quia in his non est venenum sed in Basilisco. Sic in **MARIA** salus fuit, non pestis; hæc tamen in Adam extitit.

Dices, quod saltem peccati periculum fuit in Deipara, ad hoc duo respondeo: vnum, quod nequaquam fuerit in illâ periculû, cum fuerit præseruata, & munita decreto Dei, de concedendâ illi gratiâ in primo Conceptionis instanti; nec enim qui omnino, & vndique validè armatus est, periculum habet sagittulæ immisæ: neque periculum turpitudinis aliqua est, neque damnum; imò vt supra monui, aliquando est gloriosum subire periculum. Alterum responsum est, quod periculum nequaquam est debitum; quoniam debitum includit necessitatem, & obligationem: periculum autem tantum abest ab inducendâ necessitate, vt dicat potius contingentiam, & casum. Ad id hæc possunt, quæ de periculo diximus in fine tertiæ partis.

Priusquam vterius procedam, obseruo, Scotò etiam placuisse argumentationem à negatione peccati, ad negationem etiam debiti eiusdem in 3. distinct. 3. quæst. 1. §. Si autem teneatur. Vbi loquens de præseruatione Virginis à peccato originali, etiam loquitur de præseruatione à debito isto: his verbis: Si autem teneatur pars negatiua questionis ad omnes auctoritates in contrariam partem responderetur, quod quilibet filius Adæ naturaliter est debitor iustitiæ Originalis, & ex merito caret ea: & ideo omnis talis habet vnde contrahat peccatum originale: sed si alicui, in primo instanti creationis anima, detur gratia; ille licet caret iustitiâ originali, nunquam tamen est debitor eius, quia merito alterius præuenientis peccatum datur sibi gratia, &c. Ergo cum in sententiâ Scoti fuerit Beatissimæ Virgini data gratia in

V

primo

primo Conceptionis instanti; sequitur quòd in sententiâ Scoti beatissima Virgo nunquam fuerit debitor originalis iustitiæ, ita vt hoc debitum ei imputetur: quare non ait Scotus, quòd post datam gratia non est debitor iustitiæ originalis: sed ait quòd *nunquam est debitor* eius: ergo in eius sententiâ B. Virgo, non habuit in se debitum peccandi originaliter: quod omnino optimè vidit ex Scoto Salazar cap. 13. ex quo etiam idem notarunt Franciscus del Castillo super Scotum in 3. sentent. & Franciscus Hondelghem in Appendice de immaculatâ Conceptione. Nec obliuioni tradam, quod perdoctus Petrus Posnaniensis in 2. sent. Scoti, part. 2. dist. 30. q. 1. disp. 2. ait: *Quid de mente Doctoris subtilis dicendum sit (qui negatiue opinionis primus extitit Auctor) non conueniunt Scotista; aliqui enim dicunt ipsum sensisse, quòd peccauerit in Adamo. Probant ex illis verbis in 3. dist. 5. q. 1. §. Per illud patet ad rationes factas pro prima opinione. Quia Maria maximè indiguisset Christo vt Redemptore, ipsa enim contraxisset peccatum originale, ex ratione propagationis communis, nisi fuisset prauenta. Maximè ergo indiguit Redemptore praueniente peccatum, ne esset ab ipsa aliquando contrahendum, & re ipsa contraheret. Sed reuera Doctor subtilis his ultimis verbis explicat se ipsum, & declarat intentionem suam, dum non solum loquitur ne contraheret, sed nec esset ab ipsa aliquando contrahendum, ubi insinuat, quod sensit: quia B. Virgo magis indiguit Christo mediatore. Primum, ne cõprehenderetur in lege de transfundendo peccato. Deinde, ne haberet necessitatem contrahendi, seu debitum aliquando contrahendi illud, scilicet, in propria persona, aut in persona Adami. Ex his sequitur, quòd iuxta hanc opinionem, B. Virgo MARIA non dependebat vt sic ab Adam, vt à capite in genere moris; sed tantum in genere natura, & à Christo Redemptore, vt à capite in genere moris,*

Aduertendum etiam est Lezanam c. 36. Apolog. subnotasse pariter in hac materiâ de debito, misceri aliquam quæstionem de nomine, rigidumque legitimum, & absolutum debitum, quod continet obligationem, omnino tolli à Deipara, cum caruerit ipso peccato originali. Alias autem obnoxietates, siue pericula, vt fuit discrimen peccandi in Adam, ipse clarè dicit non esse debita obligationis, sed capacitatis, seu obnoxietatis, quod sic explicat, interrogans: *An hoc debitum peccandi in Adamo, quod habuit MARIA sit tale, vt ratione illius dici possit eam fuisse oblogatam ad tale peccatum perpetrandum? Respondeo: quamuis fortè sit quæstio tantum de nomine; congruentius tamen Virginis dignitati esse huiusmodi debitum, quod habuit ad peccandum in Adamo, ex eo, quod ab eo, vt à communi Patre, processerit, non appellari debitam obligationis, sed obnoxietatis, subiectionis & capacitatis; ita vt nisi à Deo præsaueretur, tale crimen admitteret. Quod sic explico, & confirmo exemplo. Nam si princeps aliquis, omnes in vna ciuitate cõmorantes tributo aliquo soluendo astringeret, vnâ sola femina illius ciuitatis excepta; reuera illa non diceretur habuisset debitum obligationis talis tributi: quia non erat obligata ad hoc, vt illud tributum sibi imponeretur, nec post ipsius impositionem adstricta manebat: nihilominus diceretur obnoxia, subiecta & capax illius: quia nisi à Principe exciperetur, ex vi vniuersalis legis, qua omnes alij vicini illius ciuitatis adstricti fuerant, ipsa quoq; adstringeretur. Sic quoque in nostro casu de Deipara sanctissima est*

philosophandum, vt scilicet non dicatur habuisse debitum obligationis, aut peccandi in Adamo, aut quod sub pacto cum illo inito clauderetur; sed dicatur fuisse obnoxia, subiecta & capax talis delicti taliter quod nisi talis particularis exemptio circa illam facta fuisset, comprehenderetur in pacto illo, sicut ceteri posteri, ac per consequens peccante Adamo, peccaret & ipsa.

§. II.

Idem explicatur, & ostenditur qualis potuerit esse inclusio vel exclusio in Pacto.

AD maiorem claritatem eorum, quæ diximus, maximè ad ostendendum, nullam induci absolutam necessitatem ex sola præuaricatione Adami contrahendi à suis posteris peccatum originale. Oportet notare, quòd in pacto Adami non se obligauit vtrique parti Deus æqualiter; non enim onerosum sibi fecit Pactum in vtroque euentu: pactum enim fuit hoc modo. Si obediens mihi fueris non comedendo fructum arboris vitæ, me obligo dare omnibus tuis posteris gratiam: si autem inobediens fueris, amittes hanc prærogatiuam, & ius ad gratiam tuorum filiorum, quam dare minimè tenebor ego. Itaque in primo membro non maneret liber Deus: sed obligatus esset ad dandam gratiam & ex hac parte onerandus. In secundo autem membro, quamuis amississet ius gratiæ Adam. Deus autem liber mansit ad concedendam illam vel negandam, neque erat opus, vt in hoc se adstringeret, & oneraret. Vnde apertè sequitur, quod fractio pacti commissa ab Adamo non inducit absolutè necessitatem peccati originalis: nam quamuis ex parte Adami clausa fuisset ianua ad gratiam; ex parte autem Dei manebat aperta, vt posset facere quod libuisset. Neque enim potest dicere necessarium, quod per vnâ viam est impeditum, & per aliam expeditum, neque enim necessitatur aliquis manere in cubiculo, quod duas habeat ianuas, & solum vnâ claudatur illi; sed altera patens, & aperta sit.

Itaque ad hoc vt contraherent homines peccatum originale, vltra præuaricationem Adami necessaria erat voluntatis diuinæ determinatio, negaturæ illis gratiam, nec vsque ad hanc determinationem fuit debitum, seu necessitas absoluta contrahendi illud: cum autem talis determinatio non fuerit circa Deiparam, sed potius contraria; idè non habuit hoc debitum, commune ceteris Adæ filiis, quos respexit hæc determinatio Diuinæ voluntatis secundum liberum beneplacitum suum, & nequaquam restrictum ad vnum, & oneratum in hoc membro.

Quod enim in homine non iudicemus consentaneum prudentiæ & rationi, si vellet se onerare in aliquo contractu, cum necesse non erat imponere sibi grauamen, & obligationem, tollendo sibi libertatem sine vllò fructu, & emolumento ex contractu, non quidem est attribuendum Deo. Quare non se adstrinxit Deus, quominus libere posset agere circa concessionem, vel negationem gratiæ in Adami posteris. Sicut enim in contractu, in quo est imposita pœna frangenti illam non obligatur creditor ad exigendam illam, sed liber manet ad id quod voluerit, siue exigere, siue non; sic etiam non se obstrinxit Deus

Deus in pacto Adami ad negandam Gratiam omnibus eius posteris, sed solutus, & expeditus mansit ad faciendum quod voluisset. Atqui ut amplius hoc explicemus peculiari exemplo, proponamus hunc contractum apud Homines. Quidam potentissimus Rex contraxit cum quodam patrefamilias, quod si obsequeretur sibi in quodam negotio magni momenti concederet illi dominatum suæ ciuitatis, sin minus se venditurum in seruos, quos voluerit ex filiis eius, vel condemnaturum vnumquemque ex iis, prout sibi placuisset, ad soluendam magnam pecuniæ summā: hic Rex non manebat obligatus ad cogendū ad seruitutem, vel solutionem pecuniæ filios huius hominis, poterat tamē aliquos seruos facere, & aliquos relinquere liberos, vel aliquos condemnare ad pœnam illam pecuniariam. Verū nulli haberent debitum absolutum illius pecuniæ soluendæ, nisi post declaratam voluntatē eius Regis de iis, à quibus exacturus erat prædictam pecuniam; quod si inter illos esset aliquis, quem non designauit ad soluendum; sed potius cumulativè illi elargitus est magnam auri vim, hic procul dubio non solum caruit exactione pecuniæ, sed etiā debito eius. Imò nec dici potest, quòd iste filius fuerit indiuidualiter, hoc est, sua persona singularis inclusa in Pacto quoad pœnam de facto, & debitum determinatum vnde nec fuit consequenter exclusus; sed libera semper extitit, & intacta, sed tantum circa illum actum, quòd locupletissimè donaretur ab illo ipso rege, qui alios suos fratres iussit soluere magnam illam multam; nec aliā opus fuit inclusione, aut exclusione à communi Pacto. Facile est hoc idem accommodare Deo, qui ad pœnam fracti contracti exigendam; determinatè, & omninò, non opus fuit se obstringere; sed ita contraxit cum Adamo, ut quos voluisset ex suis filiis priuaret gratiā.

Ex his elucebit, quomodò intelligenda sit inclusio, vel exclusio Virginis in Pacto Adami; quoniam neutrum fuit necesse fieri positivè, nisi tantum libera determinatio Dei dandi Gratiam illi in primo instanti, quam cæteris noluit concedere. Sub generalitate liberā, & indeterminatione ad singulos fuit Pactum in hac parte, quatenus fuit inclusa in illo mater Dei.

Dices: obstrinxisse se Deum ad negandam Gratiam posteris Adam præuaricatoris, cum dixerit: *In quacumque die comederis, morte morieris.* Contra hoc est, quòd hæc fuit comminatio, non determinatio diuinæ voluntatis absoluta; imò nec potuit talis esse, quia nondum erat impleta conditio comestionis: comminationes autem Dei ex pluribus Scripturæ locis constat non esse omnes determinatas, neque effectus illarum est infallibilis semper, etiam adimpletā conditione, imò idcirco Deus interminatur illos, ne habeant effectum. Quare post adimpletam conditionem comestionis fuit necessaria noua Dei voluntas, & determinatio exequendi illam comminationem in his, quæ voluerit, & quomodo sibi placuisset, neque antea peccatum originale infallibile fuit, nec debitum. Determinatio autem Dei hæc fuit: *Matri filij mei volo dare gratiam in conceptione propter merita sui Filij; cæteris autem Hominibus negabo gratiam propter demeritum Adami.* Exindè ortum est debitum peccati in reliquis hominibus, cum in B. Virgine nullum extitisset, quam prius destinavit ad Gratiam, quam cæteros Adæ filios ad priuationem eiusdem, aut saltem simul, quod sufficit.

Joann. Euseb. Op. Parth.

§. III.

Quomodò debitum proprium, & commune cæteris filiis Adæ nequaquam artigit Deiparā.

SI post hæc omnia aliquis obiiciat, posse esse debitum reale, & existens cum solo decreto conditionato, & nondum absoluto, imò & posse esse duo decreta rerum contrariarum, v. g. damnationis, & æternæ priuationis gratiæ vnum, atque alterum donandæ gratiæ, & gloriæ, quod accidit in prædestinatis, qui peccarunt: nam statim ac peccatum mortale commiserunt, debitum habuerunt damnationis, & quidem debitum reale, & existens pro tunc, postquam autem habuerunt actum contritionis, habuerunt debitum Gloriæ & Gratiae æternæ. Ad hoc respondeo: Verum hoc esse, cum diuersa obiecta, vnum post aliud successiva, dant locum his diuersis determinationibus, & cum subiectum est capax illius diuersitatis, & statuum differentiarum. Quia tamen in B. Virgine nulla est inuenta diuersitas obiectorum nec successio rerum, quæ posset variare statum, cum non fuerit prius sua anima priuata gratiā, & rursus ei donata, quia iam contraxisset peccatum originale, quod supponimus in hac disputatione minimè contractum ab eā; idè in illa euanescit ratio prædictæ obiectionis, cum non fuerit eius persona capax illorum statuum differentiarum. Valdè enim diuersa ratio est Gratiae finalis, & Gratiae originalis: quippe gratia finalis potest supponere diuersos status, & ante illam possunt præcedere multa peccata; at verò nullum peccatum potest præcedere Gratiam originalem, neque vllus status diuersus potest existere ante illam, cum ipsa sit principium status. Præterea, nunquam fuit illud debitum æternæ damnationis in prædestinato, dum peccat, cum necessitate absoluta.

Quod si dicas: quamvis in personā B. Virginis non fuerit intrinsecè fundamentum ad diuersa decreta circa priuationem, & Conceptionem gratiæ originalis; extrinsecè tamen potuerunt habere fundamentum diuersa decreta circa illius Gratiam; quod fundamentum extitit in præcepto Adami, & in Prædestinatione CHRISTI post ipsum peccatum. Quippè cum peccauit Adam, decreuit Deus omnes eius filios priuare gratiā, alioqui debitā, inter quos fuit Beatissima VIRGO; postea verò præuiso iam peccato Adami, cum prædestinauit CHRISTVM Eius Redemptorem, decreuit concedere matri eius Gratiam in primo instanti CONCEPTIONIS. Quod oportebat ita fieri, ut CHRISTVS esset redemptor suæ matris. Contra hoc multa sunt. In primis, quòd Deus non potuerit habere hanc intentionem: Decerno MARIAM priuare gratiā originali, ut obnoxia peccato originali redimatur à Filio eius; nam ex hac intentione sequeretur voluisse DEVM peccatum originale ad finem redemptionis CHRISTI, quod minimè dicendum, cum non deceat DEVM peccatum, vel debitum eius intendere directè; quare, hæc ratio, ut VIRGO redimeretur, habuit Deum Decretum de priuanda illi Gratia cum aliis filiis Adæ, nequaquam admittenda est. Deinde, non erat necessarium illud decretum, ut posset redimi à CHRISTO,

cum constet ex prædictis potuisse esse redempta sine villo debito; tum etiam non erat sufficiens ratio iuxta dicta ad constituendum in Deo tantam mutabilitatem, ut post decretum priuandi Gratia VIRGINEM in primo instanti, decreuerit illicò contrarium; nimirum non priuare illam Gratia Originali: exiguaque providentia Dei videretur, si quod de facto censuit non decuisse facere, decreuisset prius facere: Spectabat enim ad Deum sic proindere res, ut ut non decerneret faciendum, quod postea iudicauit decens non facere.

Verum etsi concedamus contrariis, quod in prædicta obiectione intendunt, nequaquam sequitur, quòd Beata VIRGO habuerit debitum commune cum cæteris filiis Adæ, quod planè euidens est non habuisse: nam cæteri filij Adæ habuerunt debitum peccati cum necessitate absolutà illius contrahendi: VIRGO autem non habuit hanc absolutam necessitatem, cum non contraxerit ipsum peccatum, prout supponimus. Vnde falluntur omninò, qui commune debitum cum aliis filiis Adæ assignant VIRGINI: hoc enim commune debitum non habuit, quod si habuisset aliquod, fuit mitius, & temperatius: nam fuisset sine necessitate absoluta. Debitum autem cæterorum filiorum Adæ est cum necessitate absolutà rigidum, & integrum omninò. Hinc potest colligi, quod neque debitum illud mitius habuerit VIRGO; nam si in Decreto priuandi Gratia omnes filios Adæ peculiarem rationem habuerit Deus de Personâ VIRGINIS, ut à communi illo decreto cum necessitate absolutà eam exciperet, cur non etiam potuit habere rationem non decernendi illi priuationem Gratia, etiam per debitum illud mitius?

Cum igitur id decretum de non priuandâ, sed potius donandâ Gratia in primo instanti, statim habuerit, etenim frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora, cur in Deo ponendum est superfluum illud decretum, non absolutum circa VIRGINEM Gratia priuandam? Vnde ortum dicitur debitum eius temperatum sine necessitate absoluta: satius erat ex primo, & vnico decreto VIRGINIS statum integrè disponere, cum nulla subsit causa ad duplex decretum vnum ex quo nasceretur exclusio ab integro, & absoluto debito peccati communi cum aliis. Adami Posteris: alterum, quo excluderetur omninò à peccato originali. Iam enim diximus causam Redemptionis non esse sufficientem, neque in hoc habere locum: quod amplius hic confirmabo. Audeo enim dicere locupletiozem, & abundantiozem esse Christi Redemptionem circa Matrem suam, si nunquam habuisset debitum, imò si habuit debitum, diminuta omninò fuit Gratia Christi circa Matrem suam, cum ultra electionem Maternitatis diuinæ esset dicendum primum beneficium in ordine Gratia collatum VIRGINI non fuisse per CHRISTVM; quod sic probo: Si prima Gratia Redemptionis CHRISTI erga Matrem suam inciperet in secundo Decreto de concedenda illi Gratia originali in primo instanti: sequeretur quòd iam esset factum Virgini aliquod beneficium, & Gratia, quòd non esset per Merita Redemptoris: illa enim mitigatio decreti singularis erga Virginem de priuatione Gratia originalis

sine necessitate absolutâ, absque dubio magna beneficium fuit, cum per illam discerneret in cæteris filiis Adæ, & non comprehenderetur in communi lege damnationis cum reliquis hominibus, qui per decretum absolutum, & infalibile cum necessitate absolutâ habent debitum peccati.

Igitur cum gratia istâ, quæ quasi dimidiata est, facta fuerit per Christum, ac proinde per gratiam Redemptionis, cur non integra gratia tunc facta fuerit de eximendâ Virgine absolute à peccato Originali, cum locus tunc fuerit gratia Redemptionis ad hoc beneficium præstandum? quòd autem tunc fuerit locus gratia Redemptionis, constat ex hoc, quod fuerit gratia Matri Dei collata, quæ non negabitur fuisse per CHRISTVM. Et quidem negari non posset, fuisse per illum, cum fuisset facta post præuisum peccatum Adami. Nam & prædestinatio CHRISTI Redemptoris non est amplius dilatanda; sed immediatè post peccatum Adami constituenda iuxta illos qui dicunt, non fuisse prædestinatum nisi post præuisum peccatum.

Ex dictis videtur satis reiectum debitum verum, reale, & existens in beata Virgine, quòd autem in Adam fuerit debitum, quantum est ex parte suæ præuaricationis, ut omnes eius posterij priuarentur gratia: hoc nequaquam est dicendum debitum Virginis iuxta dicta; sed debitum Adami, quòd præpeditum, & oclusum est respectu Deiparæ præseruata à suo Filio; verumtamen necesse est sufficere ad Redemptionem: nam possibilitas, siue periculum eius damni impedita per gratiam CHRISTI præseruatiuam suæ Matris, sufficiens modus Redemptionis est, præter multa alia, quæ in Tractatu secundo diximus.

Quod autem aliqui Auctores debitum illud Adami appellant debitum Virginis, deficiunt in locutionis modo, & non agitant quæstionem tam de re, quàm de nomine; re autem vera non habuit debitum Virgo, & nequaquam in ratione debiti coaceruanda, & æquiparanda est cum cæteris descendens ex Adamo.

§. IV.

Perinde fuit Beata Virgo immunis à debito, ac si in pacto Adami non fuisset comprehensa.

ADuerto vterius, supposito quòd Beata Virgo per gratiam CHRISTI potuit præseruari post præuaricationem Adami speciali illo beneficio, quòd diximus, per decretum absolutum concedendi illi gratiam originalem, eximens illam à debito, non minùs libera extitit à veneno Adami, quàm si ante pactum cum illo excluderetur per Deum ab ipso pacto, aut non comprehenderetur in illo: quoniam perinde est liber à veneno Basilisci ille, qui intra suam spheram adest præmunitus, & tutus amuleto præseruatiuo, quàm ille, qui paulò ante abiit ex territorio illo; Basiliscus autem ex se vim habet nocendi vtrique; sed in vtrique fuit

fuit illusa, in vno per absentiam, in altero per præseruationem, quod perinde est quoad euasione[m] damni. Nam sicut illum præseruauit antidotus, sic istum præseruauit absentia; vni quidem pro amuleto fuit distantia, sicut & alteri theiaca: ad recipiendum enim damnum veneni requiritur dispositio, & applicatio, & ex defectu cuiuslibet virus Basilisci euanescit; atque sicut vnus fuit immunis à veneno, quia ad illud applicatus non fuit; sic etiam & alter immunis fuit, quia non extitit dispositus propter amuletum theiaca. Sic B. Virgo, quia non fuit disposita, & apta ad recipiendum venenum Adami: nam propter decretum absolutum gratiæ originalis immunis fuit à peste Adami, hoc est, à debito peccati, imò, æquè immunis, ac si non comprehenderetur in Pacto, nam effectus est idem; quod explico hæc interrogatione. Vter magis immunis esset, & securus à veneno Basilisci, an ille, qui habuit præseruatiuum amuletum, antequam Basiliscus nasceretur, aut ille, qui statim ac natus est serpens venenosus, munitur validissimo amuleto? Planè æquè mihi videtur vterque esse immunis, & pariter tutus ab illa peste: vnde, quamuis illud, quod diximus debitum Adami, & non Virginis; scilicet, vis illa nocendi suis posteris propter præuaricationem, diceretur etiam debitum posterorum, nihilominus non potuit dici debitum B. Virginis, quoniam ad illud damnum recipiendum, non fuit disposita, vt modo prædiximus, habens obstaculum, quod omninò illud impediabat. Quare, sicut non potest dici habuisse debitum peccati, qui non esset comprehensus, seu esset exclusus in pacto, quia non fuit applicatus ad eius venenum, quamuis ex se, quatenus homo possibilis esset dispositus, si non haberet positiuum decretum gratiæ. Sic Virgo non debet dici habuisse debitum, quamuis fuerit applicata, cum non fuerit disposita, imò cum fuerit per omnimodam contrarietatem opposita illi. Vnde, magis est opposita B. Virgo veneno Adami, per præseruationem gratiæ, quam si solum non comprehenderetur in pacto, sine decreto gratiæ conferendæ, quia tunc non per contrarietatem positiuam; sed solum per euasione[m] simplicem, immunis fuisset ab Adami damnis.

Imò, inde etiam dici potest, quòd non fuerit moraliter applicata Deipara, cum non fuerit disposita ad receptionem damni, per antidotum gratiæ in contrarium præmunita, & resistens omninò sicut Asbesti Linteum, quantumvis sit in medio ignis, potest dici non esse applicatum ad comburendum, cum impossibile sit cremari. Vnde, nec propriè, nec verè loquuntur, qui eiusmodi debitum constituunt in B. Virgine: quòd vt ampliùs explicem, videamus quando possit oriri hoc debitum ex peccato Adami: nam profectò nasci non potuit ex illo nisi postquam ipsum peccatum fuit; sed statim ac peccatum Adami commissum est, Beatissima Virgo fuit præseruata, quia fuit præmunita, & impedita aduersùs illud per decretum de C H R I S T O Redemptore, & præseruatore suæ Matris: ergo tale debitum non habuit locum in Beata Virgine, nec illam attigit. Sicut enim Basiliscus non emittit venenum, nisi donec natus sit, & statim ac nasceretur, munitus aliquis amuleto fuisset aduersùs illud, omninò etiam fuisset immunis à veneno illo, & ab eius etiam afflatu venenoso.

Ioann. Euseb. Op. Part.

Si dicas: Venenum ex peccato Adami, non fuisse solum post ipsum peccatum; sed in instanti ipso ipsius peccati, quamuis posterius ratione illo, sicut effectus est posterior causà, & accidens subiecto; ideoque potuit Beatissima Virgo infici illo debito, quamuis statim post debitum fuerit præseruata. Planè hæc subtilitas alià subtilitate vincenda est. Quamuis nollem hanc materiam reducere ad subtilia argumenta, quàm ad vera; Dico igitur, quòd debitum posterorù Adami nullo modo fundatur in substantià peccati eius; sed in illà circumstantià, quæ ipsam substantiam sequitur, scilicet, in formalitate præuaricationis ex fractione pacti: inde venenum Adami non est in substantià sui peccati; sed in accidenti præuaricationis, quæ post substantiam est. Vnde, debitum, quòd non solum est post substantiam peccati; sed etiam post circumstantiam, & accidens ipsà substantià posterius, non potuit attingere Virginem, quæ statim post substantiam peccati per decretum præseruationis Christi præmunita fuit ante considerationem circumstantiæ, aut saltem non post illam; quòd sufficit: vnde, vis illius veneni non fuit ante præseruationem Virginis. Quare, licet considerari posset prioritas, saltem naturæ, inter substantiam peccati Adami, & præseruationem Virginis, at inter circumstantiam eius, saltem inter originem debiti, & præmunitionem sacratissimæ Deiparæ, non est cur sit prioritas aliqua. Christus enim statim prædestinatus est post peccatum Adæ, ante præuisionem sui veneni diffusionem, hoc est, ante præuisionem peccatum originale in Posteris transfusum; vt docent Vasquez, & alij graues Doctores. Verùm, relictis subtilibus ratiocinationibus, satis est ad institutum nostrum, quòd in ipso instanti, quo primùm præuisi sunt, cæteri posterii Adami obnoxij peccato originali per debitum eius, quæ præuisionem fuit post ipsam substantiam peccati, & post ipsam circumstantiam præuaricationis à pacto, fuerit beatissima Virgo per decretum gratiæ protecta, quòd omninò fieri potuit, sicut fieri poterit, vt eodem momento, & eadem sententia, quæ mortis rei damnantur multi, vnus liber declararetur: ex quo sequitur, quòd debitum nullam partem haberet in illà, penitus præpeditum.

§. V.

*Ad Redemptionem non requiritur debitum.
Explicaturque vis huius nominis.*

Sciendum quoque est, vt magis clareat improprie vsus, aut propria vis huius nominis *debiti*, quòd eo sint coacti aliqui Theologi vt ad ostendendam Virginem esse Redemptam præseruatiuè à suo Filio; vnde sequitur, quòd illud debitum non habet maiorem vim, quàm quòd necessarium est ad Redemptionem præseruatiuam: cumque ad hanc solum requiratur potentia, & periculum, non alia obligatio physica, hoc est, necessitas, vel obligatio moralis ex iure, vel ex facto, ex iustitià, aut decentià; hinc sequitur, quòd nec debitum appellatum ab Scholasticis requirit talem necessitatem, aut obligationem: solum est necesse quòd periculum illud habeat pro obiecto peccatum, sicut alia pericula habent diuersa obiecta, vt ægrotationis, aut latrocinij. Nec S. Dionysius Arcopagita; nec S. Augustinus, nec S. Bernardus,

ex quibus confirmant Theologi Redemptionem præseruatiam, requirunt ad hanc Redemptionem amplius quam potentiam, aut periculum, non aliam necessitatem, aut obligationem moralem, aut naturalem. Hoc suppositum confirmemus adhuc adhibito exemplo quod afferunt aliqui Theologi. Ambrosius Catherinus tract. pro Conceptione ad Concilium Trident. part. 1. hoc proponit: *Est homo accinctus eam viam pergere, ubi latrones grassantur, & captiuus omnino futurus si eam viam ingrediatur. Venit amicus, qui ut ab eo periculo eximeret, ab eâ via illum diuertit, & in aliam securam ac tutam deduxit. Quis vestrum compos mentis negaturus est, eum hominem per amicum illum esse redemptum, ac liberatum à captiuitate, non quidem incurfa; sed incurrenda? Aut quis affirmabit, eum minus sic fuisse redemptum, quam si in manus latronum iam peruenisset, & spoliatus, ac vulneratus de illorum manibus ab amico esset ereptus? si hoc vestrum quisque velit defendere non à zelo Christi; sed à zelo, & spiritu contentionis, & contradictionis moueri se nouerit, non dignus ulterius, cum quo ullus homo sanus disputet.* Hactenus ille; quod exemplum dicit admissum à Caietano, & Durando, ipsorumque verba affert, qui dicunt eiusmodi VIRGINEM Redemptam à CHRISTO fuisse: in prædicto autem casu, quodnam debitum fuit in illo Homine, incurrendi in latrones, imò nec transeundi per illam viam; planè nulla fuit obligatio Iustitiæ, nec Naturæ, nec voluntatis: nam liberum illi esset per aliam viam diuertere, licet ignoraret illud periculum; itaque solum remansit in illo homine, quod posset dici debitum, futuritio quædam conditionalis, si per illam viam pergeret: itaque, ad Redemptionem præseruatiam sola est necessaria hæc futuritio conditionalis, quæ nec est conditionaliter necessaria. Cur ergo amplius est requirendum ad Redemptionem VIRGINIS præseruatiam? Cur requirunt ad illam plenum *debiti* nomen, adæquantes Matrem Dei in vsu huius voci, cum reliquis filiis Adæ: quod minime esset faciendum, cum multi obstinatè putarint æquale, & idem debitum cum illis habuisse; quod falsissimum esse in isto opusculo ostendimus. In Deipara enim nullum potuit esse debitum necessarium, non physicum, nec ratione Naturæ nudæ, vt patet, nec morale, ratione peccati Adami, cum ex nudo peccato Adami non oriretur necessitas, nec obligatio in Deo, negandi Gratiâ VIRGINI; imò, nec aliis Adæ Posteris. Nam, vt diximus, non se obstrinxit, nec oportebat obstringi ad hoc Deus; sed liber manere, donec per absolutum decretum decerneret, quod voluit, & iudicauit decens decerni; nimirum nolle priuare Gratiâ Matrem sui Filij, ob decentiam eius, & priuare illâ cæteros Homines, ob inobedientiam Adami. Vnde, solum potuit in illâ esse potentia, seu periculum; non autem debitum absolutum neque necessitas, neque obligatio. Sicut is qui incurfus erat in latrones, nullam habuit obligationem, & debitum eius; sed solum periculum, & hoc non omnino necessarium; sed frustrabile etiam sine illo Redemptore, per aliud accidens, quale esset per dissensionem latronum, aut subitam eorundem transmigrationem, aut inopinatam, pœnitentiam, vel inaduertentiam, imò etiam per ipsius periclitantis libidinem, aut ca-

sum, nolentis illuc, quo decreuerat, tunc pergere. Quod si hic Homo posset dici præseruativè liberatus, vel redemptus, etiamsi non haberet debitum, neque necessitatem ad illud damnum. Cur Beata Virgo non posset dici Redempta à Christo præseruativè sine vilo debito stricto, & obligatione: maximè cum in Deipara plus concurrat, quam in præseruato à latronibus, & in Angelis, vt iuxta sanctum Bernardum dicerentur redempti: nam Angelis liberum fuit non peccare, cum per actum lux voluntatis id deberent præstare. Præseruatus etiam à latronibus potuit sponte suâ iter diuertere: at peccatum originale non fuit in libertate Virginis diuertere, cum nondum habuisset esse; quare per alium præseruanda erat, siue per Christi Redemptionem, siue per Dei liberalitatem, seu liberalem Omnipotentiam. Vnde habet aliquid, quo strictius, & magis propriè deberet dici Redempta, quam Angeli, & quam multi alij, qui præseruativè redimi dicuntur, & tamen hoc habet sine obligatione, & necessitate peccati.

Occasio autem, quam potuerunt nonnulli habere vtendi hoc crudo nomine *debiti*, ad significandum in Beata Virgine hac voce grandis obligationis, rem parui momenti, imò nullius obligationis, & necessitatis in illâ. Hæc fortassè fuit; deriuatio, nimirum nominis *debiti*, à verbo *debeo*, & non attendere, quod non semper sit eadem significatio huius nominis, & verbi: nam *debitum* sumitur pro re obligatoriâ, & quæ in se contineat necessitatem aliquam: verbum autem *debeo*, non sumitur semper cum hoc rigore; sed sæpissimè solum ad significandam futuritionem aliquam, etiam conditionatam, & non necessariam. Idè potest dici: Nisi Alexander uicisset Darium, deberet redire in Græciam, hoc est, futurum esset, vt rediret. Item, nisi Cicero defendisset aliquorum causas, deberent damnari, etiam innocentes hoc est, futurum esset, vt condemnarentur. Ecce vsus verbi *debeo*, non solum sine debito, & obligatione; imò, contrarium omnino erat obligatio, & debitum, & iustitia, scilicet, vt non damnarentur infontes. Similiter dicitur: Si talis Homo non admoneretur euitare viam, in quâ insidiabantur latrones, deberet ab illis capi, hoc est, futurum esset, vt ab illis caperetur, quamvis sine physico, nec morali debito, nec obligatione incurrendi tale periculum: sed solum ob prudentem coniecturam futuritionis. Sic etiam, vt darent locum Redemptioni Christi aliqui Scholastici dixerunt, debere VIRGINEM incurrere peccatum originale, nisi præseruaretur: hoc est, futurum esset, vt incurreret, nisi sub eâ conditione præseruationis: ad hoc autem non requiritur debitum, neque obligatio; quia verbum *Debeo* tolerat hunc vsum significationis pro futuritione: qui autem extenderunt nomen *debiti* ad VIRGINEM, considerarunt solum detractionem à verbo *Debere*: non tamen vsum significationis, cum verbum sufferat vsum futuritionis, sine necessitate & obligatione. Non ita nomen *Debitum*, quod crudiùs sonat obligationem, & necessitatem: quare non satis proprius huius nominis vsus videtur in sanctissima Deipara.

Potuit aliis esse occasio vtendi huius nominis *Debiti*, quod generationi naturali descendenti ex Adamo, annexa sit obligatio contrahendi peccatum originale: quam obligationem, & necessitatem vocant debitum, & meritò;

meritò ; sed illud omninò simile , immeritò sup-
 posuerunt in B. Virgine , quamvis concepta fue-
 rit per generationem naturalem . Verùm debe-
 bant considerare isti Theologi diuersam rationem
 esse in significatione debiti circa Beatam Virgi-
 nem , quamvis fuerit concepta per generationem
 communem , quia eius generationem non com-
 prehendit decretum Dei de priuando Gratiã
 ceteros filios Adæ , concepta per generationem
 naturalem ; defuit enim generationi Virginis
 causa debiti , quæ in aliis generationibus ex-
 titit ; debitum enim absolutum contrahendi
 peccatum originale , annexum generationi na-
 turali non habet ortum præcisè ex ipsã genera-
 tione : sed ex decreto Dei . Vnde quamvis Vir-
 go habuerit generationem naturalem ; quia hæc
 generatio non habuit tale decretum , (supposito
 quòd non contraxerit peccatum) non habuit
 consequenter nec tale debitum ; quod animad-
 uertere erat opus : vnde Generatio Virginis im-
 munis fuit ab hoc debito , sicut & ipsa Perso-
 na VIRGINIS à peccato ipso originali , prout
 alibi diximus , posteaque probabimus : quoniam
 quamvis concederetur debitum præteritum
 VIRGINI ; præsens tamen nullum habuit
 debitum suæ Generationis , ante ipsam Gene-
 rationem potuit extinguere Deus , nisi illud po-
 tiùs impedisset , & quidem per Merita CHRIS-
 TI : vt iam probauimus . Quare , nullum debi-
 tum strictè & propriè habuit Deipara : expedit-
 que in hæc Materia propriè loqui , cum hoc no-
 men *debitum* , quod obligationem sonat , aut
 terreat , aut non affonet minùs doctis ; rigidiùs-
 que illud accipiant , quàm doctissimi alij . Hæc
 dixerim , licèt Beata Virgo non fuisset ante
 Pactum exclusa : memorandæ enim sunt ratio-
 nes , ob quas diximus , non esse inclusam .

Quod si aduersùs prædicta generaliter obiicia-
 tur , quòd nos recesserimus à communi modo
 sentiendi Theologorum , quoad significationem
 nominis debiti : quoniam iuxta illos debitum est,
 necessitas alicuius rei , quæ secundum prouiden-
 tiam ordinariam certissimè eueniret , quamvis
 postea per miraculum posset impediri : & idèd
 dicunt Scholastici Humanitati Christi secundum
 ordinariam prouidentiam debitam fuisse substi-
 tentiam creatam , sicut etiam & substantiæ solis
 debetur accidens lucis , & corpori luminoso
 concursus vt illuceat , & corpusculet , sicut &
 aquæ vt humefaciat , & niui vt refrigeret , quam-
 vis per prouidentiam extraordinariam ij effectus
 impediatur . Ita etiam per virtutem pacti &
 Decreti conditionalis de negandã Gratiã , si
 Adam peccasset , posito semel peccato fieri ab-
 solutum intra limites ordinariæ prouidentiæ :
 atque indè emanasse debitum , & necessita-
 tem absolutam de negandã omnibus Gratiã iuxta
 communem prouidentiam : quamvis per irregu-
 larem & extraordinariam concessã fuerit Deipa-
 ræ Gratiã originalis .

Huic obiectioni affatim posset ex dictis res-
 ponderi : addimus tamen non satis planum esse
 apud nonnullos Scholasticos , quòd per nomen
 debiti significarunt , tum proximi , tum remoti
 debiti , prout supra notauimus : quamvis enim generali-
 ter conueniant debitum esse necessitatem & obli-
 gationem incurrendi peccatum originale , & plu-
 rimi explicent duplex esse debitum , proximum ,

& remotum siue debitum simpliciter , & debitum
 secundum quid ; *tamen* , vt fatetur Franciscus
 del Castillo , tractans de hoc debito super 3. sen-
 tent. Scoti , tractatu de Incarnatione Verbi , &
 præseruatione Virginis , disput. 1. de immuni-
 tate Virginis quæst. 6. tum etiam Franciscus Hon-
 deghem in Domo propitiationis , in Appendice
 ad lect. 2. de immaculatã Conceptione , *difficile*
sit explicare quale sit hoc debitum , afferuntque
 diuersissimas sententias , & plurimas doctissimo-
 rum Theologorum , qui in hæc Materiã minimè
 conspirant ,

Præterea , licèt concederemus omnia , quæ in
 prædictã obiectione continentur , negari non po-
 test , quin debitum commune filiis Adæ , non at-
 gerit Deiparã , siue iuxta prouidentiam ordinariam ,
 siue extraordinariã : debitum enim , scilicet proximũ
 posterorũ Adæ fuit penitus absolutũ , & cum infal-
 libilitate ex suppositione eius etiam per extraordi-
 nariam potentiam , vt iam explicauimus ; Deipa-
 ra autem cum de facto non contraxerit peccatum ,
 nequaquam contraxit hoc debitum omninò infal-
 libile , etiam ex potentia extraordinariã , imò nec
 habuit debitum absolutum , solum ex potentia
 ordinariã : quia nullum decretum diuinum præ-
 cessit absolutum priuandi illam gratiã , vt iam
 diximus .

Addi possunt ad dicta , quòd illa distinctio po-
 tentiæ ordinariæ ad constituendum debitum , &
 extraordinariæ ad impediendum effectum , seu
 incursum illius , non videtur requisita , nec me-
 morata à Theologis quoad hanc materiam pec-
 cati originalis , qui contenti sunt , & potissimum
 recentiores vt detur tale debitum ad redimendã Vir-
 ginem , quale habuit , qui periculum seruitutis ha-
 bens , præuentus ab alio est ne seruus fieret ; in
 quã præuentione nullum est necessarium miracu-
 lum . Cæterum , debitum peccati , non est debi-
 tum physicum , sicut debitum luci in sole ; sed aliud
 genus debiti consequentiæ , & futurationis con-
 tingentis : nec est necesse dicere Beatam Virgi-
 nem præseruatam fuisse à peccato extrã dispo-
 sitionem Dei prouidentiam ordinariã : imò fuit quidem
 iuxta ordinem , & dispositionem diuinam decen-
 tem Matri Dei , & iuxta debitum tantæ Mater-
 nitatis , adèd , vt si dicamus fuisse prouidentiam
 ordinariam diuinæ Iustitiæ , vt omnes Poster-
 i Adæ Præuaricatoris contraherent Peccatum . Sic
 etiam dici potest , prouidentiam similem diuinæ
 pietatis esse , vt Mater Dei careret illo , imò ex-
 traordinarium potiùs censendum esset priuatam
 aliquandò gratiã extitisse . Quod autem maximè
 extraordinarium fuit in Virgine est electio ad diui-
 nam maternitatem ; sed hæc suppositã nulla gratia
 indebita est illi , nulla extra ordinaria censenda .

§. VI.

Explicatur quid sit Debitum proximum

Tandem , ne videamur dissentire ab aliis Scho-
 lasticis plusquam reuerà accidit , si sensum , &
 rem , expectemus , non nomina ; oportet aduerte-
 re , nos nequaquam negasse Deiparæ periculum &
 potentiam peccandi in Adam ex naturã condi-
 tionis humanæ & modo generationis naturalis :
 à cuius periculi damno opportunè præseruata fuit

per Merita sui Filij, quod sufficit ut ab eo fuerit præseruatiue Redempta, in quo conuenimus cum innumeris Theologis. Quod autem prædictum discrimen quidam vocent debitum, nos autem dicamus potius periculum, quia hoc nomen debitum videatur significare obligationem; parum ad rem ipsam attinet. Et in veritate sensus ideam significamus, quoniam & in illorum debito, & in nostro periculo nihil aliud dicimus quam futurationem damni conditionatam, scilicet sub conditione; si non fuisset præseruata Deipara; tunc enim incurreret damnum peccati originalis. In qua suppositione conditionali, dum conditio non subsistit, nihil derogatur suæ puritati, ut iam diximus: itaque paruum dissidium in hoc potest esse; nimirum, quod nos malimus id duntaxat dicere debitum, quod est necessaria obligatio, & necessitas absoluta contrahendi peccatum. Alij autem voluere dicere debitum, quamvis non induxerit præcisam obligationem. Distinguuntque propterea debitum proximum, & debitum remotum; imò etiam remotius, siue remotissimum: nos autem magis adhæremus Antiquis, qui non docuerunt distinctionem debitorum; sed solum debitum, quod communiter dicitur proximum, illud scilicet quod afferret necessitatem & obligationem. Hoc igitur debitum, quod est cum obligatione, & cum absolutâ necessitate, necessariò amplectendum est in omnibus filiis Adami, præter Beatissimam Virginem, in quâ necessariò etiam est negandum ex suppositione, quod non habuerit de facto peccatum originale. Ratio est: quia illud est debitum proximum peccati originalis, quod vicinius, & immediatius est ad ipsum peccatum maioremque obligationem, & absolutam necessitatem infert; hoc autem est post Decretum omninò absolutum Dei de negandâ Posteris Adæ gratiâ. Cum autem Beatissimæ Virgini negata non fuerit, euidens est, quod non fuerit circa illam Decretum Dei taliter absolutum, nec proinde necessitas inuitabilis contrahendi peccatum originale. Vnde, in eâ non fuit hoc debitum strictum, quod omninò est, & debet dici debitum proximum, cum sit immediatius ad peccatum, & cum totali necessitate; quod in omnium opinione, eorum, qui negant peccatum, negandum est Deiparæ. quod autem aliæ antecedentes obnoxietates, seu futurationes conditionatæ cum sine tali obligatione, & necessitate sint, dicantur pericula, siue debita, non spectat ad substantiam questionis.

Cæterum, quamvis antiqui maximam necessitatem, & immediatam requisierunt in debito; sed non omnes talem posuerunt, ut inuitabilis fuerit eius effectus per indulgentiam, & diuinam virtutem. Verum hoc debitum, licet sit magno pere vicinum, & valde propè ad peccatum; non tamen est debitum proximum, cum aliud esset vicinius, & in ultimo gradu propè ad peccatum; nimirum quod cum decreto omninò absoluto fuit, absolutaque necessitate, quippè inuitabili.

§. VII.

Non modo physicè, sed nec moraliter potuit esse debuum in Matre Dei.

Hactenus ostendimus, non esse physicè possibile debitum reale peccati, ipso peccato non secuto; nunc addimus, nec moraliter esse possibile, quamvis physicè esset: cum enim in præseruanda Virgine à peccato originali, iudicasset, Deus non decere Maternitatem diuinam habere vllam sordem peccati, simile iudicium oportebat habuisse, ut impediret in illâ turpitudinem debiti peccaminosi, spectabatque ad diuinam Prouidentiam sic præuenire res, ut Mater Verbi non incurreret in illam; imò, si de facto, & de Fide non esset, iuxta Scripturam, omne genus Humanum redemptum fuisse à Christo, posset existimari minus inconueniens, atque indecens esse, Virginem non fuisse redemptam à Christo, propter suæ Passionis Merita; sed per alia vel sanctificatam per liberalem Dei gratiam, sicut Angeli fuerunt independentes à morte Redemptoris, quam habuisse matrem Dei debitum Peccati: cum autem certissimum sit Virginem esse redemptam à suo Filio, admittendus est modus, quo posset componi carentia debiti cum redemptione. Quanta autem sit hæc debiti turpitude, sic explicant aliqui doctores: quoniam nefas est animo cogitare, apud piæ sententiæ propugnatores, Virginem matrem peccati morte, vel in aliquo instanti mortuam iacuisse; hoc autem verum videretur, si ea à peccati debito non fuisset exempta.

Deinde B. Virgo libera fuit ab aliis legibus, quæ de decebant minus Dei Matrem, nempe lege Purificationis, à lege redigendi in puluerem: ergo multò magis rationi consentaneum erat, ut à lege incurrendi debitum peccati liberaretur quod tantum indecorum, ac turpe, suâ turpitudine eximiam B. VIRGINIS Puritatem macularet. Et confirmari potest hæc ratio: quia magis dedecet DEIPARAM. obligatio, & necessitas peccandi in Adamo, quam solum habere aliquid inclinans ad materiale peccati, scilicet peccati fomitem; atqui fomes hic tantum quod indecorum, ac turpè à tantâ VIRGINE procul vnanimi Doctorum consensu: ergo meliori iure arcenda erit à debito peccati, quod secum includit, in alio deliquisse, & necessitatem contrahendi in se peccatum. Si ergo DEVS à VIRGINE Matre adeò peccati maculam inhiuit, ut necdum Peccati nomen ipsam afficere permiserit, quomodo sineret peccati debitum incurere? Haud quaquam inquit Gerson: *Peccati fomes in MARIA extinctus fuit quod patres peccatum appellant (nam quod inhabitat in me peccatum) ut vel peccati nomen ab ipsâ procul esse crederemus, nedum peccatum ipsum.* Nonne fecidior, ac turpior est obligatio ad peccatum, & ad peccandum necessitas, quam nudum peccati nomen absque peccati naturâ foetulentâ? Itaque, Beata VIRGO non solum à culpâ, eiusque debito, ac ipsius fomite immunis fuit, verum & omni caruit umbrâ, ac vestigio peccati; ideoque nudum peccati nomen

nomen procul à se arcet. Huc flecti possent verbi Chryfologi ferm. 77. in illud Lucæ 7. *Erat mulier in Ciuitate peccatrix.* Cur fœminæ subticet nomen? an quia anonyma? Consultò *MARIÆ* nomen ore non assumit ob reuerentiam Mariani Nominis, à quo semper procul abit & nomen ipsum peccatricis, ne cum ipsius coniunctione pulchritudo *MARIANI* nominis aliquomodo deueniretetur. *Venit*, inquit Chryfologus, *memorans illas fœminas, quæ valdè diluculo inuisura Domini Sepulchrum abierant, venit mulier; sed redit MARIÆ*; ac si diceret: Peccatrix illa fœmina, solâ mulieris voce appellata, vt potè indigna tanti nominis baiula, quia tot, tantorumque flagitiorum turpitudine seipsam fœdauerat; postquam verò profuso lachrymarum flumine peccatorum maculas eluerat, ac Christi sanguine recens fuso dealbata, dum Christo patienti compareretur *MARIÆ* quasi deperditum nomen nouitùs sibi comparauit.

Amplius exaggeratam huius debiti turpitudinem. Exhibuimus in Propylæo, vbi cum multis Scholasticis eam demonstrare optauimus, nunc cum aliis Rhetoricis suadere prosequamur. Si enim illud incurrisset, vel quod magis est, peccati umbra infestata fuisset, vel alicui peccati vestigio inhæsisset Virgo Deipara, à Deo nesciri videretur, si Bernardo danda est fides: qui de Christo fatur, dum circumcisionis nota specie tenus peccator apparet, ferm. de Circumcisione hæc profert verba optimè Virgini Matri adaptanda; si infami debiti huius notâ inultâ coram Deo, & Angeli compareret: *si quo modo* (ait Bernardus) *Deus posset non cognoscere Filium, in quo ei benè complacuit, ex hoc signo maxime poterat ignorare eum.* Tametsi igitur solus Deus arcanas Virgini Deiparæ excellentias agnoscat, & comprehendat; ita tamen vel peccati umbram auersatur, vt si hoc peccati debitum eidè inhæreret, eoque obærata fuisset, posset si ex aliquo, ex eo maxime dici Deus ignorare suam Matrem, ac sublimes eiusdem prærogatiuas nescire. Quare, nullus tantâ Virgine fatuarum Virginum numerum adaugeat, eamque inter imprudentes reponat, quibus Christus Dominus obiicit illa durissima verba: *Nescio vos.* Minus itaque igni debetur frigus, qui semper cum calore coniunctus est, minus aquæ debetur siccitas, quam semper humiditas comitatur, quàm B. Virgini peccatum debitum sit, quæ semper comites habuit Puritatem, & Innocentiam originariam, veluti proprietates sibi inditas. Benè in rem præsentem pius Auctor: *Sicut ignis nunquam fuit sine calore, nec aqua aliquando fuit sine humore; ita B. Dei-Genitrix nunquam fuit sine innocentiâ, & Puritate.* Hanc peccati obnoxietatem visus est relegasse à Virgine Deipara Archangelus Gabriel, dum eam illis verbis salutatur: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quæ verba primâ fronte nihil eximie, & singularis laudis, & encomij præferre alicui videri possint; si quidem vt dixit Paulus Act. 17. *Non longe sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Si ergò ratione immensitatis cum omnibus adest Deus, nihil mirum, quòd sit Deus cum Virgine; sed magnum profectò elogiù delutescit sub illis verbis: *Dominus tecum.* Quasi diceret, inquit Augustinus: *Dominus tecum, magis quàm mecum: ipse enim in tuo est corde, in tuo sit vitæ, adimplet mentem, adim-*

plet ventrem. Verum qui potuit esse Deus magis cum *MARIÆ*, quàm cum Angelo, quocum à primo creationis instanti per Gratiam adfuit Deus: nunquàm enim Angeli boni gratiæ fulgore non coruscarunt, perperam ergo dicitur Deus cum *MARIÆ* magis fuisse quoad durationem, quàm cum Angelo; & tamen tantus Doctor constanter asseuerat, plus Deum adfuisse *MARIÆ* modis omnibus, quàm Gabrieli. Verum nodù dissolues, si asseras, Angelos in gratiâ conditos à primo creationis puncto: obnoxios tamè fuisse peccati discrimini: siquidem potuerunt delinquere, sicut & Lucifer, & eius asseclæ; hanc ergo labendi obnoxietatem, quâ exempti non fuerunt boni Genij, non contraxit Virgo Deipara. meritò dicere poterat Gabriel ad Virginem: *Dominus tecum magis quàm mecum.* Quia tametsi Gabriel à culpâ liber fuit à primo conditionis momento; non tamen omnino fuit immunis à labendi periculo à quo remota fuit Virgo Beata, nec debito peccati Proto-Parentis obnoxia.

§. VIII.

In quacumque suppositione non habuit Mater Dei Debitum Personale.

TAndem aduertendum est, quòd licèt fuisset aliquod debitum reale peccati originalis contrahendi à Virgine conclusa in pacto; atque id debitum tale per aliquam necessitatem, vel decretum antecedens in aliquâ prioritate. Nihilominus hoc debitum nunquam fuit in Personâ Virginis, imò nec in animâ solâ consideratâ, nec in carne etiam cum erat sola ante animationem; quoniam extinctum penitus fuisse debuit, antequàm esset in rerum naturâ aliqua pars Virginis, imò, antequàm conciperetur à Sanctâ Annâ; quæ extinctio fuit ab æterno per decretum posterius concedendæ illi gratiæ in primo instanti sui conceptus; nam per relationem ad istam gratiam decretam; & promissam quidem in illis verbis: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem;* extinguitur prorsus illud debitum; quia sicut terminus diuinæ interminationis ex fracto Adami pacto, scilicèt, priuatio gratiæ debita, & Peccatum Originale in primo instanti creatæ Animæ, non potest stare simul cum termino diuinæ promissionis ex Priuilegio, & indulgentiâ speciali, scilicèt gratia in eodem primo instanti concessa: quia gratia impedit peccatum: sic, nec viæ, & iura ad illos terminos possunt esse simul integra, sed posterius extinguit prius: nam eo ipso modo, quo accidit in terminis, vt gratia impediat peccatum, contingit etiam in viis, & iuribus, vt decretum, & promissio gratiæ dandæ in primo instanti creationis Animæ, extinguat etiam vim prioris interminationis diuinæ, siue debitum incurrendi peccatum in ipsâ formatione fœtus. Itaque, quasi ipso iure extinctum manet debitum peccati post promissionem, quæ operata est debitum gratiæ.

Igitur licèt Virgo in prioritate aliquâ debi-

D. Bernardus.

Bernardus de Buis.

D. Augustinus.

tum præteritum habuisset, præsens, & actuale nunquam habuit, postquam semel extitit in rerum naturâ aliqua eius pars; nimirum caro adhuc antequam animaretur; ita, vt non habuerit debitum in se; sed in Parentibus solùm, siue in radice. Hoc est, Protoplastum meruisse ob inobedientiam suam, vt omnes eius posteri Originale contraherent peccatum; & gloriosissimum est Virgini ex hâc communi ignominia, & debito illius, illicò ac fuit electa Mater Dei, exemptam ex Priuilegio fuisse, & miro modo gauisam esse copiosissimâ Redemptionis gratiâ, & Primitias esse Redemptoris Filij eius. Quod enim potest ius, & indulgentia humana, cur negandum est diuinâ? Cùm igitur in iure humano contracta ex pacto debita extingui, & remitti possint ante

tempus solutionis: idem dicendum est de iure Diuino. De hoc etiam locupletissimè egimus in tractatu de obiecto Festi.

Hæc vbertim, siue philosophati sumus, siue redundanter theologizauimus, vt constet in omnium sententiâ, non esse opus concedere debitum aliquod in Persona Virginis. Verùm quæ diximus de extinctione debiti non est opus asserere, cùm ex prædictis constet, nullum fuisse Debitum in B. Virgine. Cæterùm, quæ alibi disputauimus de hâc materiâ, accommodantes nos ad communem loquendi vsum cum aliis Auctoribus, ex suppositione variarum opinionum, nunc exactum intelligendi modum explicare censuimus: & huc reducenda sunt reliqua à nobis vbi cumque dicta.





DE NOVA MONETA

Nova Moneta SS. D. N. Alexandri Vj.

Novæ Monetæ frons.



Novæ Monetæ pars altera.



SANCTISSIMI DOMINI
Alexandri VII. pro gloria immaculatæ
Conceptionis perpensa.

AD EMINENTISSIMUM, ET REVEREN-
dissimum D. D. Balthasarem Sandoval, & Moscoso, S. R. E.
Cardinalem, Archiepiscopum Toletanum,
& Primate[m] Hispaniæ.



TVDIOSISSIMÆ, absit, ut dicam
curiositati, sed pietati, atque pientissimo
studio, Eminentix vestrx, de exaltandâ
gloriâ sanctissimæ Virginis obsecundaturus,
non nihilque satisfactorius, breuiter
edisseram, quid de cusione novæ Mo-
netæ sanctissimi Domini nostri Alexandri
VII. signatæ cum Beatæ Virginis effigie,
sentiri, aut cenferi possit, imò sperari de-
beat. Planè Hieroglyphicum videtur, &
prope mysterium declarandæ immaculatæ Conceptionis ab eodem Pon-
tifice. Coniunctio enim sui nominis, & stemmatis cum sanctissimæ Vir-
ginis icone, & circumscriptione eius hoc multis modis significat, portendit,

dit, promittit, & vndequaque spirat, & afflat. In vna parte numismatis insignis adest sanctissima Virgo sine puero Iesu, manibus iunctis, & eleuat, iuxta vsum imaginum Conceptionis, habens sub pedibus Lunam, & caput radios vndequaque eiaculans, cum hac inscriptione, *Virgo concipiet*. Prudentissimè quidem, & sapientissimè, atque valde Theologicè, cum Conceptio actiua Virginis fuerint fundamentum, finis, & maximum argumentum Conceptionis passiuæ sine vlla macula: quandoquidem Conceptio actiua Virginis fuit passiuæ Christi Dei, & hominis: Infra Imaginem subest nomen, *Roma*. In altera parte stemmata apparent gentilitia sanctissimi Domini nostri, continentia stellam super sex montes illucescentem in vertice altioris: adstatque robur cum duobus ramis decussatis, crucemque efformantibus, circumque stemmata conscriptum est nomen, *Alexan. VII. A. I. Arcana*, quæ in his omnibus annuntiant exaltationem Virginis, maximè in sua Conceptione, minime despicienda sunt.

Aliud etiam cudit numisma pietas nostri Pontificis, in quo pulcherrimè effigiata est Imago Saluatoris nostri, cum hac inscriptione: *Viuo ego, iam non ego*. In altera parte apparet icon eiusdem Pontificis, cum ista inscriptione: *Alexander VII. Pontifex Max. anno 1*. Mysterium huius numismatis facile notabit, qui alienum à carne, & sanguine animum sanctissimi Domini nostri, & cor plenum Deo, atque pietate cognoscit, vt iam non velit viuere in se, sed in Christo, siue potiùs in se Christum, ad imitationem Apostoli. Cæterum, effigies sanctissimi Patris esse pone, siue à tergo Imaginis Christi, commendat legitimum Saluatoris affectum, & verum discipulum eius vestigia sequi, iuxta illam elegantissimam sententiam, quâ idem sanctissimus Dominus Alexander cecinit in suo Philomatho, siue Philo-Musico, poemate 44. vbi ait.

Audio diuinum resonans in pectore carmen:

Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Fac mihi te comitem, præfer tua lumina Iesu,

Cernere, siue sequi te, sine te nequeo.

Fusiùs tamen de numismate agemus, vbi Deipara insignita apparet.

§. I.

*De usu exornandi numismata
signis religiosis, & sacris.*

Operæ pretium erit, præmonere sanctissimum Dominum Alexandrum VII. sequutum fuisse pietatem præcedentium summorum Pontificum, cui consentanea fuit deuotio antiquissimorum Imperatorum Christianorum, qui sacris Imaginibus numismata sua decorabant; imò ipsa antiquitas Ethnica, quæque in magno pretio, & Religione habebat, licet falsa, cusis commendabat nummis, reputans id religiosum suis falsis Diis obsequium, & laudandum cultum, cuius non exemplum facti, sed iudicium faciendi, si veritatem, vt nos attingeret, admittimus. Sic Imperatores, Antoninus, Claudius, Adria-

nus, Marcus Aurelius, Valerianus, Vespasianus, Gordianus, Seuerus, Alexander, Domitianus, Florianus, Nero, Diocletianus, Otho, Imaginem Iouis in numismatibus cuderunt; sicut & Imaginem Iunonis Imperatrices, Faustina, Sabina, Scantilla, Crispina, Iulia Mæsa, & Ethruscilla. Sic etiam Vitellius, Vespasianus, Domitianus, Adrianus Cererè effigiarunt. Æmilianus, Galienus, & Caracalla Apollinem. Marcus Aurelius, Æsculapium. Faustina, & Iulia Cybelen. Galienus, Claudius, & Faustina, Dianam. Iulius, Augustus, Iapudus, Antonius Ianum. Vitellius Titus, Domitianus, Traianus, Probus Martem. Antonius eundem Martem, & Venerem. Aurelius, Decius, Postumius Mercurium. Idem Postumius, & Titus Neptunum. Caracalla Mineruam. Domitia Palladem. Salonina Segetiam Deam. Vespasianus, Titus, Domitia, & Sabina, Vestam. Alia videri possunt in Antonij Augustini, Ioannis Iacobi Hemelarij, & aliorum numismatibus.

Sed omisso falso Religionis cultu, accedo ad pietatem Christianam. Et quidem fallitur Ioannes Curopalata in vita extrema Ioannis Limifcæ Imperatoris ad annum Christi 970. vbi refert, hunc Imperatorem primum Christi Imagine monetam signasse, addito hoc elogio: Iesus Christus Rex regnantium. Nam antiquior longè est vsus pingendi Christum Dominum in throno Regio sedentem eodem titulo, *IHC. XOC. Rex regnantium*, ex illo Apoc. Ioan. *Rex regum, & Dominus dominantium*, cap. 17. & 19. & 1. Timoth. 6. Ita in numis Christianorum Cæsarum aureis, vt FL. Iustiniani Cæsaris, anno Christi 575. imperantis, vt notat Octavius Strada, de vitis Imperatorum Romanorum, pag. 205. Item Adolphus Occo, pag. 583. ad Chron. ann. 527. Rursum Strada pag. 272. in Heraclij Constantij IV. numismate. Quin, & Virginis Imago in throno sedentis visitur in Heracleon à Cæsare, anno Christi 616. Ibid. Strada p. 273. Quandoque Græcos titulos indidit pietas antiqua, latinis tamen characteribus: *Basileus Basileon*. Complures id genus numos reperient curioli: sed multos vt rudi admodum sæculo à rudibus sculptos facilè deprehendant. Christi Imago est vmbilico tenus depicta, Tiara, vmbonis instar cum signo crucis capiti imposta, quæ forma ferè in templis Christianorum hodie conspicitur. Librum clausum manus gestat, significat, quantum conicio, librum illum clausum, de quo Beatus Ioannes in Apocalypsi scribit. Aliud numisma affert Victorelus in fine vitarum Pontific. antiqui Imperatoris post Iustiniani tempora, in quo effigiauit Sanctum Petrum, & Paulum cum signo sanctissimæ Crucis, quod videtur fecisse in honorem Principum Apostolorum, quorum peculiari sub patrocinio Roma est. Extant etiam Constantini Magni numi, imò, & Constantij filij, vt vult Antonius Augustinus, addito crucis signo, quæ cum Romanus versus contra Maxentium exercitum Constantinus duxit, in cælo apparuit, hoc ferè (quod in Ecclesiastica legitur historia) elogio: *In hoc signo vinces*. In Constantij autem numismatibus hæc inscriptio reperitur, vt testatur Antonius Augustinus Dialog. 1. *Hoc signo victor eris*. Cæterum in auersa numi parte Imperator ipse conspicitur, manu signa militaria, vexillumque gestans, & pone *Victoria est*, coronam capiti Imperatoris imponens. Porrò vexillum, seu labarum quadratum est, duabus his literis inscriptum, *XP.* quæ in Christi nomine primæ sunt. Religiosissima Regina Ælia Flaccilla prima vxor Theodosij Imperatoris, numisma signauit cum hac inscriptione: *Salus Reipublicæ*; in eoque sedet Victoria, salutare Christi nomen, & tesseram clypeo vortuo inscribens, palmæ arbori innixo. Præfert Flaccilla hoc dicto: non alia, nisi Christi nomine, virtute, & crucis eius potentia salutem Reipublicæ niti, nec alia ope, nisi diuina, victorias de hostibus, palmæque adeptas, aut sperandas. Imperator Theodosius sic numisma decorauit, significans domitum virtute crucis Christi terrarum orbem; sed & in iis adest Roma, globum, & in eo crucem exaltatam ferens. Credimus signarum numisma Constantinopoli post victoriam de Eugenio adeptam, sola fiducia in virtute crucis, quam labarum exercitui prælatum re-

Ioan. Euseb. Op. Parth.

ferēbat; vt ait Baronius. In Arcadij nummis, Victoria Augustorum trium. Stat Imperator crucis trophæum gestans, & victoriam, atque hostem sub pedibus prostratum calcans. Conspicitur etiam in monetis Iulij Nepotis Angelus Victoriæ specie, crucem ingentem auro, gemmisque ornatam dextrâ tenens. Habet supra tabellam quasi titulum Christi Domini referentem. Omnes isti deinceps, siue legitimi, siue intrusi Imperatores, crucis signo gloriantur, eiusque virtuti victorias suas adscribunt. Eundem characterem habent numismata Zenonis. In numis autem Iustini Iunioris apparet Victoria gradiens, fertum laureum, & palmæ ramum ferens. Literæ *Mar.* compendioso ductu, *Maria* Virginis Deiparæ honorem, & nomen prædicant. Sequitur litera *P.* orbi insistentis, transuersa linea intercedente, inter duas stellas, & corona laurea circundante. Hieroglyphicum est nominis Christi, in quo, ingenioso ductu, litera Græca *X.* transuersum Græcum pariter *P.* velut vno caractere format, & crucem insuper ipsam exprimit significans orbem terrarum ab Oriente ad Occidentem (quod per stellas à dextris, & sinistris appositæ intelligimus) à Christo per Crucem subactum; eiusque nomen gloriosum de hostibus, tam internis, quàm externis triumphum duxisse, qui per lauream triumphalem exprimitur. Tiberius Constantinus huiusmodi consignauit quosdam numos. Stat in gradu stabili Angelus victor, dextra manu baculum gestans, siue Episcopale pedum, in cuius summo est Hieroglyphicum Christi, & crucis eius: in sinistra fert orbem terrarum crucis signo subiectum. A qua ingeniosa forma simul Christi nomen, & victoriam crucis in baculo exprimente Episcopalis dignitatis insigne sceptrum figuram traxit. Videtur hoc stemmate Tiberium gratitudinem insignis Patriarchæ Ioannis derulisse, à cuius manu imperiale diadema capiti eius impositum fuerat: simulque ostendere voluisse Christi auspiciis, Angelorumque ministerio victorias omnes ex hoste sperandas. Apud Luckium extat numisma Maximiliani primi cum Imagine Sancti Zenonis Veronensis.

Venio ad summos Pontifices. De Gregorio XV. hæc testatur Hyppolitus Marracius cap. 44. *Numos etiam aureos, argenteosque, Beatissima Virginis sole amicta, ac stellis coronata Imagine eudendos ordinauit*. Quare affert venustam elegiam. Idem Hypolitus cap. 95. de Urbano VIII. ait: *Argenteos, aureosque numos Imagine sanctissima Virginis Deiparæ signauit, cum inscriptionibus, in aliis: Monstra te esse Matrem: in aliis vero: Sub tuum præsidium: atque ex aduerso, vel sui effigie, vel apibus suis*. Quod etiam celebrarunt Poëtæ, maximè Franciscus Marracius pulchris epigrammatibus. Vnum dumtaxat proferam.

*Vt tua Virgineis flammantur pectora flammis,
Vrbane, o ingens gloria Pontificum,
Sic cupis, vt totus Maria persentiat ignes
Orbis, & in Mariam religiosus eat.
Vique vides studiis intentum semper auaris,
Eius in argento signa, precesque doces.
Quo mens, qua nummis petitur, nummis & in ipsis
Interdum Maria commemorasse queat.*

In Pontificum vitis Ciaconij cum notationibus

nibus variorum afferuntur varia numismata Pauli V. signis sacris illustrata. In vno extat Spiritus sanctus in figura columbæ cum hac inscriptione: *Vbi vult, spirat*. In altero S. Petrus gestans claves, cum istâ: *Aperit, & claudit*. Anno etiam 1606. Christum lauantem pedes in numismate expressit. Ibidem quoque affertur alius numus Gregorij XV. anno primo sui Pontificatus, in quo effigiata est sanctissima Virgo cum puero Ieſu, cum hac inscriptione: *Causa nostra lætitia*. Idem etiam Gregorius signauit alium numum Cruce Domini nostri Iesu Christi, quam Imago Religionis tenebat, comitabaturque illam Imago Pacis cum hac inscriptione: *Pacis, & Religionis amor*. Ibidem etiam afferuntur alia numismata facta Urbani VIII. in quodam extat Christus in cælum ascendens, in alio Crux, in alio Christus lauans pedes S. Petri, in alio S. Michael Archangelus. Præter ista, ego vidi duo numismata argentea cum perfectissima Imagine immaculatæ Conceptionis; vnum Urbani VIII. anno, vt apparet, vigesimo Pontificatus sui: alterum Gregorij XV. nisi fortasè hoc sit, cuius meminit Hyppolitus Marracius, subiiciens effigiem immaculatæ Conceptionis esse in illo expressam. Andreas Victorellus in fine vitarum Pontificum affert numisma Leonis III. vt ipse putat, cum Imagine S. Petri in Caroli Magni Imperatoris gratiam, eiusque inaugurationis memoriam culum. Idem affert aliud Clementis III. cum iconibus Christi, & S. Petri, qui visitur excipiens vocem Christi Domini è nube monentis. Decantatum quoque fuit numisma Sixti V. cum maximo rei sacre signo, cruce scilicet super bilancem: In priore facie illius Imaginem refert, in altera tres montes, maiori gladium impositum, nudatum, in cælum erectum, in illiusque fastigio libram cruce coronatam, & lances in neutram partem propendentes: in monte secundo Cornucopiæ, in tertio oleæ ramum, & verba hæc omnia colonantia. *Fecit in monte conuiuium pinguium*. Ioannes Iacobus Luckius affert numum Iulij II. consignatum effigie conuersionis S. Pauli: idem affert numum Clementis VII. cum effigie Natiuitatis Christi; alium cum mysterio adorationis Magorum; alium cum iconibus S. Petri, & Pauli. Ab eodem quoque exhibetur numus Gregorij XII. representata porta cæli cum Angelis: Item alius Alexandri VI. cum sacrosancto nomine Iehoua. Satis hæc sunt, vt intelligamus, qualia pietatis vestigia sequutus sit sanctissimus Dominus noster Alexander, ostendens suam erga Deiparam deuotionem, & prouocans nostram,

*Vt mortale genus non tam splendore metalli,
Lumina, quam pectus pascat amore Dei.*

vt vnicuique videatur dictum,

*Inspice nummorum facies, de pectore Virgo
Immensas auidis pollicitur opes.*

*Hanc scrutare libens, sunt eius opesque, decusque;
Hæc est maior opum, praesidiumque potens.*

§. II.

Hæc inscriptio iuxta Isaiam: Virgo concipiet, grandius mysterium, & magnam vim habet ad adstruendam sanctitatem conceptæ sine labe Virginis.

MItor primùm, eximiam spem declarandæ sine labe Mariæ nostrum Pontificem dedisse in eâ inscriptione, *Virgo concipiet*, quod aliis fortasè videbitur nimis è re esse ad exaltandam intemeratam eius Conceptionem. Nam cum summus Pontifex eam effigiem Matris Dei in noua Moneta impreserit, quæ alia signa immaculatæ Conceptionis habet, nullique alij mysterio ipsa Imago videatur attribui posse. Non Assumptioni; quia nullus circumstat Angelorum chorus, qui eius eleuationi assistat, de quâ eleuatione, & Angelis adstantibus videri potest Suarez tom. 2. in 3. part. disp. 21. sect. 2. Non Annuntiationi, quia nullus adest Angelus, qui salutet. Non Purificationi, aut Visitationi, quæ acciderunt post Conceptionem diuini Verbi, quam illa inscriptio supponit futuram, dum dicitur, *Virgo concipiet*, restat, vt sit Imago Conceptionis immaculatæ Virginis, quæ fuit ante conceptum diuinum, idque confirmant alia signa Conceptionis immaculatæ, vt Luna sub pedibus; iam enim vsus obtinuit, vt Luna subpedanea indicet immaculatam Virginis Conceptionem in eius iconibus; quamvis aliter ab interpretibus intelligatur Luna sub pedibus mulieris in cap. 12. Apocalypsis. Et quidem interpretationi Alcazaris obiicit Cornelius nimis subtilè, & poëticam esse potius quàm genuinam, & solidam, eamque intellexit de Ecclesia ad literam; in quo etiam intellectu Cornelius addit, significari victoriam de dracone, dicens: *Luna hic non vt fulciens mulierem (quomodo enim fulciret ipsa, quæ maximè est vaga, varia, errans, & instabilis) sed vt a muliere calcata proponitur. Hoc enim significat illud, & Luna sub pedibus eius; itaque Soli hic, qui sursum est, ipsa deorsum posita opponitur, ac significat res sublunares, variabiles, fluxas, & in perpetuo motu, fluxu, & refluxu positas. Agitur enim hic de bello, imò duello Ecclesia cum dracone: draconis autem arma sunt, terrena, & sublunares, vel illecebra, vel plaga, quas vel promittit, vel comminatur, & infligit fidelibus, has omnes cum Lunâ pedibus calcatur Ecclesia; itaque draconem superat, & proterit, alioqui ab eo superanda, & proterenda. Quare, & intellectus hic locus mysticè de Virgine, rectè etiam significabitur per Lunam suppedaneam immunitas eiusdem Virginis ab mutabilitate, & humana vicissitudine à peccato in gratiam, victoriamque antiqui serpentis, cuius caput calcans contriuit in sua Conceptione. Præterea, accipiendo Lunam in bonam partem, aptissime congruit cum circumscriptione, *Virgo concipiet*, hieroglyphicum Lunæ in effigie Virginis: nam, vt inquit idem Cornelius: *Luna cum puritate iungit fecunditatem: est enim parens rerum. Vnde in numismatibus Cornelia Augusta (vti refert Pierius Hieroglyph. 44) cum Luna effigie; in aliis hæc inscriptio apponitur, fecunditas; in aliis,**

in aliis, pudicitia. Ita in Beata Virgine iunguntur summa virginitas, & summa maternitas, & fecunditas; vt de Christo rectè dicatur.

*Nec genitrice tua fecundior vlla parentum est,
Tot bona per partum qua dedit una suum.*

Vnde apte congruit Virgo concipiens cum puritate fecunda, cum Virgine concepta, etiam per puritatem victrice, & conterente caput dæmonis, peccatum scilicet Originale.

Hinc iam cœpit clarare, cur in numismatibus suis sanctissimus Dominus non circumscriptit potius commune Conceptionis elogium, scilicet *immaculata Virginis Conceptio*. Planè quia magnum argumentum omnimodæ puritatis Marianæ est, quod dixit Isaias, *Virgo concipiet*, quoniam iuxta explicationem sanctorum de Virginitate Deiparæ, qui dicit, *Virgo concipiet*, dicere quoque consequenter poterit, & virtualiter prædicat: *Concepta est immaculata*; reddique simul rationem huius prærogatiuæ. Deindè, quia Virgineæ puritati, cum concipit actiuè, respondet benedictio cœlestis, dum concepta est passiuè, iuxta doctissimos Scholasticos. Tandem quia incorruptio Conceptionis actiuæ infert puritatem in passiuam, secundum Patres antiquos.

Atque vt auspicemur hinc, hæc verba, *Virgo concipiet*, quibus exprimitur Conceptio actiua Virginis, quæ est diuina Conceptio, continent encomium Conceptionis eius passiuæ, quod fuerit immaculata, probant quidem, adè, vt quantumuis ea effigies non fuisset Conceptionis, sed vtcumque simpliciter Imago Virginis; per illam tamen inscriptionem Conceptio eius immaculata commendaretur, iuxta Patres; qui ex Conceptione actiua sine virili femine colligunt passiuam fuisse sine diabolico, hoc est, sine peccato originali. Sanctus Fulbertus Carnotensis in expositione salutationis Angelicæ Virginem alloquens, inquit: *Electa es insignis inter filias, que immaculata semper exististi ab exordio tua creationis, que paritura eras creatorem totius sanctitatis*. Et orat. de ortu Virginis dicit: *Quanta putamus prouiso fuerit sanctorum Angelorum circa tam Dei gratissimos parentes ab initio procreationis, & excubatio super tam ingentem sobolem: nunquid abfuisse credendus est Spiritus sanctus ab ista eximia puella, quam suâ obumbrare disponebat virtute?* Sanctus Germanus in orat. de Natiuitate Virginis, loquutus de Conceptione eiusdem passiuæ, vt constabit legenti (minimè enim loquitur de Conceptione Christi) adaptat illi instanti salutationem Angelicam, sic salutans conceptam puellam: *Aue gratius referta, Dominus tecum, qui postea ex te, antea tecum, nunc quidem adaptans vterum suum sibi diuersorium, nunc è carne tua magnum efficiens Incarnationis mysterium*. Loquitur de duabus Conceptionibus, Christi, & Mariæ: igitur iuxta sanctum Germanum adaptauit vterum Virginis Dominus in Conceptione eius, vt digna esset Conceptione Verbi: in illa Conceptione fuit Dominus cum Maria: in ista fuit ex Maria: illa Conceptio fuit prior; ista posterior. Similiter & Chrysippus orat. de laudibus Virginis vtramque Conceptionem respiciens, ait: *Tecum est conditor omnium, vt ex te gignatur, tecum Conceptione, vt ex partu tuo generetur; tecum velut Deus, vt ex te sit Deus, & homo*. Loquitur specialiter Chrysippus, de gratia, *Ioan. Euseb. Op. Parth.*

& assistentia diuina, quam habuit Maria ante Incarnationem, quasi dispositionem, vt ex ea filius Dei homo fieret, idè dixit: *Tecum Conceptione, vt ex te gignatur*, nimirum, tecum Conceptione passiuæ, vt ex te gignatur Conceptione actiuæ. Et rursus: *Tecum vt Deus, vt ex te sit Deus, & homo*: intelligendum est de Conceptione passiuæ Virginis, in qua, & à qua disposita fuit diuinitus sacratissima Virgo, vt ex ea filius Dei gigneretur. Neque enim istud potest intelligi de actiua Conceptione, quæ nondum erat, nec ipsa idoneè assignaretur dispositio ad se ipsam, nec sensum tam citò debuit variare Chrysippus. Faustus Rhegiensis in responsione de ratione fidei dixit: *Non enim violata est partu, qua magis est sanctificata conceptu, qua absque omni peccato concepta est in utero*.

Hoc ipsum probant non inefficaci ratione aliqui Scholastici, & latius Ioannes Bachon ad illud Genesios: *In nomine tuo benedicentur omnes gentes*, iuxta Apostolum; quoniam semen Abrahæ erga Christum non potuerit esse immediatum, sed mediante femine, ex quo formata fuit Deipara in utero sanctæ Annæ. Quod connotat etiam prophetia illa, & benedictum dicitur, quod videtur etiam sensisse sanctus Damascenus, cum dixerit: *Beatos Ioachim Iumbos, ex quibus immaculatum semen profuxit*. Vndè ratione carentiæ feminis in Conceptione Virginis actiua, benedicitur illi semen in passiuæ, ex quo formata est, ac propterea immaculatè concepta; quia exinde formandum erat corpus Christi. Vndè ausus est dicere doctissimus ille Theologus in 4. sèr. dist. 2. q. 1. art. 1. inter alia: *Christi enim generatio, siue, Conceptio non dicitur benedicta, vel sancta præcisè sed simul connotando Conceptionem seminalem Matris, & hoc, connotatione singulari. Verbi gratia, quod dicitur Genesis duodecimo, & decimo septimo Abrahæ: In semine tuo benedicentur omnes cognationes terra, exponit Apostolus ad Galatas non præcisè de Christo, benedicentur &c. sed connotat, id est, simul comprehendit seminalem Conceptionem, qua descendit de Abraham. Vnde, ibi: Abrahæ facta sunt promissiones, & semini eius. Apostolus, ibi: In semine tuo, quia connotat Conceptionem seminalem de Abraham, & etiam singularem. Et hoc est, quod dicit Apostolus: non dixit in seminibus; quod est Christus. Se seminalis Conceptio illa singularis non potest intelligi nisi de semine illo, de quo constat semen Mariae, de qua in singulari dicitur Rom. 1. Christus factus est ex semine Dauid secundum carnem, &c. Et sic exponit Glossa, ibi. Sanctitatem autem, cuius potuit esse capax fœtus Virginis inanimatus; explicat liber de perpetuo obiecto, cap. 3. o. §. 3.*

Alius eximius Theologus, Gabriel scilicet, adè connexuit Maternitatem diuinam cum immaculato conceptu, vt ipsam passiuam Virginis Conceptionem appellauerit quasi Originalem Christi Conceptionem: & planè memoranda sunt illius verba in serm. 1. de hoc festo, circa finem, loquens de passiuæ Virginis Conceptione. *Illam Conceptio formatio fuit substantia corpulenta à filio Dei postea pro nostra assumptione assumenda. Ac per hoc Conceptio futura Matris Dei fuit quasi quadam Originalis Conceptio Christi*.

Præterea, qui dicit *Virgo concipiet*, vt indicauimus etiam consuetarie dicere oportet, *Concepta est immaculata*; imò consentaneum est ita dicere

secundum expositionem sanctorum Patrum, de Virginitate Deiparæ, includentium in ea non solum puritatem corporis sine aliqua carnis corruptione, sed puritatem animæ sine corruptela maculæ peccaminosæ. Nec minorem hanc puritatem, sine virginitatem animæ requirunt, quàm carnis. Vnde sicut in hac semper fuit Deipara Virgo, sic in illa. Quare qui dicit, *Virgo concipiet*, dicit inde: Pura est concepta. Sicut enim non posset dici semper Virgo in carne, si semel fuisset illi apertum claustrum pudoris, etiam si illi postea miraculosè clauderetur; sic nec posset dici semper Virgo, & sancta in animâ, si semel aperta esset illi ianua dæmoni. Sicut autem sanctitas corporis, iuxta Apostolum, est castitas; sic sanctitas animæ est gratia habitualis. Cùm igitur talem castitatem corporis habuerit Virgo, vt integerrima, continua, & indeficiens illi fuerit in summo gradu per gloriam Virginitatis: sic talem sanctitatem animæ maior ratione habere debuit, vt coëua, & indefectibilis illi esset. Hinc sanctus Cyprianus de Natiuitate Christi, vbi Deiparam asserit à labe Originis immunem, dicens: *Illud vas electionis plurimum à ceteris differens, natura communicabat, non culpa.* Id mox confirmat ex virginitate animæ, his verbis: *Vnde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ carnis, & mentis integritate insignis, &c.* Similiter & sanctus Bonauentura in 4. sent. dist. 3. art. 2. quæst. 1. *Congruum fuit, vt illa, quæ placuit altissimo, adeo vt feret sponsa, & Mater filij Dei unigeniti, sic esset immaculata mente, sicut intemerata carne.* Sanctus Ambrosius lib. 2. de Virginitate, ait: *Gratia abyssum inuenit Virgo, quæ duplicis virginitatis nauem incolumen seruauerat, animamque non minus quàm corpus virginem custodierat.* Sophronius Senior lib. de Assumptione: *Ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* Inde Albertus Magnus cap. 181. super *Missus est*, definiens essentiam Virginitatis, sic inquit: *Virginitas est recessus ab omni malo.*

Tandem magnopere expendendum est, quanta sit gloria, quod *Virgo concipiat*, vt inde sumant argumentum Patres, quod conceptus sit persona diuina infinitæ, ac naturalis sanctitatis. Vnde non mirum, si etiam inde argumententur, vt concipiens fuerit semper sancta, immaculata atque etiam in sua passiuâ Conceptione. Maius enim priuilegium est, concipere Deum, quàm concipi puram, & in prima formatione esse sanctam: hoc enim habuit Adam, habent & Angeli. Patres autem, qui à Virginitate Matris argumentati sunt ad diuinitatem filij probandam, sunt Patres Concilij Ephesini, disputantes aduersus Nestorium, probaturi filium Virginis esse Deum; & inter eos præcipuus est sanctus Cytillus Alexandrinus. Sunt etiam Patres Concilij Francofordiensis, disputantes aduersus Elipandum, & Felicem Virgelitanum. Sanctus Athanasius in lib. de incarnat. Verbi, eiusque corporali ad nos aduentu, paulò ante medium: *Ex Virgine, inquit, sibi ipsi corpus formauit, vt nobis non tenue argumentum sua diuinitatis exhiberet, Deum, qui hoc sibi corpus formauit, aliorum quoque conditorem, & formatorem esse. Quis enim videns sine viro ex Virgine sola corpus prodire, non secum cogitat, eum qui sub tali corpore appareat, esse quoque ceterum corporum, & conditorem, & Domi-*

*num? Proclus Constantinopolitanus orat. 1. in Deiparam: Nisi Mater (ait) Virgo mansit, nudus homo extitit ille qui natus est: nec admirabilis ille parens fuit. Quòd si post partum Virgo permansit, nonne & Deus erat, & mysterium in hoc ineffabile est? Sanctus Sophronius Hierosolytanus in Epistola Synodica, quæ lecta est, & probata in Synodo sexta œcumenica, Act. 11. Et Virginem conseruat, inquit, genitricem suam, & Dei Matrem propriè, ac verè eam ostendit. Sanctus Augustinus, serm. 7. de Natiuit. ait, Christum mirabili modo esse natum: *Vt cum hominem testaretur partus humanus, & Deum probaret æterna Virginitas.* Sanctus Bernardus Homil. 2. super *Missus est*, ait: *Talis congruebat & Virgini partus, vt non pareret nisi Deum.* Etherius Vxamentis Episcopus, & Beatus Presbyter in libro de adoptione Christi filij Dei probant diuinitatem filij, & eius sanctitatem naturalem, non adoptiuam, ex Virginitate Matris, dicentes: *Quis est filius Dei, nisi Deus, quem Virgo peperit Maria? Perspicuè etiam postea: quomodo non est Iesus Christus Deus Dei filius, qui de Virgine natus est? Deinde dicitur: Hoc totum quare diximus, nisi & Iesum Christum, qui de Virgine natus est, verum Deum, & verum filium esse proprium firmaremus.* Sanctus Eulogius Alexandrinus Homil. in ram. palmar. sic inducit Virginem loquentem: *Non enim mundo peperit purum hominem, sed Deum incarnatum: cuius rei testis est locuples constans Virginitatis signaculum.* Paulinus Aquileiensis in lib. 1. trium, quos scripsit aduersus Felicem, gloriam Resurrectionis Christi, tanquam Dei, confirmat ex Virginitate, & sanctitate suæ Matris, dicens: *Per id enim resuscitatus crederis, quòd de sancta Virgine nasci dignatus es.* Sic etiam omnes Patres Concilij Francofordiensis in Epistola ad Episcopos Hispaniæ probarunt ingenuitatem Christi, tanquam filij Dei, ex puritate Virginis, etiam Originali. Sanctus Thomas etiam in 3. p. quæst. 28. art. 2. asserit hanc auctoritatem Concilij Ephesini: *Quæ parit carnem puram, à Virginitate cessat: sed quia natus est in carne Verbum, Deus custodit virginitatem, se ipsum ostendens per hoc Verbum. Neque enim nostrum verbum cum paritur, corrumpit mentem; neque Deus Verbum, substantialem partem eligens peremit virginitatem.* Egregiè tanquàm sanctus Anselmus cap. 5. de excellentiis Virginis dixit: *Virginitas Maria diuinitatem Christi honorauit.* Adeo supereminens, & super summum genus virginitatis integræ, vnde quaque æternæ, miraculosæque agnoscunt ex scriptura Patres fuisse in Deiparâ; vt non mirum inde colligant Deum esse prolem, cuius causa tantæ puritatis splendore Mater præmunita, & condecorata sit: indeque munditia asseritur, vt quoad fuerit immaculata, & sancta esset carne, & anima, concepta sancta, & concipiens sanctissima,*

§. III.

*Ratio habita in sacra Scriptura nominum,
& Descriptionis septuaginta duarum literarum ad aliqua mysteria notanda.*

Consideremus deinde nomen sanctissimi Domini: nec enim contemptui habendum est omen, quod ex sacro eius nomine potest reuerenter optari, & sine superstitione suspici (cui tot præterea insunt signa, & insignia memoranda) ratio enim nominis pro auspican- dis spe felici, seu præsignificationibus optan- darum rerum plurimi semper facta diuinis, hu- manisque constat literis. Prætermitto Ethnico- rum nãnas, cum tot, è diuinis grauissima testi- monia suppetant. Quid aliud ostendunt è cæ- lo data nomina, vt congruum personis prænun- tium essent? Samsonis, Ioannis, & sacrosan- ctum nomen Iesu Dei filio inditum. *Ipse saluum faciet populum suum.* Quid nomina suis Disci- pulis à Christo imposita, præsertim Simoni Cephæ, vt cum petra conueniret; indeque vim, & significatum petræ Petrum nomine inducere significaret? Quid vel vnus detra- ctio, additioque literulæ nominibus Abraham, & Sacræ? Quid quatuor illarum mysterium in sacrosancto nomine Tetragrammato? Quid alia sexcenta passim à Patribus obseruata, præsertim Augustino, Gregorio, Beda, circa numerum, vim, aliasque litterarum supputationes? Quin & summis Pontificibus opportunè obseruaba- tur, quibus is fuit mos mutandi nominis, & ac- ciendi, plerumque illius, quod pro cuiusque placito, spe aut iudicio, vel alio respectu fau- stum quid, aut pium promitteret? Sanè, vt quod nomine præferunt, opere compleant. Nam vt dixit sanctus Epiphanius hæresi 78. *Ex ipsis nominibus etiam virtutis signa elucent.* Vnde, non mirum, si vtar nomine sanctissimi Domini ad spem nostram feliciter roborandam. Non vt vanè velim indu futura vaticinari, sed quod prudenter ex electione, & nuncupatione egregiorum nominum sperem animos habentium illa, aut eligentium excitari ad magna, aut meditari grandia. Nec peccabo, quòd iuxta Sanctitatis vtrumque nomen coniunxerim (quan- doque etiam Simonis cum Petri nomine ratio in Scriptura habetur) hinc enim etiam innuitur, priuatum illum, quem habuit, optimumque af- fectum erga mysterium immaculatæ Conceptionis, roborandum, perducendumque esse Apo- stolica accessione ad optatum effectum. Maximè cum præclarissimum Chisiorum stemma, quod huic rei adaptare oportet; conuiueat omnino, nostroque assonet instituto. Item & Fabij adhuc nomen maximum quid commoere videretur à Fa- bio Maximo deductum. Et quidem tantorum nominum conuentio antiqui Fabij, & noui Alexandri magnas spes fortassè fouebit, & me- morat, nam vt venustè quidem cecinit.

*Si veteri Fabio cognomen, Maximus; at iam
Longe alius, reque, & nomine maior adest.
Maximus hic Fabius, verum nec maximus esset
Optimus Antistes, ni simul ille foret.*

E Fabro fit Alexander: sed maior utroque.

Ipsi sibi exemplum est, & decus ipse suum.

Ioan. Euseb. Op. Parth.

*Cedat Alexander Magnus, nam maximus hic est,
In terris vno, dum minor ille Deo est.*

Omitti itaque nomen Fabij non debuerat, quippe cui honos Cardinalitij tituli ab ipsa Dei- parente sanctissima Maria in Populo nuncupata acceperit, indeque gradus ad Pontificium cul- men sub protectione Deiparæ ab ipso in Eccle- siæ populo honorandæ, totique hominum po- pulo Immaculatæ sancientiæ. Quod planè satis significat, cum futuræ postea pacis promissione vtrumque nostri Pontificis nomen, cum Fabij Chisij ante Pontificatum, tum Alexandri VII. cum denore debito eiusmodi prolati, cum signi- ficatione mutati nunc, quod antea erat, nimirum Fabius Chisius, & verè *hic erat antea* sanctissi- mus Dominus, sed iam non est, cui iam ad pri- uatas affectiones omnino nec Fabij, nec Chisij nomen est. Quam copulam vtriusque nomina- tionis in libello supplici obruli sanctissimo Co- mino, adiecto planissimo anagrammate, ipsissi- mumque nolo hic repetere, sed alia æquipollen- tia eiusdem, & quidem aptissima planè nomi- na sanctissimi Domini, quod olim Cardinalis habuit, & quod nunc Pontifex, habet, decen- ter prolatum, hæc sunt, cum allusione ad quar- tum locum inter Pontifices Senenses, quem habet, per anagrammatismum transuertenda.

*Sanctissimus Pater, & Dominus
Alexander Papa Septimus,
qui erat antea
Fabius Chisius.*

ANAGRAMMATA.

*Quartus ne à Sena Papa
is Dei Matri charus,
is stuet labem ipsi defuisse,
Tunc omnis pax.*

ALITER.

*Quartus Papa à Sena
charus is Matri Dei
labem is stuet ipsi defuisse.
En tunc omnis pax.*

ALITER.

*Senensis Papa Quartus.
labem defuisse Matri Dei
pius statuit.
Tunc Monarchijs sana pax.*

ALITER.

*En quartus è Sena Papa
Dei Matri charus.
Si is labem ipsi defuisse statuatur,
Tunc omnis pax.*

X x 3 Fortasse

Fortasse opponunt aliqui in hoc genere elementariae constructionis, quod sit per modum resolutorium, & deinde compositorium non debeant considerari quae communia sunt, ut *sanctissimus Pater, & Dominus*, nec qui ante erat, nec *Christus*. Ad hoc dico, postea proponenda esse plura anagrammata simpliciora nudi nominis Alexandri VII. nunc censui, non nudè, sed cum splendore, & decore, maioreque notitia commendandum propter rationes supra insinuat. In hoc Anagrammate septuaginta duo elementa continentur, qui numerus satis est in scriptionibus sacris apud multos celebris, & mysteriis apud nonnullos plenus, adeo ut in cap. 14. Exodi tres extent versiculi valde arcani, qui totidem constant literis, prout multi notarunt, ex quibus hæc scribit Petrus Bungus in Num. *Est quidam textus in Exodo tribus versiculis contentus, quorum quilibet septuaginta duabus scribitur Hebraicis literis, quorum primus incipit Vaysa, secundus Vayavo, tertius Vaiot, qui unam in lineam extendit, videlicet primus, & tertius à sinistra in dextram, medius vero conuerso ordine à dextra incipiens terminatur in sinistram; tum singula tres litera sibi subalternata constituunt unum nomen, quae sunt septuaginta duo nomina, quae Mecubales Schemamphoras, hoc est, expostorium vocant, quibus si in fine addatur nomen diuinum El, vel Iah, producant septuaginta duo Angelorum nomina trisyllaba, quorum quilibet. Fert magnum nomen Dei, sicut scriptum est: Angelus meus praecedet te, obserues eum, est enim nomen meum in illo. Et hi sunt qui praesident septuaginta duobus quinaris celestibus, totidemque nationibus, & linguis. Verum est aliquos cum Cornelio à Lapide aduertisse hæc omnia esse cabalistica, & in Hebraica lingua usitata, & toleranda ob conditionem specialem eius; in aliis non æquè; etsi Patres aliquando in hoc diuagati sint, de numeris plura meditantibus. At quidem potest considerari aliquod mysterium, quod septuaginta duo fuerint à Deo afflati interpretes; item & septuaginta duo Discipuli Domini, qui fidei mysteria gentibus propalarent, in quorum venerationem, & substitutionem constat etiam eodem numero Cardinalitium Collegium. Totidem etiam anni fuerunt vitæ sanctissimæ Deiparæ, per totam illam in omnibus suis instantibus purissimæ, ut huius veritatis declaratio insinuetur, ex diuina inspiratione, ut speramus implendum à sanctissimo Domino nostro.*

§. IV.

Opportunitas eligendi sanctissimum Dominum Alexandrum VII. notandaque Alexandrorum Pontificum erga immaculatam Conceptionem deuotio.

Hoc ipsum piis indicat opportunitas electionis huius felicis Pontificis, quæ fuit cælitus disposita die 6. Aprilis huius anni 1655. & publicata die sequenti: qui dies sextus immaculatæ Conceptioni faustus, imo fastus possit reputari; cum in eo acciderit celebre illud apud Duacenses miraculum, de quo solidum ad Apo-

stolicam Sedem spectat iudicium, cui in omnibus summittimur, licet de illo Amatus Franciscanus, & noster Balinghem in Kalend. hæc testantur: *Anno 1553. arsit Monasterium Franciscanorum Duaci cum templo, in quo incendio id mirabile præter cætera accidit. Altarium tabellis omnibus concrematis, sola tabula sacelli Conceptionis remansit intacta, quæ adhuc hodie ob singularem picturæ excellentiam ab omnibus auidè conspicitur.* Eodem die optimi Pastoris exemplum memoratur, & accidit Fulberti scilicet Episcopi Cameracensis, qui, interpellata præcibus sanctissima Deipara, populum miraculosè liberavit ab hostibus, ut testantur Baldericus in Chron. lib. 1. cap. 74. Coluenerius in suo kalendario. idemque speramus à bono gregis Christi Pastore Alexandro VII. per propitiationem Deiparæ in quietem, & pacem populo Christiano restitutum. Idem dies festus, & natalis est sancti Cælestini Papæ, inuicti defensoris dignitatis Matris Dei contra Nestorium, qui eam non Dei, sed hominis tantum Matrem mentiebatur, qui à Concilio Ephesino, cui per legatos præerat Cælestinus, damnatus est. Reçtè in festo huius sancti designatus est pontifex, qui post illum, maximum, & consequentem honorem Deiparæ reddat. Sequens autem dies, nimirum septimus Aprilis, accidit, & memoratur obitus magnorum seruorum Dei, & Matris eius deuotissimorum. Tunc enim accidit mors sancti Auberti Monachi Crispiniensis; tum etiam tenerrimi Deiparæ filij, & amantissimi sponsi Iosephi Hermanni, qui iussu eius scribens in Cantica, Conceptionem celebravit immaculatam. Ipse dies deuotissimus fuit olim Beatæ Virgini, ob solitum aduentum eius cum puero Iesu, & sponso Iosepho in Hierosolimam, quæ est visio pacis, visitaturæ templum Dei, & per septem dies adoraturæ ibi Dominum. Expectandum quoque est, videndam fore pacem populo Christiano, visitandamque Ecclesiam, templum scilicet Dei spirituale per sanctissimam Deiparam in Pontificatu sanctissimi Domini nostri.

Stimulat spem nostram patria electi Pontificis, quippe Senense territorium feracissimum sit colentium, & defendentium immaculatam Conceptionem, ut nec ipsi Dominicani in hoc excipiantur. Planè nemo neruosius, & ardentius illam tutatus est, quàm Ambrosius Catherinus, Senensis quidem, ut quamuis ex Prædicatorio Ordine, nihil propterea minùs ardens visus sit, imo ardentior multis. Deindè cum Senensis vrbs anno 1520. vouisset festum Conceptionis ab omnibus in sua ditione degentibus celebrandum, renuebant Dominicani, ortumque est dissidium inter eos & Senenses. Res delata est ad summum Pontificem, nempe Leonem X. qui, expedito diplomate, iussit, ut Dominicani Senensibus conformarentur, celebrarentque festum Conceptionis, ut illi voverunt. Quod ipsi fecerunt, Pontifici obsequentes. Ita refert oculatus testis Ambrosius Catherinus in præfatione ad capitulum generale sui Ordinis, & in libro de hac controuersia. Nec est silentio præmittendum, quod dicit D. Antonius Calderon cap. 13. *Dominicanos illius ditionis ex præcepto Sedis Apostolicæ centum & amplius annis ante decretum Gregorij XV. celebrasse festum immaculatæ*

immaculata Conceptionis, & quidem iuxta officium Nogarolicum; hoc enim tunc temporis erat in Breuiario Romano, & ab omnibus frequentabatur, qui festum Conceptionis celebrabant.

Speçtat ad dicta occurfus Pontificum, qui Alexandri nomine decorati fuerunt, Conceptioni Virgineæ valde fauentium, atque vt penitus non omittam Sanctum Alexandrum Papam primum, in cuius tempore nulla controverfia fuit circa hoc mysterium, nec ab vilo tunc vocatum in dubium in illis Apostolicorum virorum temporibus, imò maxime ij ex doctrina Sancti Andreæ, Sancti Matthæi, & aliorum Apostolorum, immaculatissimam, atque plusquam Angelicam puritatem Virginis commendatam; sicut fecit Sanctus Ignatius Martyr in Epistola quadam, testes laudans ipsos Apostolos, qui longè procul amandabant omnem impuritatem à Christi carne, munditiamque totalem in illa requerebant, etiam in Matre eius. Iuxta hæc sanctissimus Dominus Alexander quamdam attentionem habuit, cuius ratio maxime fuit immaculata Conceptioni: nam post Apostolicam institutionem iussit, vt non in fermentato, sed in pane azymo fieret consecratio, vt purior haberetur, prout testatur Ciaconius, & Platina in vita Pontificis. Quòd si tantam rationem habuit puritatis carnis Christi, vt ad transubstantiationem, in qua non assumitur substantia panis, imò potius definit ad præsentiam substantiæ corporeæ Christi, requisivit omnimodam puritatem in illa substantia desitura, quanto magis ad Incarnationem, in qua ex substantia carnis Virginis facta fuit caro Christi, requireret omnem puritatem in Beata Virgine sine vilo fermento veteris Adami. Hinc etiam alludens, & consentaneus, iuxta præceptum Alexandri, ad hostiam azynam, & purissimam sanctus Leo, adiecit illa verba in Canone, vt testatur Innocentius Papa: *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam*, ipsam scilicet *Eucharistiam*, vt ait Gabriel in Canone, lect. 5. & explicat: *Hostiam immaculatam, quantum ad carnem de sanctissima Virgine*. Sic etiam Odo Cameracensis in expositione Canonis, dist. 3. ait. *Est sine viro Sancta Virgine concepta, ideo immaculata*. Et paulò post: *De pura ab omni peccato creditur conceptus; & natus; ideo immaculata*. Postea subdit: *Ab immaculata ergo sumpta est hæc Hostia; ideo & ipsa immaculata*. Quæ causalitas intelligenda est à posteriori, non à priori; quoniam caro Christi est immaculatissima, meruit, vt eius puritas communicaretur Matri, per quam disponderetur ad tantæ susceptionem prolis.

Alexander secundus dicitur approbasse Officium Conceptionis immaculatæ, simul cum alijs Ecclesiasticis liberis Ecclesiarum Hispaniæ, quod fecit in Concilio Mantuano, celebrato anno 1064. vt testatur Historia Compostellana; & post alios Coriolanus in Chron. ad dictum annum, vbi ait: *Statuto tempore Alexander Papa cum Episcopis, & Cardinalibus Romanis Mantuam venit, ibidemque non nemo Episcoporum Lombardia, excepto Cadaloo iudicium fugiente, accessit. Adfuerunt, & Hispaniarum aliquot Episcopi, deferentes libros Gothicos Rituales, à quibus cogniti, iuuenti sunt orthodoxi.*

Alexander III. Senensis, qui profectò dici Magnus potest, adeo egregiè sensit de plenitudi-

ne gratiæ Mariæ, vt in Epistola ad Soldanum Iconij dixerit: *Hinc migravit sine corruptione iuxta verbum Angeli, imò Dei per Angelum, vt plena, non semiplena gratia esse probaretur, vt Deus filius eius antiquum, quod pridem docuit mādaturum, fideliter adimpleret, videlicet, Patrem, & Matrem honore præuenias, vt ne caro Christi virginea, qua de carne Matris virginis assumpta fuerat, à tota discreparet.* Cùm plenitudinem Mariæ gratiæ extendat, tum ad incorruptionem carnis, tum vltra vitam, quanto magis in illa comprehendit incorruptionem animæ intra limites vitæ, scilicet in principio ipsius vitæ, Conceptione nimirum. Hic etiam valde notandum est; hoc dici à Pontifice Romano in Doctrinæ Christianæ instructione, quam misit ad illum Principem, vbi non nisi certissima diceret.

De Alexandro I V. hoc saltem præiudicium habemus, quòd eximius fuerit amator, & fautor Franciscani Ordinis, qui ardentius à tempore Scoti in defensionem immaculatæ Conceptionis conspiravit, & doctissime laboravit.

Alexandrum V. quidam olim retulerunt, non bene rei conscij, hanc de Conceptione controverfiam fauorabiliter terminasse in Concilio Pisano. Illud ego certè scio, egregiè commendasse hunc Pontificem immaculatam Virginis Conceptionem, tum in Commentarijs in Magistrum sententiarum, tum in peculiari tractatu, quem fecit de immaculata Conceptione, in cuius fine hæc dicit, quæ meis ipse oculis legi: *Firmiter credo, & similiter fateor, quòd Beatissima Virgo Dei genitrix super choros Angelorum exaltata, nunquam fuit sordibus Originalis criminis deturpata.* Et paulò post: *Sola igitur deuotio, amantissimi fratres, moueat puritatem ab omni crimine Beatissima Virginis Mariæ totis viribus commendare, ad cuius laudem, & honorem iste articulus motus extitit, quòd præsens in hoc terminatur.* Considerandum est, an prædicta verba dixisset Alexander, cùm iam erat Summus Pontifex, alloquutus omnes Christi fideles, tanquam communis Pater filios. Nam hunc tractatum videtur aut absoluisse, aut perfecisse post Assumptionem suam, atque occasio fuerit, vt nonnulli deciperentur, dicentes, ab hoc Alexandro definitam hanc veritatem.

Quid dicam de Alexandro VI. qui valde sollicitus fuit celebrandæ immaculatæ Conceptionis, cuius obiectum non solum comprobauit esse ipsam Conceptionem Virginis à peccato originali immunis; verum etiam omnes alias opiniones explosit in motu proprio, qui incipit *Illius qui vbi cum inuississet Sixti IV. Extrauagantem: Graue nimis*, pergit prohibens Pontifex illas varias opiniones circa contenta in literis Sixti contra eorum tenorem.

De Alexandro VII. sanctissimo Domino nostro plura dicuntur, sperantur, sunt & dicentur, æternumque ex hac parte consequentur nomen.

§. V.

Anagrammata ex sacris literis.

Vnde non mirum, si postea connectam alia anagrammata ex simplici Alexandri VII. nomine, & Chisiorū stemmate, quæ illustrandam puritatem Deiparæ, & pacem subsequendam promittant. Prius oportet aduertere, posse aliquid minimè contemnendum in anagrammatibus contineri. Anagrammatica enim scriptio, licet prisca non vilitata, à paucis nunc ætatibus apud Latinos notior, hoc sæculo frequentissima est, ipsius nihilominus artificium in sacris, ipsisque Mosais voluminibus considerarunt multi, atque per eam ausi sunt sacrum interpretati Textum, vnius nominis literas in vicem permutantes, vt aliud aliquid aliter coniugatæ significant. In prima voce sacre Scripturæ obseruantur varia anagrammata. Sic Rabbi Iacob author Hathurim. commentans primam vocem Geneleos *Beresith*, in omnes illam partes, haud infacere per anagrammata versat, quæ produximus: lib. 5. de origine sacre Scripturæ, cap. 15.

Sic illud Psalmi vigesimi: *In virtute tua letabitur Rex*, de Mefsia dictum probant nonnulli, quoniam *letabitur* permutatum, Hebraice facit *Mefsiam*. In titulo quoque Psalmi noni Dauidem vsus anagrammatismo obseruant Titelmanus, Richardus, Genomanus, Genebrardus, Drusus, Arias. Et pro *Nabal* dicunt scripsisse *Laben*, vt sic occultaret nomen inimici, dicens *Pro occultis Laben*; non aperte, & clara appellatione *Nabal*, sicut Psalmo septimo dissimulauit nomen Saülis, vocans illum *Chusi*. Aliter ab alijs anagramma digeritur, & *Laben* scriptum dicunt pro *Nabal*, id est, *nablo*, vt denotaretur instrumentum musicum, ad cuius sonum hic Psalmus concineretur. Nam in libro Paralipomenon primo dicitur, occulta cum nablis decantata: *Maasias, & Banaias, in nablis occulta cantabant*. Conuersio earundem literarum (nam facilius hic anagrammatismus) obvia quoque videtur in sacra Pagina, & vilitata Hebræis novit Sanctus Isidorus. Angeli quoque scripturam, quam vidit Rex Balthasar, sed non intellexit, anagrammaticè exaratam non pauci censuerunt.

In nouo etiam Testamento reperitur mirum, & opportunum planè anagramma, iuxta Vulgatam, ad illam Pilati interrogationem; *Quid est veritas?* Cui noluit Christus scilicet ipsa veritas, respondere; nescio ob quam arcanam, & altissimam rationem. Illud scio quòd in eadem interrogatione per anagrammatismum continetur adæquatum responsum, scilicet, *est vir qui adest*. Hæc dixerim, non quòd in singulis, vel vnoquoque dictorum anagrammatum affirmem esse mysterium, sed quòd suspicer potuisse in aliquo esse. Nimium enim in his, hæere reprehensum fuit in Pico Mirandulano, de quo potest videri Pererius.

Venio iam ad anagrammata, quæ illustrabunt stemmata Chisianæ domus, præterquam quod ipsa insignia muta satis prædicent puram, sanctam & immaculatam Virginem, etiam in sua Conceptione.

§. VI.

Nomen Alexandri VII. varijs literarum permutationibus expensum.

Mirum est, quot variis, quàm multiplici modo, tum insignia Pontificis nostri, tum nomen eius per varios anagrammatismos versatum, hæc duo videantur promittere, & illustrandam canonicè immaculatam Deiparæ Conceptionem, & deinde pacem communem consequendam: quod planè videtur iam olim fuisse Ecclesiæ sensus, cum in festo Conceptionis petat in oratione pacem per illius venerationem, & cultum, scilicet, *vt quibus Beata Virginis partus exitit salutis exordium, Conceptionis eius votina solemnitas pacis tribuat incrementum*, vt simillimum fiat hoc mysterium Conceptionis mysterio Natiuitatis Virginæ, de quo hæc habet, loquutus de celebratione nonnullorum festorum Ioannes Bachon lib. 3. Quodlibetor. quæst. 13. ad finem: *Ibi præferunt reuelationes de festo celebrando, & Ecclesia ad releuandum se à tribulationibus, & discordijs, consuerunt huius festa celebrare; idem in alijs debet facere similibus casibus emergentibus; sed hoc fecit, vt patet de Natiuitate Beata Virginis, qua statuebatur, quia quidam vir sanctus singulis annis audiuit Angelos cantare de illo, vt dicit Ioannes Belet, & Vincentius in Spec. Historiali, & cum esset magna discordia in electione Summi Pontificis statutum erat, quòd Ecclesia celebrarent, & sic pax, & electio est subsequuta, vt dicitur in legenda de Natiuitate; sed reuelationes sunt factæ de celebratione Conceptionis, vt probatum est particula 4. & Christianitas est in magna angustia intra se, & exlo nginquis, &c.* Hæc Bachon, agens de vniuersim statuendo festo Conceptionis, cuius auctoritatem ad veritatem mysterij hic non allego, vbi subobscure locutus est, cum mentem suam planissimè expresserit in 4. sent. dist. 2. quæst. 1. & seqq. sed ex hoc Quodlibeto eum a duoco ad confirmandam mentem, & omne statuendæ pacis, *propitiato Deo*, per exaltationem suæ Matris. Paritas autem à festo Natiuitatis oportuna valdè est: festum enim Natiuitatis iure consuetudinis Ecclesiæ non celebrandi nisi res sanctas, certam, & à nemine contradicendam fecit sanctitatem Natiuitatis. Vnde occasione impetrandi pacem, & releuandi se à tribulationibus, & discordijs, certam statuit Ecclesia sanctitatem Natiuitatis, vel primo hæc occasione instituto festo, vt insinuat prædictus grauissimus Theologus Bachon, vel saltem maiori solemnitate, & vniuersaliter accepta, dum iam instituta erat, vt ex alijs auctoribus colligitur (videantur Suarez tom. 1. de Religione, de festo Natiuit. Baronius ad 8. Decembris, & Ribadeneira in eodem festo, & legenda apud Iacobum de Voragine 8. Septembris) ergo eadem occasione oportebit exaltare Conceptionis mysterium, ita vt à nemine eius sanctitati contradicatur.

Celebrata etiam Visitatione Deiparæ obtinuit Virbanus V I. vnionem, & pacem Ecclesiæ. Mirificum planè est, quomodo Beatissima Virgo desperata diffidia, & bella sapè composuerit. Celebris sane pacificatio est, quæ accidit
anno

anno 1030. Conradi Imperatoris cum Rege Pannoniæ, de quâ Hermannus Contractus, Marianus Scotus, & Sigibertus. Insuperata quoque pax inter Regem Francorum, & Regem Angliæ, procurata per sanctissimam Virginem subito, & miraculose anno 1175. celebratur à Roberto Abbate de monte, & Mezero in Annalibus Flandriæ, cuius verba nolo prætere; nam magnam nobis spem conciliabunt: *Eodem anno Rex Francus, & Comes Flandria cum tribus filiis Henrici Regis Anglorum, Henrico, Ricardo, Godefredo, depopulata Nordmannia, Rothomagum caput gentis obsederunt; sed in priuilegio assumptionis Beatae Mariae, pace composita, decesserunt, & Angli Regis filij cum Patre redierunt in gratiam, redditaque sunt Anglo quacumque Francus, Flandrusvè in Nordmannia cepissent. Hanc pacem nulli non insperatam, Virgini Matri Rothomagenses acceptam tulere, amplissima ceremonia, gratissimisque animorum affectibus festum diem eius instaurantes.* Hæc ille.

Consideremus tam nomen Alexandri VII. in varia distributum anagrammata, conuenientia, respondentiaque gentilitiis Chistorum: stella illa, quid est, nisi cælestis lux; hoc enim Hieroglyphicæ, atque Ægyptiacæ scriptionis interpretes docent, stellam significare lucem cælitus missam, quæ sanè affulsura est sanctissimo Domino illustrando, ut veritates Catholicas decernat, exaltetque Conceptionem Deiparæ, cuius signum etiã est lucidissima illa stella exorients super cacumina montium; nam in primo ortu suo Deipara lucidissima fuit, & purissima, ipsisque Angelis superior, & sanctissima, quod indicant rami roboris in formam crucis compositi, quæ est signum sanctitatis, & benedictionis. Ceterum, & luce illa, siuè stella supra sex montes eleuata, potest significari Deipara immaculatè concepta, declaranda post sex secula, à quibus controuersia mota est circa Conceptionem. Nam in vndecim primis Ecclesiæ seculis nulla fuit controuersia circa omnimodam Virginis puritatem, ut latè ostendi in libro Exceptionum. Per montes autem posse significari sæcula confirmant nonnulli ex illo Abacuc versiculo: *Incuruati sunt colles mundi ab itineribus aternitatis eius*: alij iuxta Hebræum legunt, *montes seculi, siuè temporum*, nimirum, secula, quæ eminent, & quasi eriguntur in temporibus, respectu autem aternitatis incuruantur, & disparent. Itaque claritas Virginis sine labis obscuritate conceptæ, post sex secula à tempore Sancti Bernardi refulget, imò fulgidius elucebit per cælestem lucem sanctissimo Domino Alexandro communicatam. Quid inde nisi serenitas pacis? quæ pax etiam denotatur per ramos illos roboris, qui sese inuicem amplectuntur, & connectunt. Hanc planè felicitatem annuntiabit Deipara exaltata, propitia stella est, & beneuolum sydus.

Vndè Giselbertus cap. 7. Altercat. ait: *O Maria! Mater matrum, Virgo virginum, stella stellarum.* Sanctus Odilo in Hymno de Natiuitate Beatissimæ Virginis: *Sydus inclitum, illustrans omne seculum, per quod dies, & tempora assumunt vite lumina.* Et Hermanus Contractus, qui in laudem Beatissimæ Mariæ Virginis composuit *Salve Regina*, in prosa eius dixit: *Aue Maria stella, in lucem gentium Maria diuinitus orta. Euge Dei porta, que non aperta, veritatis lumen ipsum solem in fide induitum carne ducis in orbem*

Virgo decus mundi; Regina cæli, prælecta ut Sol, &c.

Toridem hoc, quod prædiximus, annuntiant grauissima variorum anagrammatum nominis Alexandri VII. quæ quamuis non leni, & plana oratione proferantur, arcanius aliquid, & diuinius videntur innuere, non verbis rhetoricis, sed sapientibus, non leuibus, sed ponderosis, non lepore, sed sensu plenis, ad instar septem gratiarum sapientium, & legum duodecim tabularum, imò velut oracula; nec tamen ea credimus talia, nec proferimus ut mysteria, solum proponimus ut incunda, atque opportuna significantia, atque hæc septem sunt pro septenario numero Alexandri VII. quibus intermixtis, ita alloqui illum, & supplicare potest populus Christianus: Sanctissime Pater:

ANAGRAMMA I.

Stes lux, en Dei param.

Silicet, dum *lux* super candelabrum *stes*, imò in ipso Romanæ Ecclesiæ cælo, super montium cacumina irradians, dum *stes lux*, dum geras illud fulgentissimum munus eorum ipse successor, quibus dictum est. *Vos estis lux mundi; quia per ipsos, exponit Augustinus serm. 43. de Sanctis, lumen fidei, vera scientia primum Dominus huic mundo tradidit.* Dum, inquam, *stes lux*, ô successor Petri, *en Deiparam*, cuius in te reuerberauit splendor, ut micans adeo lumen appareres. *Deiparam*, cuius fundamenta in montibus sanctis super Cherubicos, & Seraphicos montes eminentiori gratia illucentem, tua nos diuina luce doce, non minori lumine claritatis in sua creatione refulsisse, quam cælestes spiritus: ô tunc, ô quanta indè!

ANAGRAMMA II.

De lumine pax stares.

ID est, de tanto Deiparæ honore, & luce, velut in speculum pellucidissimum transmissa: ô quanta ipsi reflexura noua lux, qua omnes in pacis consilia Principes dirigeres, pacis mediatricem aduocans eam ipsam, quæ vnice *pacem apud Deum reperit*, ut sola dicere potuerit: *Facta sum coram eo quasi pacem reprensens.* Cum igitur *de lumine pax stares*, *stes* vtrique lux, quoniam.

ANAGRAMMA III.

Si lux, ad parentem es.

AD parentem, scilicet, nostram, misericordiæ Matrem; & genitricem Dei: quare, *si lux ad parentem es*, supplices optamus, & oramus, vt.

ANAGRAMMA IV.

Lex pura sit mandes.

CAnonicè decernens Originalis eius lucis puritatem, & firmissimè tenendam iubens, vt à nemine in dubium reuocari liceat, quod sanctum tua, & Ecclesiæ luce, ac lege colitur. Quanti roboris sit, *robur* tuum demonstrat. *Robur* illud, quod etiam pro felici stemmate clarissima familia dedit Apostolici roboris præuium. *Robur*, quod sub Alexandri nomine roborasti, Alexandri nempe, quæ vox, *robur viriliter*, & *strenuè auxilians significat*. *Robur*, quod quasi in ciuicam coronam tibi iam à Deiparà assignatum apparet, iuxta stellam stemmatis, immaculatam suam Conceptionem altissimos spæ sanctitudinis montes luce, & lege Apostolica illustrans. In ciuicam, inquam, coronam, pro gratiæ suæ perpetua asserta vita, quam tibi, vt olim Ildephonso, acceptam refert gratissima Virgo. Quid restat, nisi, vt forti brachio opereris, ruptas moras, atque strenue accingaris gladio tuo potentissimè, gladio scilicet, verbi Dei intendas, prosperè procedas, & opere ipso statim (te enim decet patriare glorio)

ANNAGRAMMA V.

Patres. Lux Dei manes.

Atque ita fiet, vt sicut.

ANAGRAMMA VI.

Das lumen; & pax eris.

PAx inquam, *eris*, inter Principes Christianos, & ad omnes lumen, vt quisque ex populo Christiano possit tibi gratificatus, congratulaturusque dicere.

ANAGRAMMA VII.

Parentis lux ad me es.

PARENTIS, nimirum, Dei, & Matris gratiæ, & misericordiæ, quæ illucescet nobis per misericordiam, & sibi semper per gratiam illuxit. Nec tibi deerit affulgens vmbra patrocini materni, vt desideratum pacis opus perficias, per desideratissimam exaltationem suæ omnimodæ puritatis: nam.

*Si Fabius quondam cunctando restituit rem.**Cunctando Fabium restituere Patres.**Cunctando Fabius, sed festinando peregit**Magnus Alexander dispare magna modo.**Iungat Alexandrum Fabio, qui dixerit, eia.**Festina lentè, sic benè fiet opus.**Est tamen, est quod clamat opus: fer opem, cito.**Virgent, festina, confice pacis opus.*

§ VII.

Septenarius numerus considerandus est in sanctissimo Domino nostro.

ECce cuiusdam consequentiæ vt inductum nomen Alexandri VII. cuius hæc sunt pura anagrammata, in idem omem, vt non tam casu, quàm de cælo videbitur alicui prouisum. Literarum numerus potest non vacare item mysterio. Constat enim nomen *Alexander septimus* (eiusque proindè anagrammata) septemdecim literis, complexo numero ex duplici perfectissimo; denario, scilicet, septenarioque, de quorum singulis Arithmetici, & Patres mirifica edisserunt, præsertim de numero septeno, qui specialem hinc emphasim habet, cum sit septem immediatè supra decem, id est; septimus supra decimum; numerusque septimus factus nostro sanctissimo Pontifici satis sit, cum enim septimum annum octies peregisset, septimum iam supra quinquagesimum agens, ad Apostolatus apicem assumptus publice septimo die mensis Aprilis vacante item Sede à septimo Ianuarij septimusque Alexander appellatus est; sicut & septimus Ecclesiæ Pontifex Alexander nominatus est: is fuit sanctus Alexander Papa primus, vt bonam indè spem concipere possimus, iuxta illud.

Omen inest numero; sanctus fuit ordine primus Sanctus, Alexander Septimus, alter erit.

Nec mirum, si de numero septenario non nihil notemus; cum de illo plura disseruerit sanctus Epiphanius lib. de numerorum mysteriis, quem latine edidit eruditissimus Petauus, ibi vocat Epiphanius septenarium, perfectum numerum, & celebrat viros, qui ordine fuerunt septimi, qualis noster sanctissimus Dominus; ideo ait inter alia: *Septimus Enoch ab Adam placuit Deo: ac velut triticum à zizaniis separatus est. Item: septem filiorum patris Iesse, septimus ab Abraham numeratur Moyses*. Sic possumus considerare, quod septimus Pontifex à sancto Petro fuerit sanctus Alexander primus, & etiam quod septimus à sancto Alexandro fuerit Beatissimus Pater Alexander VII. hoc nomine illustris. Ad excellentiam quoque huius septimi numeri refert sanctus Epiphanius. *Septem literis etiam Christi nomen constat*. Tandem ait: *Vt uno verbo completar; hic est commendatus & admirabilis ille numerus; quandoquidem disertis in scriptura verbis olim ista vociferatur Dominus. Honora diem Sabbathi, & sanctifica ipsam quoniam Deus in illa requieuit ab omnibus operibus suis, quæ facere cœperat*. In nostro quoque septimo Alexandro speramus nostris acquiescendum votis Spiritum Domini, & conquiescendum per illum orbem Christianum.

Nomen ipsum, scilicet Alexander VII. septemdecim literis constat, quibus septemdecim, vt omnia assonent mysterio, (præter anagrammata scripta) scribitur similiter, *Deipara sine macula*: Item: *Materia sine labe Adam*: Tum etiam: *Concepta sine sorde*. Haud contemnenda quoque consideratio est, quod nullus sit septemdecimus dies in mensibus totius anni, qui non sit præclarus pluribus beneficiis Virginis, aut commendatione eiusdem, vt videri potest in

in Kalendario Matiano Antonij Balinghem. Solum dicam, quod in 17. die mensis Septembris anno 1439. in Concilio Basileensi statuitur doctrina de immaculata Deiparæ Conceptione, simul cum renouatione festiue Conceptionis, quod Concilium, licet non fuerit approbatum, auxit non parum cultum immaculatae Conceptionis, valetque hæc renouatio, quatenus antea seruabatur: & postea à Sede Apostolica eiusdem festi obseruatio decreta est à Sixto IV. cessitque in Deiparæ honorem. Nam vt testatur Gononus in Chronic. ad annum 1439. *Cum vigeret grauissima pestis in ciuitate Basileensi, vbi tunc Concilium celebrabatur, eo ipso quod fuit facta Synodalis diffinitio, declarans, gloriosam Deigenitricem Virginem Mariam nunquam actualiter subiactis peccato Originali, immediate tota ciuitas experimento palpabili, celestique miraculo sensit auxilium diuinae misericordiae. Equidem remissa est, ac statim cessauit, que plurimum antea vexabat, pestis grauissima. Præterea, cum in Conuentu Monachorum Ordinis Cluniacensis infirmarentur de dicta peste tam de Religiosis, quam aliis personis quasi triginta, cum recepissent huiusmodi declarationis Bullam, qui erant infirmi, conualuerunt, cessauitque in dicto Conuentu pestilentia morbus. Ob pietatem scilicet suæ deuotionis, non ob vinculum obligationis; quoniam illa determinatio non fuit definitio, quamvis ita vocetur, imò licet fuisset definitio, non fuit legitima, cum nec ipsum Concilium tunc fuerit tale. Nec tandem aliena est numeri significatio in proprias literas numeri Romani redacta, scilicet, XVII. quorum anagramma est VIXI. quasi nomine ipso moneatur Sanctissimus. Nomen impleui, & Vixi. Item illud Prouerbij. Hoc fac, & viues. Amen: quod omnes apprecari oportet.*

§. VIII.

Notarica, suo elementares scriptiones ex sacra pagina cum Notaricis scriptionibus Moneta Pontificia.

NE quid autem intentatum maneat, cum inscriptus in Moneta *Alexand. VII. A. I.* partim sit per Notaricam scriptionem, siue, vt alij malunt, elementarem, de qua videri potest Sixtus Senensis, lib. 3. Bibliothec. qualis illa sit; aliqua eiusmodi anagrammata date oportebit, in idem conspirantia: quoniam hanc Notaricam, & elementarem scriptionem video celebrem apud Hebræos, Ægyptios, & Græcos. Et quidem in sacro Textu illam notauit S. Hieronymus in tradit. ex 3. Reg. lib. cap. 2. Clemens Alexandrinus V. Strommat. scribit: *Sacram Scripturam apud Ægyptios aut esse per prima elementa, que appellatur propriè loquens, aut esse symbolicam, que per signa significat.* Plato in Cratylo de nominum Etymologia, non dissimilem disciplinam tractat. Angelicam manum Maldonatus, Raderus, & Antonius Fernandez putant scripsisse per Notaricas literas sententiam Balthasaris Regis. Alia Notarica scripta ex scriptura obseruat Reuclius, Archangelus, Valuerdius, Morinus, Pineda, & alij. Celeberrimum quo-

que fuit apud S. Cyprianum, S. Augustinum, Beadam: & alios Patres nomen *Adam*, quod per Notaricam scriptionem significat omnes quatuor mundi partes, iuxta Græcum. Item nomen *Iethys*, id est, *Piscis*, apud eundem S. Augustinum, Optatum Mileuitanum, atque Tertullianum, quoniam per Notaricam elementationem legantur hæc verba, iuxta Græcum, *Iesus Christus Dei filius Saluator.* Quapropter Christus vocatus fuit *Piscis*, & Christiani, *Pisciculi*: imò si considerentur Notaricæ literæ Latinæ, nimirum, nominum *Adam*, & *Piscis*, non carent apta personarum significatione. *Adam* hanc habet: *Auctor damnationis afferens mortem*: sicut & *Piscis* istam: *Peccatores Iesus saluat immaculato sacrificio.*

Hoc supposito prætermittendæ non sunt aliqua scriptiones similes, iuxta numerum literarum, quas continet ex vtraque parte numisma Pontificium. Vbi ad sunt stemmata planè insignia sanctissimi Domini, hæc literæ effigiata apparent.

Alexand. VII. P. M. A. I.

Harum literarum interpretatio Notarica, seu elementaris hæc est.

Adami labis expers. Christi auctoritate nuncupabitur Virgo immaculata. Inde pax mundi, amor, iustitia.

In alia parte, vbi Deiparæ icon exhibetur, hæc elementa circumstant:

Virgo concipiet.

Quorum intelligentia per Notaricam scriptionem hæc est.

Virgo illibata, Regina gloriosa omnium concipitur, originalis nostra carens in sectione peccati, inimici eludens tyrannidem.

Imò in prima sola dictione huius scriptionis, quæ est *VIRGO*. hæc propositio elementariter commendatur.

Virga Iesse radicatur gratia originali.

In eadem numismatis facie, infra Virginis effigiem hæc iacet subscriptio: *Roma*, separata proles ab altera. Verùm in iisdem literis notaricè commendatur etiam Virginæ Conceptionis exaltatio: conficiunt enim has voces.

Rectitudo originalis Mariæ acclamanda.

Quòd si per conuersionem elementarem velimus anagrammatizare ex *Roma*, resiliet dulcis illa vox: *Amor*, iuxta adagium illud: *Roma communis amor*. Deipara quippè potiùs sit communis amor populi fidelis, eiusque immaculatae Conceptionis veneratio, commune desiderium, commune votum; quia secundum Notaricam scriptionem nominis, *Amor*, aptè concluditur: *Amanit Matrem omnipotens Rex*; ita scilicet, vt omnem defectum, & maculam in

ea non permiserit. Item: *Amabilissima Maria omnino regnans*: cum allusione ad Romam, quæ dicebatur semper regnans, & victrix inde pingebatur in numis cum victoria, & fortitudinis insignibus. Vnde Antonius Augustinus Dialog. 3. Antiquit. dixit: *In Vespasiani Caesaris numis Roma spectatur militis forma: in alijs videas armis insidere, victoriam manu gestantem, ut in Claudij Caesaris numis, ac Seruij Galba, qua corona se, ut orbis victricem, ornari gestiât. Gracis robur, virtutem, fortitudinemque significat. Hinc eadem, qua virtuti, ac Mineræ insignia Roma tribuntur, nisi quòd Roma victoriam dextrâ teneat.* Inspecto quoque solum significato vocis *Roma*, idem est ac robur, firmitudo, sanitas, quoniam nihil fractum, nihil corruptum, nihil ægrotum in Conceptione Mariana accidit. Tandem subiecta hæc inscriptio *Roma*, sub imagine Mariæ sine macula conceptæ, demonstrat pietatem optimi Pontificis eligentis Virginem Romanæ vrbs, imò iurisdictionis Patronam, ob huius mysterij venerationem quasi tutelarem ipsius, iuxta notata ab eodem Antonio Augustino Dialog. 4. *Nimirum argenteos primos numos Roma nomen duntaxat, ad eamque urbem, ac Deos ipsius tutelares pertinentia præferre.* Verùm ne obliuiscamur: sic incluta, & virilis Poëtria Sulpicia in satyra quadam sub Domitiano Imperatore scripta lusit.

— *Duo sunt, quibus extulit ingens
Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis
Per eandem quippe, quæ victrix debellauit dæmonem,
pacificandos homines expectamus; quandoquidem nunc.*

Et toto sauit Mars impius orbe.

Et quidem sub tanto Deiparæ patrocínio rectè posset vocari Roma Aurea, prout vocauit Clemens III. in suo numismate, cum aurea Ecclesiæ sæcula restitui speremus, spiritualiterque complendum, quod ipse sanctissimus Dominus Alexander VII. de felicitate Romæ olim iuuenis

argutissimè, & elegantissimè cecinit in Philomuso, poëmate 11.

*Orbis Roma decus, Dominatrix Roma potentum;
Quam bene conspicuum tollis ad astra caput!
Te fallax fortuna timet, quando omnia vincis,
Nec tibi; qua humanis iam nocuere, nocent.
Videmus annorum rabien in tua damna furentem;
Vidimus illatas vrere tecta faces.*

*Ipse quoque iratus tumidis pater obstiter undis,
Albula marmoreas dum rapit vsque domos,
Pulchrior ipsa tamen vitam de funere ducis
Et cecidisse inuat, dum magis esse datur.
Perge igitur felix, te diua volubilis auget,
Te quoque, dum tentat perdere, caca fouet,*

Iam non volubilis Dea, sed quæ super omnem volubilitatem calcat Lunam constanti gratiæ claritate tutelaris assignatur, Romam felicius spiritualiter fortunatura.

Verùm hæc multa pro breuitate, satis pro facultate, pauca pro affectu. Constat tamen ex his: Cur.

Præsidet Urbanis Virgo pulcherrima numis.

*Quo nummos temnas captus amore pio.
Simul etiam perspicuum erit, quam prudenter, & piè sanctissimus Dominus Alexander VII.*

*Argento Diua formam commisit, & auro
Illud candor obit, vindicat istud amor.
Hanc cupit ergo coli; nummosque insignit eadem,
Cuius adest fixo dulcis imago sinu.*

*Seu quo cum numis Diua proferret honorem,
Seu quo abeat numis aurea victa fames.*

*Seu quo tam firmo seruetur corpore Virgo,
Quàm faciles nummi mobilitate fluunt.*

*Seu quo non studeas perituris tempore garis,
Seu quo diues opes hac tuearis ope.*

*Seu quo thesauros discas per flumina mille,
Et Maria diti posse referre mari.*

*Seu quo cognoscas per quam toto athere aperto
Diuitia terris emicure Dei.*

*Et si Tartarèa gaudes te peste redemptum,
In pretium agnoscas, hanc peperisse Deum.*





SUPPLEX LIBELLVS,

Pro Immaculatâ B. Virginis Conceptione,
Et pace Christianorum Principum.

*Ad Sanctissimum Dominum Nostrum Alexandrum septimum,
Pontificem Maximum.*

Approbatio.



IC supplex libellus dignissimus est, vt in omnium lucem edatur, cum opportunè, & mirè assonet felici spei, quam populus habet Christianus de Sanctissimo Domino Nostro Alexandro VII.

AUGUSTINVS DE CASTRO.



PRÆNOTANDA.



Nagramma insertum in hoc libello supplici est purum, & satis mysticum, literis constans septuaginta duabus, pro numero Discipulorum Christi, & Collegij Cardinalitij, conspiraturi pro exaltatione Deiparæ, in obsequium Sanctissimi Domini Alexandri septimi, qui est quartus Papa Senensis, post Alexandrum Tertium, Pium secundum, & Pium Tertium, iuxta Spondanum ad annum 1159. Item ad annum 1458. atque ad annum 1503.

Præterea in 72. elementis tota consignatur via & vita SS. Virginis, totidem constans annis, vt significetur omne eius tempus & instantia possedisse puritatem.

Exemplar libelli

Beatissime Pater.

IOannes Eusebius è Societate Iesu, ad pedes communis Ecclesiæ Patris prouolutus, sacrum & felix sui nominis omen offert, & supplicat.

Y y SANCTISSIMVS



SANCTISSIMVS PATER, ET DOMINVS

ALEXANDER PAPA VII.

QVI ERAT ANTEA FABIVS CHISIVS.

Anagramma.


QVARTVS E SENIS PAPA,
DEI MATRI CHARISSIMVS,
IPSI LABEM ADÆ NON FVISSE
STATVET.
TVNC PAX.



Pro honore Filij Dei; pro gloria Matris eius: pro Auctoritate Sedis Apostolicæ; pro gaudio fidelium; pro tollendis populorum scandalis; pro Ecclesie unitate, & concordia; pro Europæ pace; pro contritione hæreseos: pro exaltandâ domo Dei, & Infidelitate supplantandâ.

Orat Plebs, orant Principes, orat Clerus, orant Antistites, orant Pij, orant Docti, orat consensus Ecclesie, vt veritatem de Immaculata Virginis Conceptione, quam certam agnoscit, sic vestra Sanctitas sacram, & sanctam statuât, vt à nemine contradici permittat, ad imitationem tot sanctissimorum Pontificum, qui laboranti Ecclesie subuenerunt, propitiato Deo, per ampliatiorem cultus, & exaltationis suæ sanctissimæ Matris.

A quatuor ventis concutitur nauis sancti Petri; intus & extra afflicta; ab Oriente Turca ingruit; ab Occidente Anglus insidiatur; à Meridie Afer audet; à Septentrione Moschus, & Scythia imminet. In suo ipso gremio videt, & plorat Mater Ecclesia charissima suorum viscerum pignora, Hispanum, & Gallum, vicissim lacerari. Tunc Pax expectanda, cum pacificetur diuina Iustitia, intercessione Reginae Cælorum gratissimè deuiaciendæ, hoc adiecto honorificentia officio, si pacifica statuatur gloria iustitiæ originalis in Matre Dei vincente omninò antiquum hostem, & conterente serpentinum caput. Hoc desideratissimum cunctis gentibus votum. Hoc cælestibus ordinibus placidissimum obsequium. Hoc in præsentibus calamitatibus opportunissimum Deo propitiatorium.



Idem speratæ pacis præfagium.

R. P. Vitalis Theronus Societatis Iesu, paribus aduersus Religionum beatissimæ Virginis, sine macula Conceptæ, cultum votis sic explicabat

Sanctissimus Pater, & Dominus Alexander Papa VII.
qui erat antea Fabius Chisius.

Anagramma.

Quartus è Senis Papa, Dei Matri charissimus, ipsi labem Adæ non fuisse statuet. Tunc Pax.

Sic erit & fatâ, quæ Virgo Matris in aluo
Protinus à primâ subeuntis origine vita,
Tota salutaris speciosi solis amictu
Splenduit, & nulla patriæ fuligine culpa,
Deformata, nouam mundo dedit aurea lucem;
Perpetuam terris etiam dabit agnita pacem,
Ac simul vt culpa genitalis pura coletur,
Discordes populos sociali fœdere iunget.
Sic sperare iubent, quæ vocibus omnia versis,
Fatidicaque tuo constant in nomine sortes,
Magne Chisi, quartum claris decus addite Senis,
Et Mundi Domina caput idem, & gloria Roma:
Si quem principio meruit Concepta decorem,
Afferis, & fœdo genitam sine crimine dicis,
Ergo Quirinali frontem tibi cinge Tiarâ.

Et dictante Deo sellâ sublimis eburnâ,
Vnde sacra manant responsa fidelia Legis,
Conceptam sine labe doce laudare MARIAM.
Insuper & si quis placito parère recuset,
Argutisque piæ offendant litibus aures,
Exere districtum Decreti vindicis ense.
Dilectusque Dei Matri, qua condere leges
Maiestate potes, sontesque ferire labora:
Qualis Alexander ferro, præscindere nodum,
Quem malè nexarum stringunt anigmata vocum.
Hoc Itala gentis pietas, hoc diues Iberus,
Germanusque potens armis, & Gallia Princeps
Supplicat, & Venetum Turcis exercita virtus,
Feralique recens atrita Polonia bello,
Et totus poscit lacrymis manantibus orbis.

A. M. D. G.



CAROLI YOVII

*In Anagrammate P. Eusebij malignè calumniantis, censura.
Per R.P. Theophilum Rainaudum.*



Hoc nomen *Joannes Eusebius Nierembergius*, ita malâ fide, animo peiore peruertit *Youius: Viuens ager sibi, nobis amens*. Indiget operâ correctoris Author, qui in tribus vocabulis quatuor peccauit, per licentiam, præterquam in deturbato de potestate mentis non

ferendâ: tres enim literas abundantes omisit, quâ tam mutauit in A, quæ verè inerat nomini, vt vocè (*mens*), in (*Amens*) quod frustra quærebat, corrûperet. Enimverò num id demû est amentè esse, vt amentem alterum per fas, nefas, nefasq; dicas mentè exuere? Reliqua præter duo vitio characterum non carent; sed ad viuû coniuncta non refeco.

Anagramma in nomen P. Eusebij vendicatum à calumniâ Youij, & redditum veritati.

*Ioannes Eusebius Nierembergius
Viuens ager sibi, verè mens.
Benè sibi moriens, & ager viuens.*

{ integrum
S. in T.

Ad P. Ioannem Eusebium Nierembergium,

ANAGRAMMA.

*P. Ioannes Eusebius Nierembergius Iesuita.
Sua sines Virgo bene seruauit: iam sine.*

{ Io. Perte
E, in O.

Epigramma.

*Iam sine docte Pater, contra licet armet Auernus,
Coniurèrque odio Pica recente procax.
Iam sine, seruabis per te benè, iam sonat, Io.
Virgo MARIA suas non violanda nines.
Non illi maculata alius; sed tota nivalis
Conceptaque nines traxit ab vsque suo.
Iam sine cura illi est tua cura, tuumque vicissim
Vindice sat tutum Virgine nomen erit.*

Hæc in gratiam Iesuitarum Auenensium, acceptæ iniuriæ, nihil ex modestiâ reponentium. Scripsit ad confluentiam Anonymus Alemanicus Volca Doctor I.V.

Alius defensor P. Ioannis Eusebij, Minorita Salyo-Ligur, nouis Anagrammatibus inuectus in Carolum Youium, quoddam, in honorem eiusdem Patris Eusebij, compegit Anagramma, pulcherrimum.

Petrus à Valle clausa, de immunitate Cyriacorum, Diatribâ septimâ hæc ait: Ioannes Eusebius Nierembergius, vit doctrinæ nomine orbe vniuerso clarissimus, ex his vocibus, Sanctissimus Pater & Dominus, Alexander Papa VII. qui erat antea Fabius Chifius; hoc insigne Anagramma ediderat: Quattus è Senis Papa, Dei Matri charissimus, ipsi labem Adæ non fuisse, statuet. Tunc Pax. Hoc Anagramma F. Carolus Youius, Cyriacus, vulgato scripto virulento impetiit, pseudo propheticum appellans, notansque Authorem ignorantia, eo quod præter quatuor Pontifices Senenses, ab eo assignatos, (Alexandrum III. Pium II. Pium III. & Alexandrum VII.) fuerint alij duo, nempè Ioannes II. & Gregorius VII. Sed vana est criminatio. Nam Ioannes II. ex Anastasio, fuit Romanus, de regione Cœlij montis. Gregor. verò VII. fuit Soanenensis, non Senensis.

FINIS.



INDEX RERVM, ET VERBORVM

Q V Æ

In Operibus Parthenicis continentur.

A

Abailardus.



MARIÆ gratiam ait omnem Iudaici, & Gentilis populi excedere. pag. 222. col. 2

Abbas Adam de Persenia.

Omnimodam Deiparæ Puritatem celebrat. p. 297. c. 1
Conceptionem Immac. asserit. p. 223. c. 1

Abalon Abbas.

Integritatem secundum dignitatem primæ conditionis Mariam accepisse ait, p. 285 c. 2
Eximie Conceptionis Immacul. laudes prosequitur. p. 390

Absolutio.

Quomodo vera sint eius in Confessione verba cum quis iam per contritionem deleuit peccatum. p. 477. c. 1

Abucara.

Virginem dicit, aditum verbi ad nos, p. 169. c. 1

Nova eiusdem auctoritas pro Concept. Immacul. c. 2. p. 389

Acacius

Virginem sanctam ex Deo ex illa nato concludit, p. 145. col. 2

Academia Parisiensis.

Publice reuocare compellit Doctorem propositiones allatas contra Conceptionem Immaculatam. p. 366. c. 2

Actuale.

Quæ ratio amolitur actuale peccatum, eadem etiam excludit Originale, p. 111. c. 2

Actualiter.

Quo sensu ab Alberto Magno sumatur. p. 362

Adam.

Quomodo intelligatur illud Apost. Omnes in Adam peccauerunt, p. 317. c. 1. & p. 319. c. 2
Posteritas Adami non fuit damnata ante sententiam Dei. p. 485. c. 2

Idipsum probatur auctoritate Patrum, p. 485. & seqq.

Adamus de S. Victore.

Florem sine spinam Virginem carminibus describit. p. 220. col. 2.

Peccatum e xcludit à Deipara. p. 343

Adelhardus Ginesius.

Commendat scripta S. Ildefonsi, in quibus immunitas à peccato B. Virgini tribuitur. p. 167. c. 2

Adriannus IV.

Ante Pontificatum librum scripsit de Conceptione. p. 223. c. 1

Confraternitatem Regiam in obsequium Conceptionis B. Virginis approbavit. p. 25. c. 1

Agid. Lusitanus.

Mendacij & falsitatis arguit Caietanum, & Bandellum, p. 242. c. 2

Aneas.

Patrem liberans applicatur Cõcept. Imma. p. 278

Enologus.

Virginem vocat, Agricultarum S. Spiritus. p. 153 col. 2

Equiuocatio.

In nomine Translationis maxima. p. 423. col. 2
Equiuocatio quæ olim extiterit circa peccatum Originale, p. 315. c. 2

Quam æquiuationem pati possit quæstio de debito culpæ originalis. p. 504. c. 1

Affinitas culpa.

Etiam ab ea immunis fuit Maria. p. 433. c. 1

Concil. Africanum.

Virginem à peccato, & debito liberat, p. 124. c. 1

Agapias Casariensis.

Conceptionis immaculatæ assertor, p. 167. c. 1

ayh.

Vox hæc Deiparæ accommodata quid significet, p. 157. c. 2

D. Agobardus.

Virginem ait præparatam & Custoditam ad maternitatem dñinam. p. 162. c. 1. & 2. multaque alia *ibid.* habet circa idem mysterium.

Alanus de Insulis.

In id Cantic. *Tota pulchra es*, &c. Virginem ait ante & post conceptum caruisse peccato. p. 235

Totam pulchram vocat Deiparam in qua macula nec venialis sit nec Originale. p. 296. c. 1

Alanus Magnus.

Maternitatem Deiparæ peccatum exclusisse ait. p. 304. c. 1

Nova eiusdem Auctoritas pro Conceptione Immac. p. 393. c. 2

Alanus Rupensis.

Spinâ carentem vocat Virginem ait, p. 231. c. 2

Alanus

& Verborum.

Alanus Varenfis,
Totam pulchram Mariam sponfam sancti Spiritus vocat, incontaminatum sponfi cubile, p. 293. c. 2
Multa de communione inter Filium & Matrem commemorat, p. 310. c. 2
Nic. de S. Albano.
Negat gladium peccati Virginem in Conceptione pertransisse, p. 243. c. 1
Albericus.
Immaculatam Deiparam pronuntiat, p. 235. c. 2
Albertus de la Casa Dominicanus.
Conceptionis immac. defensor, p. 194. c. 1
Albertus Magnus.
Eius mens pro immaculata Conceptione, p. 359 col. 1.
Eximiè sensit de plenitudine gratiæ in Deiparâ, p. 287. c. 2
Numerat multa vae à quibus libera fuit B. Virgo imprimis à vae culpæ originalis, p. 299. c. 1
Palam confitetur Immaculatam Conceptionem, p. 184. c. 2. Interpretantur eius verba que eandem impugnare videntur, ibid.
Quid intellexerit, ibid. Concept. fauet, p. 194. c. 2
Solam B. Virginem excipit ab Adami regula omnium communi, p. 345. c. 1
Albertus Marquesius.
Conceptam sine peccato origin. Deiparam Lunæ instar enituisse asserit, p. 235. c. 2
Albigenses.
Conceptionem negabant immaculatam, p. 194
Alcoran.
Virginæ puritati originali assentitur, p. 173
Alouuinius.
Deiparam cum lanâ mundissimâ comparat tingendâ purpurâ, p. 162
Alcuinus.
Probat Conceptionem Immac. quatuor libris, &c. p. 343. c. 2
S. Aldhelmus.
Eximia elogia ipsius in laudem B. Virginis, p. 164 col. 2.
Alexand. Alensis.
Tractatum integrum conscribit ex proposito de purissimâ Conceptione, ob acceptum miraculosè beneficium, p. 183. c. 2
Mirificè commendat puritatem Virginis à culpâ originali in Commentariis in Lucam, p. 184 col. 1
Ait Angelum commendassent per vocem Aue vniuersalem culpæ carentiam in D. Virg. p. 290 col. 2.
Tractatum integrum de B. Virg. purissima Conceptione scripsit, p. 296. c. 2
Amicam Dei, hoc est Matrem dilectissimam B. Virginem maculâ etiam originali caruisse pronuntiat, p. 306. c. 2
Alexander Farnesius.
Protestatur Conceptionem immac. p. 236. c. 2
Alexander Monachus.
Assertor Conceptionis immaculatæ, p. 152. c. 2
Alexander II.
Approbauit Ritualia Hispaniæ, in quibus festum Conceptionis recitabatur, ac proinde laudauit & roborauit hanc celebritatem, p. 8. c. 2
Alexander III.
Canonizationem Sanctorum soli Sedi Apostolicæ reseruauit, p. 86. c. 1
Plenitudinem gratiæ Deiparæ extendit tum ad incorruptionem carnis, tum ultra vitâ, p. 287. c. 2
Ioann. Euseb. Op. Parth.

Alexander V.
Ex maternitate præseruationem à peccato in B. Virgine agnoscit, p. 309. c. 2
Firmiter credit & fatetur B. Virg. nunquam sordibus originalis criminis deturpatam, p. 295. c. 1
Alexander VI.
Motu proprio prohibuit varias opiniones circa contenta in Litteris Sixti IV. quas confirmauit, non leuiter Conceptioni fauens, p. 23. c. 1. & 2
Alexandrini.
Presbyteri Alexandrini peste defuncti habentur sancti, p. 91. c. 2
Petrus de Alliaco.
Sic alloquitur B. Virg. Meruisti vt sola esses sine vae culpæ venialis & mortalis & vt piè creditur, etiam originalis, p. 290. c. 2
Dicit Mariam sine vae culpæ originalis fuisse, p. 295. c. 1
Alphonsus de Cabrera.
Dominicanus, sentit pro Concept. immacul. p. 195
Aluarus Gomez.
Conceptionem immaculatam verbis descripsit, p. 237. c. 1
D. Ambrosius.
Per gratiam Virginem ait integram ab omni labe peccati, p. 140. c. 1
Virginitatem mentis & corporis in Virgine asserit, p. 112. c. 2
Responsio ad eius allegationem contra Conceptionem immacul. p. 243. c. 2
Virginem per gratiam ait ab omni integram labe peccati, p. 304. c. 2
Ex Maternitate diuina puritatem carnis in Deipara agnoscit, vnde ad animam eiusdem progredi est facilè, p. 313. c. 1
Amedeus Lansan.
Virginem omnes mortales superare ait, p. 231. c. 1
De Virgine, omnes superare, omnibus præfesse pronuntiat, p. 287. c. 1
A pulchritudine Mariæ in Canticis commendatâ, infert immunitatem ab originali, p. 297. c. 2
Ammon.
Virginem purificatione indigere negat, p. 148
S. Amphilochius.
Eximiè laudat Conceptionem immac. p. 165. c. 1
Illibatam Deiparâ egregiè contestatur, p. 341. c. 1
Vocat superimmaculatam, p. 289. c. 1
Amygdalus.
Maria Amygdalus dicitur ab Alberto Magno, & quare, p. 376. c. 1
Anabaptismus.
An Ecclesia aliquando Anabaptismum admiserit, p. 374. c. 2
Anastasius Antioch.
Multa congerit quæ puritatem originalem Deiparæ declarant, p. 162. c. 1
S. Anastasius.
Ait B. Virgini non temporariam gratiam sed perpetuam esse datam, p. 283. c. 2
S. Anastasius Sinaita.
Euam cum Luna eclipsin patiente comparat, vnde Virginis conceptiuâ puritatem infert, p. 160
Anatolius Syrus.
Ex prædestinatione ad maternitatem, sanctitatem Virginis ostendit, p. 151. c. 1
S. Andreas Apostolus.
Virginem vocat terram nunquam maledictam, p. 134
Virginem comparat Adamo in formatione sua, p. 342. c. 2

Index Rerum,

- S. Andreas Cret.*
- Perpetui virorem floris Virgini concedit, p. 145 col. 1
- Turbationem Mariæ ab Angelo salutatae refert ad memoriam maledicti originalis à quo immunis erat, p. 292. c. 1
- Eximius Conceptionis immacul. assertor, p. 340. col. 2.
- Quo tempore floruerit, p. 330. c. 1
- Encomiis pluribus puritatem Dei Genitricis comprehendit, p. 284. c. 1. Vocat sanctam Conceptionem, ibid.
- S. Andreas Hierosol.*
- Electam Deo asserit antequam genitam, p. 289. col. 1
- Immaculatam B. Virginem putat ex eo quod sit Redemptoris Mater, p. 304. c. 1
- Andronicus Constant.*
- Puritatem simplicissimam Deiparæ ex Maternitate eiusdem agnoscit, p. 313. c. 2
- Anepigraphus auctor.*
- In Canticum Magnificat, supponit Matrem Dei nulla ex parte maculâ affectam, p. 151. c. 2
- Angeli.*
- Conceptionem immaculatam celebrant, p. 299. col. 2
- Non habuerunt gratiam Redemptionis, p. 482. c. 1
- Angelica salutatio. V. Salutatio.*
- Angli heretici.*
- Ex Rituali suo pridie Conceptionis ieiunium servant, p. 174. c. 2
- Animare.*
- An beatissima Virgo eodem die fuerit animata quo Concepta, p. 49
- Anonymus.*
- Salutat Virginem, Proxenetæ lætitiæ, p. 148. c. 1
- Ex Maternitate B. Virginis puritatem eiusdem absolutam infert, p. 304. c. 2
- Ansbertus.*
- Vicissitudinem à Virgine excludit, p. 163. c. 2
- S. Anselmus.*
- Maximus propugnator festi Conceptionis; fortasse primus qui sub expresso Conceptionis nomine à natiuitate separatam celebritatem hanc introduxit, p. 9. & 10. Celebritas eiusdem festi ab eodem mire propagatur, p. 13
- Ex eo quod Angeli peccato caruerint originalem puritatem Virginis astruit, p. 111. c. 2
- Ab Angelis à peccato præseruatis, B. Virginem itidem præseruatam concludit, p. 304
- Puritatem in Virgine inesse vult quâ maior sub Deo intelligi nequit, p. 344. c. 1
- Male allegatus aduersus Conceptionem immac. p. 244. c. 2
- Anselmus Laudun.*
- Ad Magnificat, ait Deum ea in Virgine præstitisse quæ excederent cætera omnia, pag. 153. col. 2
- Anthologium Græcorum.*
- Multa habet in fauorem Conceptionis, p. 164. col. 1. & 2.
- Matri Dei puritatem eximiam ascribit, p. 312. c. 2
- Antiochus Episc.*
- Epitheta congerit in fauorem immaculati Conceptus, p. 145. c. 2
- Antiochus Monachus.*
- In laudes Deiparæ effusus, p. 158. c. 2
- Antiochus Ptolemaidis.*
- Montem Virginem esse ait, quod cæteros mortales supremineat, p. 166. c. 1
- Antipater Bostr.*
- Sequestram facit Deiparam inter diuinitatem, & mortalitatem, p. 165. c. 2
- Antiphona.*
- Antiphona Officij Conceptionis ait, *Macula originalis non est in te.* p. 113. c. 2
- Antiqui.*
- Quinam fuerit sensus harum vocum peccatum originale. Concepta in peccato originali, sanctificata post animationem, p. 176. c. 2
- Quo sensu dixerint B. Virginem habuisse peccatum originale, p. 377. c. 1
- Antiquitas.*
- Antiquitas apud Græcos Festiue Conceptionis Deiparæ, p. 132. c. 2
- Antiquitas festi Conceptionis immac. p. 329. c. 2
- S. Antoninus.*
- Alicubi puritatem Virginis originariam asserit, p. 193. c. 1
- Nulla pura creatura (ex illo) est sine vâ nisi Virgo Maria, p. 291. c. 1
- Formula eius Canonizationis, p. 413. c. 2
- Quo pacto S. Antoninus Conceptionem impugnet, p. 347. c. 1
- Non est Pater antiquus; floruit ante institutionem festi Conceptionis immac. ibid.
- Sermo illius qui asseritur aduersus Conceptionem immaculatam demonstratur non esse S. Antonini. ibid.
- Id probatur ex verâ illius sententiâ. p. 347. c. 2
- Quamuis sensisset aduersus Concept. immac. nihil præiudicij asserit, p. 348. c. 1
- S. Anton. de Padua.*
